Pio

Google

7.0

[illegible] 2½

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Aſſiſtentiæ Germaniæ S. J.

GUILIELMI DE VVAHA

MELREUSII

E SOCIETATE IESU

LABORES HERCULIS CHRISTIANI GODEFREDI BULLIONII.

BIBL. DOM. PROF. ROM. IHS

INSULIS FLANDRORUM,
TYPIS NICOLAI DE RACHE,
SUB BIBLIIS AUREIS.
M. DC. LXXIV.

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

AD

PROCERES

CHRISTIANOS

HERCULIS

CHRISTIANI

SECTATORES

PRÆFATIO.

HEROS *iſte natus ante ſexcentos annos redire nunc in lucem, atque in armis apparere non aliis auſpicijs malit, quàm veſtris,*
umque nomen in ſectatoribus eius vole-
rofiteri. Bellator eximius, & ad ma-
ducendi non peritior, quam cupidior,
ivus in vobis ſibi videbitur agmen
, ſi quàm plurimi vocantem audie-
æeuntemque ſequemini. Pro voce eſt
a clariſſima, quâ toto orbe à tot ſæ-

culis perſonat ; pro ductu , virtus heroïca , quâ prælucet. Vtramque libello hoc propoſitam orbi placere magnopere velit , vt frequentiſſimos habeat ſuæ non tantùm admiratores , ſed etiam imitatores fortitudinis , & heredes gloriæ. Primis annis , quamdiu contra Italam Heroïdem ſtetit , peccauit , non ſuâ , ſed temporum culpâ. Verùm illam ipſam virtute deterſit , & occultatum initio nomen in ſummam lucem euexit. Nempe is eſt Hercules non modò laboribus duodecim inclytus , ſed , quod difficilius eſt, voluptatis victor , ſemperque vir. Quem factis eminentiſſimum ſæculi ſui dicere cum parum ſit , his Guilielmi Malmeſberienſis , ætate ſupparis hiſtorici , verbis prædicarim ex vero : CEDANT POETARUM PRÆCONIA , NEC PRISCOS HEROAS VETUS ATTOLLAT FABULA : NIHIL VSQUAM *huius* LAUDI COMPARABILE VLLA GENUERE SÆCULA. *Non pauci agnoſcetis Heroëm popularem , nobiliſſimi quique conſanguineum , omnes dignum illo ſummo elogio , cuius vos participes fieri cupit , nobiliores futuros imitatione virtutis ſuæ , quàm*

Digitized by Google

propinquitate regiæ ſtirpis. Quodque ſtimulos acriores ſubdat animis veſtris, ſpectabitis Heroï iunctam Heroinam : non dico Theagenem aliquem, Charicleamue blandientes fictâ virtute, ſed præeuntes veris facinoribus Chriſtianum Herculem, & Chriſtianam Amazonem. Atque, vt illum fatebimini principem Heroüm, ita hanc principem Heroïdum. Planè vt videatur Numen ad exempli vim duo ſumma ſexus vtriuſque lumina tum ætate, tum ſummarum rerum molitione iunxiſſe. Nec (vt ſperamus) improbabitis ſcriptionis hiſtoricæ genus, quo vtimur: quippe cuius antiquum iuxtà, clariſſimumque ciemus auctorem, non fabuloſum Heliodorum, ſed Plutarchum. Egregius enim ſcriptor duplici ratione tractat hiſtoriam: alibi naturalem, & hiſtoricis conſuetum narrandi modum adhibet, alibi ſermonibus, affectibus, & artificioſâ quadam diſpoſitione ſuſpenſum. Priorem obſeruare eſt in Parallelis, ſeu virorum illuſtrium vitis comparatis; poſteriorem in nonnullis opuſculis, ac nominatim in præſtanti illo de Thebis liberatis, vbi ſic con-

ſuluit veritati hiſtoriæ, vt exquiſitiore ornatu ſtuduerit legentis voluptati. Quo contextu tantus auctor vſus eſt ad prædicandos LIBERATORES THEBARUM, *eodem viſus ſum mihi conuenientiſſimè vſurus ad* LIBERATOREM HIEROSOLYMORUM *ſectatoribus proponendum. Quare Plutarcho præeunte experiri liceat, an non & plus vtilitatis, & voluptatis non minus afferre poſſit Hiſtoria ſic ornata, quam Heroïca fabula. Vtinam propediem conſociatis & animis, & armis bello ſacro initiati petatis Orientem, & ad expeditionem heroïcam eiuſmodi, vt* HERCULES CHRISTIANUS *duxit olim, ita libello hoc propoſitus nonnihil contuliſſe videatur. Nunc in aditu operis reliquum eſt, vt ſanctè profitear, me ei tantum fidei tribui velle, quantum ſola humana ſcriptorum, quos produco, meretur auctoritas.*

LABORUM
HERCULIS
CHRISTIANI
LIBER PRIMUS.

INTENDEBAT ſe prima veſpera pridie idus Octobres anni poſt partum Virgineum milleſimi octogeſimi, cùm ad paludem, quam accolæ Saxones Gronam appellant, tanquam ad condictum locum duo celebratiſſimi famâ duces aduerſis equis procurrêre. Verùm ſimul ac propiùs aduecti ſunt, mutuus conſpectus ita mentes eorum, quemadmodum ſolent improuiſi caſus, affecit. Alter alterum aliò tetendiſſe rati, profecti tamen ad vtramque ripam in ſe prçter ſpem inciderant. Admiratio primùm, deinde lætitia quædam cepit ambos ſolâ iam palude diſtantes, cæterùm longiſſimè disjunctos animis. Æmulos dudum, ferroque non ſemel inter ſe congreſſos ſupremæ pugnæ cupido verſabat. Ingens corporum, armorumque ſpecies, paria inſignia dignitatis, & cultus vtrique Cæſareus. Licet inuicem ora noſcere riparum interuallum, & lux inclinata non ſinerent, protinus tamen ambos æmulationis inſtinctus ſubmonuerat adeſſe hoſtem. Id deinde certò com-

a *n.* 1080. *Bruno de bell. Sax.*

pererant, vtrimque conſpecto comitatu procerum, auditoque ſequentium agminum fremitu. Impetus fuit è veſtigio venire ad manus, iramque diu collectam non ſuſtinere in craſtinum. Verùm pariter locus, ac tempus obſtabant. Grona media per latè ſtagnantes aquas non aperiebat vadum. Partem eius paludis ad Orientem verſam, quà propiùs terminabatur, præterfluens amnis Elleſtra claudebat: pars altera longè porrigebatur, vdo, & infido ſolo prætenta. Cuius caput nequibat peti niſi circuitu; nec ante noctem gradus conferri poterat. Igitur ambobus ducibus, ceu communicatis conſilijs, mane proximum expectari placuit ad pugnam luce dignam, quâ nempe decernerent de Occidentis imperio. Mox digreſſi copias ſuas, quas non longo interuallo præceſſerant explorandi loci causâ, repetunt. Horum alter Henricus Cæſaris Henrici cognomento Nigri filius erat. Is ſuper Elleſtræ ripam caſtra poſuit, ſeu forte, prout tulit diei tempus; ſeu conſilio, vt ſuis interclusâ fugâ ſtrenuè pugnandi neceſſitatem imponeret. Objectus à tergo fluuius, à dextrâ palus, in propinquo erat hoſtilis exercitus, rerumque diſcrimen. Militibus iuſſis intentiore curâ ſeruare vigilias, corpora curare, primoque diluculo præſto in armis eſſe, ipſe in tabernaculum ſe recepit. Ibi menti inquietæ cœpit obuerſari magnitudo periculi. Reputabat æmulum imperij Rudolphum Saxoniæ Regem, belli artibus, victorijsque notum imminere; ſeque

Bruno.

mox allaturum eius gloriæ vel finem, vel cumulum. Poſt vnam noctem palàm futurum, ex duobus, qui Cæſares à partibus appellabantur, vter eſſet. Tantam in militum fide, ac dexteris verti fortunam. At Rudolphum adeſſe cum vniuerſis copijs: ſe *a* verò partem exercitus in Italiam miſiſſe aduerſus Proreginam Mathildem ſtantem pro hoſte. Inde irâ in ambos commotus, ſollicitudinemque ſuam increpans ſtatuebat ſibi ad eos profligandos ſat virium futurum, ſi ſatis animi foret. Agitabat deinde quo ordine inſtrueret aciem, quos in fronte, quos in ſubſidijs locaret, ac præſertim quem ex omnibus crearet ſigniferum principem. Erat id munus dignitate, momentoque præcipuum. Optimum factu cenſuit, hac de re primores exercitus ſententiam rogare, non ignarus eum fore lectiſſimum, quem ſibi ipſis prætuliſſent. Vbi illuxit poſtero die, quemadmodum decreuerat, impigre diſpoſitâ acie ductores ordinum conuocat. Cohortatus omnes ad rem fortiter gerendam, *b* Cæſareum vexillum proferri iubet aquilâ inſigne, auroque collucens. Tum præfatus quanti intereſſet id committi ſpectatę fidei, virtutiſque viro, quæſiuit, cuinam tutiſſimè credi poſſe cenſerent illud decus exercitus, ac fatale victoriæ pignus. *c* Eques erat in ijs caſtris gloriâ militari florens, qui tametſi non multò maior viginti annis, eminebat ſimul indole animi, ſimul corporis robore. Quas ſuas dotes ſic approbabat, vt his licet præriperet laudem omnibus, omnium ſibi

a *Bertold.* b *Diuæus.* c *God. Viterb.*

voluntates adiungeret. Ita non belli ſocios modò, ſed & inuidiam ſuperarat. *a* Mirabili conſenſione reſponſum eſt, hunc præ reliquis aquiliferi munere dignum eſſe. Quare iuueni à tot proceribus electo, & iudicijs omnium eximio Cæſar aquilam offert. Ad quem ille accedens, elegantiâ oris, & ſermonis non minore, quàm modeſtiâ, excuſauit ætatem, & imparem oneri manum. Se munerum bellicorum minimè cupidum eſſe, vt minimè dignum. Militis nomine contentum, titulos alios perlubenter cedere potiori. Et forſitan ſe in prælio fore minùs inutilem, ſi manum conſerat cum hoſte, quàm ſi implicet glorioſâ geſtatione vexilli. Deprecatione illâ permodeſtâ nihil effecit apud Henricum, niſi vt cenſeretur dignior aquilâ geſtandâ, quam ei, quantumuis renitenti, tradidit. Interim vltra paludem Rudolphus inſtructam aciem oſtenderat, Saxonibus ferè, Sueuiſque conflatam. Ergo canentibus tubis Aquilifer equo conſcenſo cum omnibus Henrici copijs procedit tanti agminis caput. Conuerterat in ſe vtriuſque exercitus oculos, non modò ſplendore noui honoris, ſed etiam heroicâ corporis ſpecie. Micabat ardore animi vultus; artus toroſi, latum pectus, caput militariter erectum, & multâ pinnarum amœnitate inumbratum. Cæterùm virilis armorum cultus, non auro, aut gemmis, ſed perpolito in argenti nitorem ferro lucebat. Honeſtabantur hæc corporis magnitudine, cui adjicere videbatur Cæſareum vexillum, quod gerebat,

a *Guil. Tyr.*

Digitized by Google

tantò ſignis reliquis celſius, quantum præſtabat ipſe ſigniferis. Verùm acrior, quàm hilarior vadebat ad pugnam. Vrebat animum ex arcano dolor priuatus, quem inſolens, ac pròbroſa de Proreginâ Mathilde fama inuſſerat. Ægritudinem hanc licet fictâ oris alacritate, fortibusque ad ſocios verbis diſſimulare niteretur, ſuſpiiijs tamen identidem prodebat. Excidebant etiam quandoque gementi, ſtupentique voces eiuſmodi: amat Mathildis, & principem hoſtium Cæſaris amat. Sed ea ſcilicet erat origo doloris, quæ iuuenem à pugnâ non auerteret, ſed ad capeſſendam magis accenderet. Duo *a* Imperatores, inter quos belli cauſa erat, admotas primùm ad vtramque paludis ripam copias, deinde ad caput eius ſubduxere. Hìc ſub teli iactum exhortati militem voce, & manu, inuadunt inuicem ordines. Principiò acriter, & ancipiti euentu pugnauêre, vtrimque modò pellentes, modò pulſi. Henricus, & Rudolphus prælium accendebant, reſtituebantque pari robore animorum. Ambos delecti tuebantur conferti, cohærentesque, ante oculos principum certi aut virtute vincere, aut cum gloriâ cadere. At diſpar Henricianorum vigor notari cœpit; non clamor, non tela miſſa vim eandem habere, adhuc tamen Imperatoris ſui, & Aquiliferi maximè exemplis animati ſtare. Rudolphus vbi inclinatam aciem ſenſit, eò acrius ſeſe inuehere, & hoſtibus nullum ſpatium reſpirandi, recipiendique ſe dare. Hi referre pedem, & vincente vere-

a *Bruno.*

cundiam metu apertè tandem fugere. Henricus rebus deſperatis, ne in hoſtis veniret poteſtatem, terga vertit, *a* antè tamen intuitus Aquiliferi ſui fidem, atque audax incœptum. Quod ex claris auctoribus referam, quantumuis factu arduum, ac præceps, fuit intra iuuenis eius audaciam. Digna res viſa *b* Viterbienſi, quam prædicaret verſibus hiſtoriæ ſuæ interiectis, ex quibus hæc æterni elogij pars:

DVM FVGIT HENRICVS, COMITVM
FVGIENTE CATERVA,
MILES EI SIGNVM MEDIA STATIONE RESERVAT.

Quiſnam miles ille, aut quod eius nomen, non prodidit is ſcriptor, ſiue quòd hæc eſſent ignota vulgò, ſiue aliâ de causâ. Inuictus ſignifer indignatus ſuorum ignauiam non modò ſtetit, & medio in campo tenuit aquilam, ſed deſignauit inauditum poſt hominum memoriam facinus. Vociferatus ad ſuos ſe vel ſolum, ſi nemo alius conſiſtat, hoſti reſtiturum, excepturumque potiùs mortem obuio pectore, quàm Rudolphus omnium Henricianorum terga videat, ſenſit ſe verba perdere. Atque vt faceret animos exemplo, quos voce non poterat, ſortitus oculo Rudolphum Imperatorijs inſignibus, factiſque ſpectabilem adoriri ſtatuit. Non infeſtæ, victricíſque multitudinis aſpectus, non mortis facies terruere. Omnium, præter hoſtem, oblitus procurrit *a* vexilli haſtile dextrâ quatiens, & terribili quà geſtu, quà voce Rudolphum prouocauit ad pugnam. Qui

a *G. Tyr.* b *God. Vit. part.* 17.

Digitized by Google

cùm tardiùs prodiret, in ipſam aciem, ſicut erat deſertus, ac furenti ſimilis irruit. Henricus, qui nondum procul aberat, Aquiliferum hoſtibus circumfuſum aduertit, indoluitque ſtrenui iuuenis infelici virtute. Nec iam dubitans, quin is periiſſet, auerſus per iacentia paſſim militum ſuorum arma, & corpora fugam expediuit ad Elleſtram. Ibi luctus eius funeſto ſpectaculo cumulatur. Amnis alueum ſimul equi, ſimul homines impleuerant. Fugientium alios aliò, plurimos huc compulerat metus: ſed remedium malo peius inuenêre. *b* Fluuius eo loco profundus, vorticoſus, & adeo præruptis vtrimque ripis erat, & nec in aquam deſcendere, niſi præcipites, nec inde poſſent emergere. Ergo armis graues, multi vulneribus, omnes fatigatione, metuque ipſo debilitati cruentatis vorticibus hauſti voluebantur inter iumenta. Pauci ægre per obluctantes vndas eniſi, ex equis inſiliebant ripæ, arreptiſque virgultis repentes euadebant in crepidinem. Hanc gladijs emoliri, & complanare conati, tandem opere fatigati, relictis, quos extrahere nequiuerant, equis, proiectiſque armis fugiebant. Cæſar è citeriore ripâ, vidit tot malis acceſſiſſe id quoque, vt ne fugere quidem poſſet. Incertus animi, veſtigansque vadum ferebatur, cùm audijt equitem à tergo inclamantem, vt conſiſteret. Id ſeu hoſtis, ſeu ciuis iuberet, intempeſtivum Cæſari viſum. Quem fugere perſeuerantem reuocare pergit idem eques, & inſequi. Tandemque propior, *c* quò, Henrice, rape-

a *Tyr.* b *Bruno.* c *Viterb.*

ris ? inquit. Refer oculos ad campum, vbi Rudolphum ego hac dextrâ peremi. Vide ſubſiſtentem hoſtium aciem, & amiſſo duce, ceu capite, exanimatam metu. Sta, tuoque exemplo militum fugam ſiſte. Henricus vociferantem reſpiciens agnouit Aquiliferum. Cuius inſperatâ ſalute motus exporrexit tantiſper vultum: at mox in mœrorem rurſus deiecit, & concitauit equum, vel fugæ viam, vel latibulum quæſiturus. Aquilifer iterum aſſeuerat cæſum Rudolphum: at cum triſti riſu abnuit Cæſar, iuuenemque facinus narrare exordientem auribus reſpuit. Videbatur loqui portentum, aut veriùs fabulam. Perruptam ab eo primam aciem oportebat, & Rudolphum laceſſitum inter ſuos, tectumque ſuorum armis. Et quantumuis vſque eò ſeu virtute, ſeu dolo penetratum foret, nouerat Rudolphi ipſius non ſolùm militare robur, ſed etiam arma nullâ vi ferri penetrabilia. *a* Memoriæ inſidebat victoria, quæ ante defectionem Rudolphi reportata fuerat eius præſertim operâ, quando inter prima ſigna fortiſſimè dimicans, nebulâque pulueris, & hoſtium globo inuolutus, incognituſque iam militibus ſuis, vtrorumque telis tantùm non obrutus erat. Vbi, licet vndique gladijs, lanceiſque pulſatus, tamen caſſidis, & loricæ firmitate vitatis vulneribus, laborarat tantùm contuſione membrorum. Ergo cenſebat Henricus, quantumuis ille validè ictus, aut etiam proſtratus ab Aquilifero eſſet, rem citra vulnus futuram. Itaque

a *Lamb. Schaf.*

victum ſe citra dubium, & deſperatis cæteris reſtare, vt ſaluti conſuleret. Hic Aquilifer cum verbis non proficeret, confidenter, frenum equi Cæſaris corripit, volentemque eluctari trahit, ac retinet. Tum elatâ, ventilatâque aquilâ palantes reuocare milites, voce, & intrepido vultu ſiſtere, hæſitanteſque inter ſpem, & deſperationem animare. Inter turbam accedentium Cæſar è manibus tenentis ſeu dimiſſus, ſeu elapſus, videri deſijt. Credibile eſt Aquiliferum militi in agmen cogendo intentum primùm non aduertiſſe diſceſſum. Eo notato, dubitaſſe fugiſſetne feriò Cæſar; nec ſecutum eſſe, ne ſubitâ inueſtigatione, ac fortè ſuperuacaneâ collectos iam milites ruſus in pauorem, fugamque conuerteret. Deinde illo non comparente, neſcientem quà ſequi oporteret, hæſiſſe ſollicitum. Denique quando imperatore deſtitutus repetere pugnam cum paucis non poterat, cum ijs *a* traieciſſe fluuium, vt reliquos tuto loco reuocaret. Hi, vt quiſque redierat ad ſigna, ſciſcitabantur de ſalute Cæſaris. Aquilifer à ſe, alijſque viſum ſoſpitem reſpondebat, diuertiſſe tantiſper, mox affuturum. Nox inſecuta texit Principis abſentiam, & deſiderium lenijt apud milites. Verùm Aquilifer magis, magiſque anxius non ferebat fructum ſibi facinoris eripi, curſumque victoriæ ſiſti. Poſtero die cum non rediret in conſpectum Imperator, diutius militibus imponi non potuit. Eo quæſito quaquauerſus, nec inuento, nulliſque extantibus fugæ veſtigijs,

a *Idem.*

omnes vno impetu mœror afflixit. Captum, cæſumue, aut aquis hauſtum quærebantur, fugituri iterum, niſi reſciiſſent hoſtem procul iam fugiſſe. Aquilifero ſæpius aſſerenti, alterum Imperatorum à ſe peremptum, alterum incolumem viſum, iam non habebatur fides, & obtrectatione gloriæ (vt fit) clàm exprobrabatur plauſûs affectatione finxiſſe, quæ diceret, nullo facti teſte, niſi abſente, vel mortuo. Id quoque faciebat contra Aquiliferi narrationem, quòd rumor è caſtris hoſtilibus ferebat, Rudolphum quidem ſauciatum, ſed manu vnius è ſuis imprudentis: cæterùm delatum Martiopolim viuere. At Saxones id commenti erant eo conſilio, vt Henricianis eriperent decus cæſi Rudolphi; quem interiiſſe, pòſt paulò conſtitit. Non deſiſtebant interim Henriciani Cæſarem inueſtigare. *a* Sex diebus quæſitus fruſtra, pro deplorato habitus eſt, creditumque in vtroque exercitu, Imperatorem vtrumque occidiſſe. Septimo die Aquilifer, cum mota caſtra eſſent, forte inambulans diuerterat à ſocijs. Is in vſu familiari comis, aditu facilis, ac mirum quàm affabilis erat, cæterùm *b* nemoribus, alijſque locis ſolis delectabatur. Olim adoleſcens itare ſolitus ad anachoretam, quo magiſtro bonas artes didicerat, ac militarem diſciplinam, ab eo quoque amorem quemdam ſeceſſus, & ſolitudinis hauſerat. Non quòd iuuenem ad otium dulcedo inertiæ pelliceret, ſed magnis cogitationibus illuc ducebatur. Plerumque meditabatur in

a *Sabellic. Blond.* b *Guib. Abb.*

vmbrâ ſolus, quid in ſole, atque in acie poſſet. Eo die voluebat cum animo ſuo mœſtus perturbationem ſubitam rerum: Cęſarem ereptum militibus in articulo victoriæ: Conradum Cæſaris filium præſtanti quidem indole pręditum eſſe, ſed adhuc ætate tenerum, & immaturum imperio. Deinde inconſtantiam humanarum rerum cogitabat. Perquàm mutabilem eſſe tum fortunam, tum voluntatem mortalium. Mathildem heu, quam crediderat fidei, ac pudicitiæ abſolutiſſimum exemplar, & vel ideo non ſuo tantùm, ſed cunctorum amore digniſſimam, turpiter defeciſſe, odio iam, & Cæſarianis perſequendam armis. Inter has cogitationes crebrò ſuſpirans, incertuſque animi longiùs à caſtris progreſſus eſt. Spelunca erat in eo tractu, aut ſpeluncæ ſimilis latebra occultiſſima, ad quam fortè peruênit. Veſtigijs ad os ferentibus, aut aliâ cauſâ motus acceſſit, & more humani ingenij oculos in interiora coniecit. Ibi quantum obſcuro loco proſpici poterat, iacentem hominem vidit. Miſerum eſſe crebri, quos edebat, gemitus indicabant. Nec anachoretæ, aut ruſticani hominis cultus erat, ſed militis. Qui ex acie cum Henrico fugerant, nec ad ſigna redierant, alij aliò palantes *a* incredibile dictu eſt, quas calamitates non ſolùm in fluuijs, paludibuſque pertulerint, ſed & in aquis, ac ſiluis. Fortes viri plurimi ab agreſtibus trucidati ſecuribus, ac fuſtibus; multi nobiles à vilibus capti; multi fame premente arma, equos, veſtes fru-

a Bruno.

ſtulo cibarij panis mutare compulſi. His miſeris immixtus Cæſar ipſe in fugâ, varijs caſibus, periculiſque iactatus, nactus denique, quam dixi, latebram ſubierat. Ibi memorabili fortunæ ludo ex Imperatore ſpecus incola victitarat, ſqualidus, pauens, nec ſatis antri ſui tenebris tectus. Non iam de imperio ſollicitus, quod amiſſum penitùs exiſtimabat, ſed de vita anxius trepidauit, cum adeſſe vidit inſpectorem. Eo loco rerum inſcium, & à ſuis pro deplorato habitum Aquilifer præter ſuam, & omnium ſpem, vel primus, vel in primis inuênit. Qui poſtquam agnouit Cæſarem, miſeratus ſimul, & auerſatus indignum Principe latibulum, deinde lætitiâ geſtiens, *a* ſurge, Henrice Cæſar, inquit, magna tecum reſurget gloria. Saxones ſugêre, quia, quemadmodum narrare cœperam, Rudolphus occubuit. Tu feſtina, inſta fugientibus, & partâ victoriâ fruere. Henricus audito iuuene, atque agnito, quaſi ſuſcitatus è ſomno, adhuc tamen de ſuâ felicitate dubitabat. Re in caſtris nunciatâ frequentes alij confluunt ad Imperatorem velut prodigio reſtitutum. Circumfuſi lætis vocibus confirmant omnes ipſum viciſſe, Rudolphum occidiſſe, Numen ab ipſo rebellium capite orſum in omne nomen Saxonum expetiturum pænas. Henrico iam non tantùm præbenti aures, ſed vltro flagitanti narratur Aquiliferi facinus; quod hunc in modum patrauerat. *b* Diffugientibus ſocijs in aciem hoſtilem irruerat Rudolpho infeſtus, aquilæ haſtili

a *Viterb.* b *Tyr. Viterb. M. Chron. Belg.*

pro lanceâ vtens. Quandoque heroïcus animus virium, fortunæque fiduciâ conſilia cauta pro ignauis habet. Portabat iuuenem præualens equus, quo in Rudolphi cuſtodes corporis effuſis habenis euehitur. Primis, qui ſe, atque arma obiecerant, incredili celeritate proſtratis, ſequentium occupat ictus, hunc equo pulſat, illum haſtili excipit, alios ipſo audaciæ miraculo turbat. Quibus hinc, atque hinc ſubmotis infert ſe medium, & cruento telo viam ſibi ad hoſtem facere pergit, magniſque vocibus, ſi vir ſit, vocat ad pugnam. Erat Rudolphus & alijs, & illo imprimis, quod dixi, prælio clarus, quo virtutis, & armorum præſtantiâ mortem euaſerat. Tantus vir iam victoriâ, & parto Cæſaris nomine ferox congredi cum vocante non renuit. Aquilifer obſtantium perruptâ morâ procurrit in hoſtem, quem nulla ſatis virtus, nulla arma texêre. Infeſtam vexilli cuſpidem ſub eius pectus ſic fixit, vt ilia perfoderit. Concurrentibus ad opem ferendam Saxonibus, altero ictu brachium Rudolpho præciditur. Incertum, idne factum ab aliquo Saxonum imprudente, cuius ferrum ab Aquilifero declinatum peccarit in Imperatorem, an Aquilifer ipſe haſtili, quo inter conſertos iam vti non poterat, ſtrenuè in læuam tranſlato, dextrâ habilem enſem ſtrinxerit, & repetitum Rudolphum mutilarit. Certè vſum hîc etiam *a* gladio Viterbienſis auctor eſt. Mox ſurrigens aquilam Imperatoris ſanguine reſperſam, tantum aciei vel ſtuporem, vel terrorem incuſſit.

a Viterb.

Digitized by Google

vt impunè abſceſſerit Henricum retracturus ex fugâ. Proximi quique circum Rudolphum ſubſtitere, & lugubri, inconditoque clamore turbauere ſocios. Dum hæc pars Saxonum Imperatorem ſemianimem in tentorium reducit, pars altera ignara tanti caſus, emenſaque ſpatium illud totum, quod Henriciani in prælio occupauerant, caſtris eorum potitur. Quibus direptis ad ſua ouantes, prędâque onuſti redibant, cùm cognitis Rudolphi vulneribus, quorum alterum lethale, alterum deforme erat, lætitia repentè in luctum verſa eſt. Illo mox elato Martiopolim vicinum oppidum, ibique poſt paucas horas extincto conſternati diſfluxere, viſi ſibi ex victoribus victi. Ita deſerti à ſuis Aquiliferi virtus pro numero fuit. Rarum, immo ſingulare decus, vt vnius ſtantis manu fugientibus ſit parta victoria. Henricus eiuſmodi narratione, ac *a* publicâ famâ adductus, rem incredibilem vt crederet, iuuenem complęxus, inter excuſationes incredulitatis ſuæ, faſſus palàm in acie ſuâ nullum fuiſſe virum, præter ipſum; appellauit victorem vnicum, exercitus decus, Imperatoris, atque imperij ſeruatorem genium. Pollicituſque ſe memorem tanti accepti officij excogitaturum præmij genus eo non indignum, prodijt in apertum, caſtriſque reſtitutus excipitur ingenti omnium lætitiâ, ſummâque Aquiliferi laude. At Saxones compertâ Henrici incolumitate animos, quos colligere cœperant, deſpondere. Cæſar rebus in Germaniâ ſic ad votum fluentibus

a *Viterb.*

comparauit ſeſe ad bellum in Italiam transferendum. Cumque inaudiiſſet Rudolpho à Saxonibus ſtrui Martiopoli ſepulchrum regio apparatu, interrogatus cur id pateretur, *a* vtinam, inquit, inimici mei omnes æquè ſplendidè iacerent. Proreginam Italiæ Mathildem infeſtis ſignis petere ſtatuit. Ad eam expeditionem maximè conductura viſa eſt Aquiliferi virtus, vt, quo adminiculo erecta erat fortuna imperij, eodem innixa ſtaret. At ne videretur à iuuene exigere operam nouam prioris oblitus, quam præmij expertem relinqueret, venit in mentem ornare eum connubio, quale filium ipſum Cæſaris deceret. Et Conrado filio ſuo, heredique imperij ſtatuerat ſponſam eligere. Ambobus illis, quas deſponderet, circumſpicienti occurêre ſorores famâ patris illuſtres. Robertus erat cognomento Guiſcardus, Normanni nominis potentiſſimus dux, qui illatis Italiæ armis potitus Apuliâ, ac Siciliâ, nunc ad Græcorum imperium ſibi ſubjiciendum graſſabatur. Hunc ſimul vt à Mathilde armis iuuandâ deduceret, ſimul deuinciret ſibi, cogitauit filiarum eius alteram petere Conrado coniugem, alteram Aquilifero. Miſſi ad Guiſcardum oratores. Vbi cum Aquilifero actum de petendâ bello Mathilde, iuuenis audito Mathildis nomine tacitus fremuit. Tangebatur occultum animi vulnus. Æſtuare varijs intus motibus, famam Mathildis priorem conferre cum præſenti, hac impelli quidem ad bellum, ſed auocari priſtinæ virtutis, ac mu-

a *Friſing.*

tuæ neceſſitudinis memoriâ, ipſâque reuerentiâ ſexus. Vbi nutantem aduertêre proceres alij, eò magis inſtitere, iret, atque vlciſceretur impotentem puellam, generis, ac ſexus ſui probrum, inimicam conſanguinei Cæſaris, Hildebrandi præſtigiatoris amicam. His expenſis Aquilifer, etſi repugnabat animus in Mathildem ire, tamen officij ſui eſſe cenſuit Principem ſequi. Cùm denique ſe in Italiam proficiſci paratum oſtendiſſet, tanta in caſtris hilaritas, & gratulatio militum fuit, vt victoriam præciperent, triumphumque ſibi, non bellum, decretum dicerent. Inter hæc læti nuncij afferuntur Henrico de præmiſſis in Italiam copijs. *a* Coniunctas has cum exercitu penè totius Longobardiæ improuisò ad Mantuam aggreſſas Mathildanos. Victos eos, atque in fugam coniectos eodem die, quo Rudolphus ab ipſo victus occiderat. Geminâ victoriâ exultans Cæſar *b* Italiam per Boios ingreſſus, Veronam peruênit, quam in bellis Italicis ſedem armorum habuit, ac receptum. Vrbs ſplendore, ac magnificentiâ nitet, & maximè illuſtribus antiquitatis Romanæ monumentis. Ampliſſima durat amphitheatri moles, cuius exterior paries quatuor zonis inſignibus cinctus, totidem columnarum ordinibus quadruplici opere in mirandam altitudinem extollitur. Ibi ſplendidè exceptus eſt Henricus inter gratulationes ciuium vouentium, vt Romanorum veterum Imperatorum victorias, ac triumphos æquaret. Mathildis arcem ſibi in rupe

a *Bertold.* b *An.* 1081.

vltra Padum amnem incolendam, muniendamque delegerat. Canuſium arci nomen erat viſendæ ſitu, vetuſtoque opere. *a* Ad Apenninum montem in agri Rhegienſis finibus rupes eſt teres, & vndique abſciſſa, quam inter colles ſub arbuſtis latentem, & vulgò incognitam abavus Mathildis, dum venatur, forte obſeruatam amplexus erat inexpugnabili munimento. Planitiem verticis occuparat caſtello, triplicique murorum ambitu firmauerat. Subiectam vallem interfluit amnis Lencia, qui ex Apennini iugo præceps, ac torrens, inde leniore tractu ripis partim ſilueſtribus, partim cultis in vicinum Padum euoluitur. Alia quoque loca munita non pauca habebat in ditione Mathildis, quippe quæ nulli Reginarum vel opulentiâ, vel generis nobilitate cedebat. Elucebant in puellâ præſtantes corporis, animique dotes. Formæ dignitatem commendabat iuuentus, eaque rebus gerendis matura. Quamuis innupta, & vtroque parente orbata, vi mentis par erat regendæ Italiæ, quæ pleraque ei parebat partim optimo iure, partim Cæſarum beneficio. Etſi *b* Proregina Italiæ, tamen Canuſij Comes, quòd ibi plurimùm degeret, & magna Italiæ Comes vulgò appellata. Orta erat domo imprimis clarâ, vtpote quæ propinquâ cognatione attingebat Cæſarem. Erudita ſupra fœminarum modum linguas complures callebat *c* etiam latinè docta. Ad hæc pudicitiæ, pietatis, & virtutum generis omnis famâ mirificos amores nuper exci-

a *Pigna. Albert.* b *Pigna,* c *Florentin.*

tarat per Europam. *a* Nunc obtinebat quidem eandem opinionem probitatis in quorumdam animis, verùm apud plurimos, ac præſertim in caſtris Cæſaris ingenti flagrabat infamiâ. Vtri fallerentur, belli exitus aperiet. Ipſa, vbi primùm comperit in ſe comparari bellum à Cæſare, collecto ciuium exercitu auxilia externa circumſpexit, atque aduocare ſtatuit. Primus occurrit animo iuuenis Belga, quo nec cariorem habebat quemquam, nec habere opportuniorem bello poterat. Reputabat ſecum hunc genere, ac fortitudine inſignem, poſt memorabilem nuper in patriæ finibus partam ſingulari certamine victoriam, Antuerpiano limiti præfectum eſſe. Verùm ad maiora virtutis opera, præmiaque natum, &, vt vaticinio editum erat, Ducem, & inter Principes inclytum fore. Deinde quodnam eſſet illud inuſitatum decoris genus, ad quod deſtinabatur iuuenis, ſuſpenſâ mente ſcrutabatur. Certè illi nihil regium deeſſe, præter regnum. Quid ſi Dei conſilio, ac numine electus erat ad ſe iuuandam, nobilitandus inter omnes Principes reportatâ de Cæſare victoriâ? Eiuſmodi cogitationibus læta, atque animata *b* litteras dedit tum ad alios Tranſalpinos proceres, tum imprimis ad eum limitaneum præfectum, ſeu, vt vocabant tunc, Marchionem Antuerpiæ. Sub hæc acceptâ ad Mantuam clade audit Henricum acie eodem die in Saxoniâ conflixiſſe. De quo prælio incredibilia, necnon primâ fonte pugnantia affereban-

a *Lamb. Schaf.* b *Domnizo.*

rebantur; Henricum victum eſſe, & victorem; periiſſe eundem, & viuere. Verùm poſteriores nuncij celebrarunt, Rudolphum ſigniferi Henriciani manu cæſum, inuentumque in latibulo Henricum, & victoriâ ouantem aduentare. Tanti belli expectatione trepidauêre populi, qui regebantur Mathildis imperio, Longobardi, Tuſci, Ligures. Ipſa infeſtas Henrici vires iam experta ad Mantuam, tamen Henricianas omnes copias minùs ſibi timendas audiebat, quàm vnum earum Aquiliferum, admirandi roboris iuuenem. Quippe qui ad victoriam Saxonicam attuliſſet omne momentum. Contrà non ſuppeditabatur ſperatum à Tranſalpinis auxilium, nec adueniebat ille Antuerpiæ Marchio, qui vnus videbatur poſſe cum Henrici Aquilifero virtute componi. Ecce autem nuncij pleni ſtuporis ſuperueniunt Mathildi, Belgam illum Antuerpiæ Marchionem in caſtris Henrici viſum, ſub hoc militare, cum hoc aduenire infeſtum, denique Marchionem illum eundem eſſe atque Henrici Aquiliferum, cæſo Rudolpho terribilem. Obſtupuit Canuſina ad hanc narrationem. Angebatur, cùm reputaret ſibi cum eo bellatore nuper interceſſiſſe neceſſitudinem, & animorum coniunctionem ſummam, abruptam nunc iniquitate fortunæ. Ad litteras autem ſuas reſponſum deinde ab Aquilifero accepit eò acerbius, quòd intellexit profectum ab animo quidem modeſto, & adhuc reuerenti, ſed tamen prorſus auerſo. Reſpondebat is in hanc ſententiam: cur Henrico, non Mathildi militaret, ſuam

ipſa famam conſuleret; ſe quidem eâ non ſine ingenti dolore cognitâ ſuum conſuluiſſe officium. Proregina famam ſuam tandem exploratam, & cognitam quo animo tulerit, infrà prodetur: nunc illud ad eius mala acceſſit, quod certis nuncijs accepit, Liguriam totam, multoſque, vt in Longobardiâ, ita & in Tuſciâ defeciſſe, *a* ratos dominam amentem, quæ iuuenis, & innupta Cæſaris tantæ potentiæ auderet aduerſari. Hunc iunctis binis exercitibus formidabilem adeſſe, huic Germanos proceres, Italoſque ſub ſignis eſſe: quin exſpectari Guiſcardum cum Normannicis copijs, Cæſari affinitate, & armorum ſocietate iungendum. Miſſos oratores filiarum eius vnam in matrimonium Conrado Principi, alteram Aquilifero petituros. Mathildis inter hanc defectionem ſuorum, & hoſtium multitudinem non habebat, cuius ope niteretur. Cæterùm cùm tanti terrores circumſtarent, animum minimè deſpondit, cuius magnitudine ſexum vicerat. Compertâque legatione Cæſaris ad Guiſcardum de nuptijs & auxilijs orandum, ipſa contrà litteris inſtitit, vt neutrum concederet Normannus, ſed ſubſidio ſibi adeſſet, cauſæque meliori. Interim ditionis ſuæ locis valida impoſuit præſidia. Curæ imprimis fuit Canuſio prouidere, muros firmare extructis turribus, multoque milite communire. Neque enim dubitabat, quin ſummo impetu, atque odio impugnaturus eſſet principem illam arcem Henricus, in quâ ſe hoſpitem ante tres annos ludificatum fuiſſe à

a *Greg. VII. ep. 3. l. 9.*

Mathilde, & ab Hildebrando eius præſtigiatore querebatur. At Cæſar pluribus oppidis, atque arcibus vario marte tentatis in tranſcurſu, cùm, quid deſtinaſſet animo, lateret, improuisò viâ Æmiliâ progreſſus, *a* omiſſo in præſens Canuſio, petijt Romam, atque obſedit. Verùm non feſellit prouidentiam Canuſinæ, quæ eò *b* quoque præſidium validum præmiſerat. Henricus inſigni dolo vſus ad intercipiendam vrbem, prodigioſo defenſionis genere principiò repulſus eſt. Erant intus ſeditioſi nonnulli, qui ab eo facerent. *c* Per hos curauerat in ædificia Vaticana conijci ignes, ratus, quo tempore accurrerent præſidiarij reſtincturi incendium, ſe parte aliâ perrupturum vrbis portam defenſoribus deſtitutam. Et videbatur procedere res; iamque hinc lucentes flammis primæ domus peſtem vlterioribus minabantur; inde Henriciani milites muris inſtabant. Hærebantque Mathilduni ambigui, vtrò ſe conuerterent; cùm vir canitie viſendus ſuperuenit cunctantibus. Quibus miſſis ad muros propugnandos, ipſe ſolus proceſſit ad incendium. Mira dictu, viſuque res. Id ille geſtu manus vnico ſtitit, atque extinxit, ſpectatorum ſilentio primùm orto ex admiratione, deinde plurimo clamore ad inſolens prodigium ſecuto. Obſtupuere Henriciani, frementeſque id imputâuere præſtigijs Mathildani amaſij. Diu tenuit obſidio. Cuius euentum dum anxia Proregina exſpectat Canuſij, poſt lætos plures nuncios de inuictâ præſidiariorum ſuorum

B 2.

a Domniz. b Granc. c Bertold.

BIBLIOTECA ROMA

conſtantiâ, triſtes denique accepit, Romam captam eſſe. *a* Rem autem miro hoc modo geſtam. *b* Mediâ die, cùm obſeſſi pariter, obſidenteſque pugnâ, atque æſtu feſſi ſeſe ad curanda corpora recepiſſent, repentè murum Vaticanum, quà negligentiùs ſeruabatur, grandibus verberatum ictibus. Excitatos præſidiarios illuc concurriſſe. Verùm tam validâ manu interim eſſe pulſatum, vt perruptus viam dederit, quæ hominem tranſmitteret. Principiò eum, qui ingreſſum moliebatur, ruderibus, & euolutâ nube pulueris tectum, ingeſtâque telorum vi tantiſper prohibitum latuiſſe. Mox per ſaxa, & tela irrumpentem apparuiſſe iuuenem, qui murum perfoderat, læuâ ſcutum, dextrâ Cæſareum vexillum præferentem, & inſolentiâ roboris, atque audaciæ obſtupefeciſſe Romanos. *c* Hunc inſignem corporis, atque armorum ſpecie principem ipſum ſigniferum Marchionem Belgam agnitum eſſe. Accedentibus Romanis intuliſſe trepidationem haſtili illo intentato, quo nuper in acie tantam ediderat cædem. Exemplo eius, aquilâque in muro propoſitâ animatos Cæſarianorum promptiſſimos partim per eundem aditum, partim aliâ per ſcalas admotas, quà cuique proximum fuit, ſubſecutos. Ita conſternatos fuiſſe præſidiarios ab Aquilifero, vt minor moles fuerit ſocijs intrantibus muros, quàm aſcendentibus fuerat. Inde ſtragem ab eis, fugamque à Romanis factam. Tum apertam

a *An.* 1083. b *Vita Hen.* IV. *Monach. Pegau.*
c *Malmeſb. Antonin.*

vrbis portam. Verùm Cæſarem hàc ingredi dedignatum, glorioſiùs per muri ruinam, & victoris *a* Aquiliferi veſtigia ſubire voluiſſe. Ergo eius iuſſu mœnia, ampliſſimaſque duas porticus tam latè perfractas eſſe, vt exercitus ſtructis ordinibus inuehi poſſet. Ita expugnatam Romam Leoninam: poſtmodum *b* reliquam vrbem corruptis pecuniâ ciuibus veniſſe in poteſtatem. Iamque admotis copijs oppugnari caſtrum. Mathildis cùm hæc intelligeret, & Marchionis quidem illius fatali manu cladem rurſus acceptam, incredibili dolore affici, alternis odij, atque amoris affectibus commoueri, hærere anceps conſilij, quonam modo Romanæ arci ſuccurreret. Vna ratio erat, reliquas ſuas copias Romam traducere: ſed ita Canuſio, alijſque locis creari periculum videbat. Dum hæc animo verſat, ecce ad eam ſpeculator incerto vultu pauens accurrit. Nunciabat exercitum grandem improuisò conſpectum *c* in vicino agro Mutinenſi, & infeſtis ſignis Canuſium verſus tendere, duce quodam Marchione. Quàm ſubita, ac certa hæc, tam mira Mathildi viſa. Cæterùm non ſegniter irruptioni Marchionis illius, quiſquis erat, ſuſtinendæ pro viribus ſe accinxit. Raptim omnia ſtimulante fortunâ agebantur à Canuſino milite, & in quo quiſque ceſſaſſet, prodi ab ſe Mathildis ſalutem rebatur. *d* Cæſar eum exercitum clàm per Longobardiæ proceres cogendum curauerat, & in Mathildem ſubitò immittendum, vt

a *Pandulph.* b *An.* 1054.
c *Vita Anſ. Luc. Domnizo.* d *Florentin.*

belli clade preſſam prohiberet opem ferre Romanis. Marchio, qui huic expeditioni præerat, fretus ſuorum multitudine, & Mathildanorum paucitate exiſtimabat, ſe his facilè ſuperatis cum victrici manu affuturum tempori caſtro Romano expugnando. Mutinenſem agrum ingreſſus Sorbaram arcem improuiſo aduentu occupare conatus eſt: at ingruentibus tenebris circumſedit. Securus proximæ victoriæ nec foſſam caſtris circumducere laborauit, nec vallum. *a* Nox adulta erat, cùm ex aduerſo per vicinos campos Canuſinus paucorum, ſed lectorum militum globus ſignis ſilentibus aduolat. Præibat eleganti ſpecie dux expedito equo vehens, quem inſigni dexteritate flectebat. Agmine ſubſiſtere iuſſo, vt erat ſagax, & prouidens, in editum locum prouehitur. Ex hoc, atque ex tenebris Marchionis caſtra viſu facilia erant. Iacebat paſſim ſolo ſuſus miles, rari interlucebant ignes, non caſtrenſis ſtrepitus audiebatur, non vigiles in ſtationibus apparebant. Vbique ſigna præfidentis, & conſopiti exercitus. His cum curâ obſeruatis dux ſuos repetit gaudens, paruam inſtruit aciem, & ad irruptionem paucis hortatur: *b* Itè mecum, inquiebat, milites, iunctis ordinibus, atque animis. Ad hoſtis caſtra vſque pergite ſilentio: ibi vocem tollite ſubitò, & Diui Petri nomine conclamato irrumpite. Hoc ſit vobis pugnæ ſignum, omenque victoriæ. Omnes quidem iſta verba ducis, ſed plus mouerat animus, & virtus hortantis. Eius alacritatem, ac

a *Ijdem.* b *Florent.*

fiduciam, quarum notas in formoſo vultu occulebant tenebræ, declarabat viuida vox, licet ſuauis, & gracilis. Atque eo ſolo indicio feminam agnoſceres. Mathildis hæc erat puella virilis animi, & à teneris educata viriliter, *a* militiæque rudimentis imbuta. Quæ explorato conſilio, atque itinere hoſtium, *b* eodem die delectos ſuorum eduxerat. Confiſa ſuperis ſtatuerat pro opportunitate vel in arcem obſeſſam introducere ſubſidium, vel cum Marchione ferro decernere. Nunc animaduersâ obſidentium incautâ ſecuritate, ſuam occaſionem, vt erat, exiſtimauit. Ibat in eos imperterrita, ſed hoc vno tamen, quòd Marchionem peteret fortè Belgam ſuum, trepida; non metu eius, ſed caritate. Peramicum nuper, licet nunc hoſtem, odiſſe non poterat, malletque in caſtris inuenire Marchionem alium, quem armis opprimeret. At videt ſe fatali lege belli coniectam in diſcrimen, quo, niſi officium deſerere velit, perire debeat ipſa, vel eò niti, vt ille pereat. Ergo in caſtra hoſtium impetum facit. Henricianos ignoto, atque horribili ſonitu repentè excitos ſtupor primùm, deinde timor oppreſſit eò grauior, quòd incompertum eſſet, quid timerent. Nox horrorem geminabat. Attoniti neque arma, neque fugam corripere, neque omnino prouidere quidquam poterant. Strepitus, clamor, Mathildis circumſonans armis, & obuios quoſque ſternens, ſauciorum, & morientium gemitus inter tenebras omnia tumultu, ac terrore impleuerat. Nullius ſubueniente

a *Pigna.* b *Florent.*

imperio, quaſi vecordia cunctos Henricianos ceperat præter Marchionem. *a* Is ſubitò excitatus correpto ferro, ſcutoque extra tabernaculum proſiliens ſtrenui militis partes (cùm ducis iam non poſſet) explicuit. Circumuentus ab hoſtibus dextrâ, ſiniſtrâ, ſolus, atque incognitus inter tela nunc vitabundus, nunc inuadens incurſum ſuſtinuit vſquè, donec pluribus acceptis vulneribus corruit. Cecidere alij non pauci, reliqui fuſi, fugatique, & caſtra impetu capta. Arma, & ſigna militaria cum tentorijs, impedimentiſque omnibus, & quingentis equis, centuriones ſex, primores nobilitatis Longobardicæ centum, & Parmæ Epiſcopus venere in poteſtatem. Dux Canuſina tribus tantùm deſideratis campo, victoriâque potitur, & cumulatâ prudentiæ, ac fortitudinis laude. Arcem Sorbaram triumphantis more ingreditur inter plauſus, & laudationes oppidanorum liberatrici acclamantium. Tunc eius fortitudo celebrata eſt ijs elogijs, quorum alia in alijs hiſtoricis memoriæ prodita ſunt. Tres horum Mathildis familiares fuere. Primus piationum præfectus, qui prælio interfuit, prædicat *b* eam generosè ac magnificè, inſolitoque mulieribus more, & pluſquam viriliter egiſſe, nullumque ferè metuiſſe periculum. Et quiſnam, inquit, potentium vnquam exercitum ſuum, vt illa, duxit? Alter Domnizo Poeta, cuius opus hodieque extat de Proreginæ rebus hiſtoricâ fide conſcriptum hexametris, canit

a *Vita Anſ. Luc. Domniz.*
b *In vita Anſ. Lucenſ.*

Digitized by Google

Mathildem nocte, dieque bellantem claruiſſe victorijs, & nominatim illatâ Henricianis ad Sorbaram clade. Tertius Hugo, *a* meritò, ait, nominetur Virago, quæ virtute animi etiam viris præibat. Malmesbarienſis quoque ferè horum æqualis ſcribit, Mathildem armata virorum agmina egiſſe in bellum, antiquis Amazonibus non diſparem. Suppar ætate Friſingenſis prodit, eandem inſtar fortiſſimi Principis, ac velut Deboram fuiſſe. Nuperrimè Florentinus *b* non dubitàuit in hanc ſententiam magnificè ſcribere, Mathildem tranquillitati animi ſemper compoſiti iunxiſſe ſpiritus adeo militares, & maſculos, vt feminam bellicoſiorem proferre non poſſit hiſtoria. Quo nec minus dicendum putauit ſcriptor egregius, nec maius dicere potuit. Victrix Amazon inter eiuſmodi acclamationes ciuium, & luctus captiuorum, Sorbaram arcem inuecta eſt. In vultu, cultuque nihil non erat plenum concinnæ maieſtatis. Oculorum aciem viuidam ſimul ac placidam circumferebat ad venerantes, media inter reſalutantem, & dignitatis retinentem. Geſtus, habituſque corporis non exultans, ſed ita modeſtus pariter ac militaris, vt etiam captiuos in admirationem raperet. Aiebant dolendum Mathildem à mago corruptam, egregiam cæteroqui principem, & dignam, quæ pudica eſſet. At ciues, atque inter eos eques eximiâ fide Lanfrancus, prædicabant Amazonem ſuam omni genere virtutum, atque imprimis fortitudine, ac pudicitiâ præ-

B 5

a *In Chr. Virdun.* b *Memor. di Mathil.*

ſtantem, laudibus ſexus vtriuſque excellere. Illa & vituperijs immota, & laudibus maior, quàm viciſſe gaudebat, tam ſine ſanguine pro ſuâ clementiâ viciſſe mallet. Nempe magnis animis ſuccedit poſt victoriam aduerſus hoſtes victos humanitas. Habebat ſollicitam Cæſarianorum læſorum ſalus, atque inprimis incolumitas proſtrati Marchionis. Quem non apparentem, & requiri iuſſum, vbi audijt inter occiſos repertum exanimem, dolore corripitur. Id mœrorem temperauit, quòd hunc Marchionem, non Belgam Aquiliferum, ſed alium eſſe, Obertum nomine, comperit. Verùm non diuturna luctus intermiſſio fuit. Iam antè relatum erat obſcuro rumore Aquilifero illi neſcio quid funeſti Romæ in cellâ ſubterraneâ contigiſſe. Sed nihil dum creditum erat, præſertim cùm id ſit clarorum ducum fatum, vt famâ ſæpius elati reuiuiſcant. At idem deinde confirmatum eſt ab alijs. Captiui ſuper eâ re interrogati reſpondêre frementes, iuuenem fortiſſimum, cùm armis non poſſet, Romæ veneficio victum haud dubiâ Mathildani præſtigiatoris operâ. Nunc iacere moribundum, aut mortuum ex veneno, quo proſtratus ſit Mathildani illius amaſij fraude, ac flagitio pluſquam hoſtili. Voluit Proregina rei ſeriem audire, quæ à Lanfranco explorata ſic narrabatur. Marchionem Belgam, cùm nuper Romam expugnarat, perrupto muro Vaticano æſtuantem victoriâ, & labore, per muros, ac plateas, quà quemque hoſtium abſtulerat metus, perſecutum. Sanguine eorum, & ſuo ſudore madi-

dum, inhærentemque ſugientium tergis, cellam ſubterraneam ſortè ſubijſſe. Ibi latentem inueniſſe peſtem. Inde regredientem, nullo licet accepto vulnere, pallere, arma remittere, ſubmitti genu cœpiſſe, atque inter ſuorum manus, ac gemitus relatum in tabernaculum prope Tiberis ripam. *a* Mali cauſas fuiſſe has, aut vnam ex his; vinum veneno corruptum in vaſe iſthic hoſtili fraude inuentum, & ab incauto bibitum; æſtum nimium ſubito loci ſubterranei frigore irritatum; noxios denique ex Tiberi vapores. Primam illam cauſam de veneno ab Henricianis odioſè iactari, addentibus *b* eodem alios vndecim periiſſe. Certè quidem Marchionem ægritudine correptum, mox amiſſis capillis, & vnguibus deformatum, poſt febri conflictatum in ſpeciem lentâ, ſed virulentâ, perpetuâque languere. His auditis, animo ægra Mathildis extra conſpectum ſe proripuit. Lanfrancus, Domnizo, alijque familiares eius, ſicut acceptas ab Aquilifero clades grauiſſimè tulerant, ita poſtquam aut deſiturus ille mox erat, aut iam deſierat eſſe, quem timerent, egregij bellatoris calamitas inimicitiam abſtulit. Irâ in miſericordiam verſâ memorabant inter ſe, inuictum robur, & bellica opera iuuenis illius, vt virtute, ita infortunio ad exemplum inſignis. At Mathildis quantò altiùs icta, quâ vi affectuum perculſa fuerit, æſtimari non poterat, niſi à paucis intimis, qui cauſas eorum à principio perſpectas habebant. In oculis erat moribundus ille carus

B 6

a Malmeſb. b *Peganien.*

hoſtis, à quo ſumma omnia ſimul formidauerat ex diſſidio, ſimul ſperauerat ex vaticinij fide. Aſpergi quoque ſe maleficij infamiâ ſentiebat, quando præſtigiatoris, & amore capta, & vſa miniſterio ferebatur. Sic affectam, dolore non ſedato, ſed victo, Amazonem nouis curis implicuit repentinus aduentus Cæſaris Româ redeuntis. Non ambigebat hunc nocturnam cladem ad Sorbarę muros acceptam, ſi poſſet, vlturum. Ergo irati impetum vt ſuſtineret, omni ope prouidit. Verùm non iam bellum adornabat Henricus, ſed *a* in Germaniam redire feſtinabat, Romanæ arcis obſidione deſertâ. Recedere compulerat tum aduentus Roberti Guiſcardi partes Mathildanas ſecuti, tum creatus in Germaniâ nouus à Saxonibus Cæſar, in quem erat properandum. Mœſta rerum facies erat in caſtris Henrici. Pudebat receſſiſſe Româ quaſi fugatum, omni per æſtum peſtiferum amiſſo præſidij Romani milite, & ſalute Aquiliferi tantùm non deſperatâ. Nouam maculam ad Sorbaram à Mathilde ſuſceperat, & relinquebat inultam. Conradum Cæſaris filium nunquam ſatis laudatæ indolis Principem, vel maximè afficiebat valetudo Aquiliferi, amiciſſimi capitis. Erat Conradus ætatis flore, venuſtate formæ, alijſque ornamentis corporis, & animi, propter quæ Belgam Marchionem amabat, ipſe amabilis. Minima laudum eius dicenda, quòd Cæſaris filius eſſet. Natus inter ſtrepitus armorum, atque educatus in caſtris, multiſque exercitus caſibus, in ſpem

a *An.* 1085.

Digitized by Google

præclari Imperatoris adoleuit. Ab ipſis incunabulis miles, antequam præire poſſet, præfuit, triennis à patre Prorex Lothariæ Brabantinæ creatus. Hinc in Belgas beneuolentia, hinc amor in Belgam Marchionem oriri cœpit, ſed maximè conciliari ex eius ſuauiſſimo vſu, rerumque geſtarum famâ, atque adeo conſpectu. Belgæ quoque probitas ſenſim pueri Principis tetigit animum. Neque verò magis quidquam in Aquilifero laudarim, quàm quòd inter ætatis illecebras, licentiamque caſtrorum, atque exempla Cæſaris voluptatum ſtudioſi, probos, caſtoſque mores perpetuò coluerit, haud ſanè temporum iuuenis. Conradus vel monitu Bertæ matris, vel inductione animi oculos in eius virtutes intenderat. Certè quaſi effictus ad exemplum Aquiliferi, inſolens malarum artium, iam tum pollicebatur *a* probum pudicum, & magnanimum Principem, quem poſtmodum exhibuit. In venatu, in decoris armis, ac militaribus equis, non in epulis, ac voluptatibus eiuſmodi libidinem habebat. Quâ laude nulli diſſimilior erat quàm patri Cæſari, nulli, quàm Aquilifero ſimilior. Atque hæc conſenſio morum, & ſtudiorum inter eos amicitiæ non omen modò, ſed & vinçulum fuit. Is animorum nexus tantò arctiùs adſtrictus erat, ex quo per ætatem intellexerat Conradus, quid Aquilifero Cæſar, quid ipſe Cæſaris heres deberent, tantum nempe, quantum perſoluere difficile eſſet. Nimirum eo rerum cardine,

a *Vrſperg.*

Digitized by Google

quo vtrique peribat imperium, aut veriùs cum victoriâ Saxonicâ iam perierat, id Belgam cæſo Rudolpho victorem vtrique reſtituiſſe. Hinc in ingenuo Conradi pectore incaluit vis amoris ex ſenſu gratæ memoriæ, atque etiam doloris, quem amici morbus attulerat. Nullum præclaræ indolis ſpecimen omiſit amicus Princeps, aſſiduus ægri lectulo adſuit, nullique pepercit curæ. Cum medici, remedijs omnibus fruſtra tentatis, cenſerent reuehendum in Belgicam, ſi quo modo ſubueniret cælum patrium, idque Cæſar iuſſiſſet, Conradus à iuuene miſerando auelli non poterat. Verſabat animo præclara eius facinora, nec vllum præmium eſſe repenſum tantorum in Cæſarem, ac ſeſe meritorum, tamque indefeſſæ operæ ad mortis vſque diſcrimen. Iam fatali morbo conflictatum procul auectum iri, nec, vt ſigna erant, viſum iri poſthac. Inter hæc manantibus vbertim lacrymis Cæſareus adoleſcens apud ſe non erat, extremiſque implicitus amplexibus recedere non ſuſtinebat. Nec verò receſſit, niſi quando adeſſe vltrà nequijt per debitum parenti officium. Sequi Cæſarem debuit rurſus de imperio in Germania periclitantem, mouentemque aduerſus electum à Saxonibus Imperatorem Herimannum Lucemburgij Comitis fratrem, Salmenſem in Arduennâ Comitem. Eo bello princeps iuuentutis Conradus ſupra ætatem ſtrenuus multa ſpecimina virtutis edidit. Vario euentu pugnatum eſt. Debellatum denique morte Herimanni, genere, & multis Imperatorijs virtutibus clari, dignique, qui glorio-

ſiùs caderet. Eum, *a* vt fidem præſidij ſui exploraret, fortè in caſtellum quoddam hoſtili ſpecie irrumpentem femina deiecto in caput molari confeciſſe fertur. Interim Conradus nullum finem faciebat de amico Marchione cogitandi, & ſciſcitandi quî valeret. Febri eâdem continente teneri comperit magno cum incremento doloris ſui. Nihilominùs intendit animum in occaſiones ei non tantùm amoris teſtificandi, ſed etiam referendæ gratiæ. Qui Marchionem in Belgicam reduxerant, Cæſari, ac filio referebant, vidiſſe ſe feminam nomine Adelaidam, vt natalibus illuſtrem, ita corporis, animique dotibus. Formæ, ac morum dignitate ſimillimam eſſe Aquilifero, *b* cuius erat ſoror. Tam piè mœrere fratris causâ, tam venuſtè lacrymari, vt pietatem, & formam dolore commendet. Permultum illa Principi vtrique placuit, ſed aliter Cæſari, aliter filio. Pater in amores procliuis, Adelaidæ cognitâ ſpecie continuò capitur: verùm Conradi laus prima, vel in primis erat pudicitiæ propoſito amicum Aquiliferum imitari. Nec caſtiſſimo adoleſcenti placuiſſet Adelaida ore illo formoſo, niſi eo iuxtà ac probitate retuliſſet fratrem. Hoc ſororis nomine, & ſimilitudine fraternorum morum diligi meruit à Conrado. Cæſar, ſublatâ nuper è viuis Bertâ, diu coniuge carere non potuit. Multæ, ac nobiliſſimæ feminæ imminebant tantæ ſpei, fortunamque, ac nomen Auguſtæ ambiebant: at vna indole ſuâ, & Conradi commendatione præſtabat. Nec

a *Sigeb. Vita Henr.* b *Orderic. Vit.*

enim dubitem, quin hic amici gratiâ ſororem eius præ alijs ad id dignitatis faſtigium prouehere, quoad opus fuit, contenderit laudatione formæ, & virtutum apud patrem. Sed Henrico iam per ſe illa nimiſquàm arriſerat. Igitur nuptiali pompæ conſtituitur dies. In eius temporis ſolemnem lætitiam non ſatis fuit amici ſororem euehere, niſi & amicum ipſum in gradum celſiorem extolleret. In amoris, & grati animi pignus manifeſtius non aliâ ornare eum maluit, quàm ſuâ ipſius dignitate. Lotharienſis regni præfæcturâ cedere, atque exui non conſenſit ſolùm, ſed expetijt. A patre impetrauit, vt amico ægro conferretur is titulus, ſolatio, atque amplitudini futurus, ſi mortem euaderet; ſin opporteret, funebri ſaltem ornamento. Ergo Coloniæ Agrippinæ Henricus auguſtâ pompâ Adelaidam, poſtmodum Praxedem nominatam, *a* ducit vxorem, atque *b* eodem tempore fratrem eius Proregem Lothariæ iubet. Celebratæ magno apparatu nuptiæ, epulæ, equeſtreſque ludi, in quibus, vt Henrici magnificentia, ita Praxedis venuſtas, & dexteritas Conradi tenuere oculos. Inter feſtiua hilaria multus, vt fit, ſermo de matrimonijs Principum, ac nominatim de Mathilde, quæ ferebatur, præſtigiatore ſuo nuper mortuo, animum inflexiſſe ad nuptias. Plures iuuenes regio ſanguine, & virtutis opinione præclaros eam petijſſe coniugem, ſed paſſos repulſam. Vltimum aduenisse *c* Guelfonem Boiorum Ducis filium, opibus in Italiâ florentem;

a *Dodechin.* b *Sigeb. an.* 1089. c *Bertold.*

Mathildem, obfirmato ad cælibem vitam animo, hunc quoque, reieciſſe principiò, ſed credi tandem ſecum matrimonio coniunxiſſe. Conciuit id Henrico vehementem iram, cogitanti Guelfonem, & Mathildem, iam antè hoſtes ſuos, nunc conſociatis opibus, animiſque vires auxiſſe. Ergo repetere Italiam, & iterato bello vindictam in vtrumque expromere ſtatuit. Id Praxedi coniugi pollicitus eſt, minatuſque Mathildi, ſe huic erepturum Italiæ ditionem. Nimis diu mulierem armatam virilia arma tantâ impudentiâ fœdaſſe. Coacturum *a* ſe, vt pro haſtâ, & gladio colum, & acum, ſua tela, tractet inter Auguſtæ Praxedis ancillas. Secutum eſt bellum Italicum alterum, quod longè ſupra prius eminuit tum cladibus, & proditionibus, tum ingentibus aulæ Cæſareæ pariter ac Mathildanæ turbis. Henricus Italiam ingreſſus *b* Mantuam obſidet. Mox in monte vicino ſe oſtendit Mathildis cum Guelfone, & inſtructiſſimis copijs Præmonita de hoſtium acceſſu propugnationi vrbis, quoad potuerat, iam ante prouiderat. Nunc ex montis eius munimentis, in quibus caſtra poſuerat, in occaſiones rei bene gerendæ Amazon imminebat. Cum Henricianis frequenti velitatione concurrere, erumpentibus in hoſtem oppidanis ſubſidio venire, identidem nouas in vrbem ſuppetias immittere. Sed Amazoni, cui animus nunquam, fides obſeſſorum defuit in vrbe, & præfectorum in caſtris. Interim reſcierat per exploratores, cum Henrico adeſſe

a *Pigna*. b *An.* 1070. *Domniz*.

in obſidione Conradum, *a* adductâ etiam Auguſtâ Praxede. Fratrem huius Marchionem, creatum nuper Lothariæ Proregem, non comparere, ſed loco eius in Aquiliferi munus ſubſtitutum Obertum ſtrenuum iuuenem, filium Marchionis occiſi ad Scrbaram. Ex quibus colligere erat, Proregem illum Belgam vel non valere, vel etiam non viuere (quod erat Mathildi luctuoſum) alioqui cum ſorore fuiſſe affuturum. Mantua *b* diuturnâ obſidione preſſa, tandem, Mathilde nequidquam opitulari conatâ, proditione deditur *c* Henrico. Qui tantâ vrbe potitus, armorum terrore, & dolis graſſari pergit, & agrum omnem Mathildanum populari cis Padum. Hîc præter Mantuam, loca valida, Gubernulam, & Ripaltam capit. Inde vltra Padum obſeſſa Mineruia in deditionem venit. Sub hæc copijs maximam partem in hyberna dimiſſis, reliquas, vt ſatis valentes, traiecto flumine Mathildi propiùs admouet. Quibus cognitis illa ſuam occaſionem rata, nihil cunctandum cenſuit. Vocat Hugonem è præfectis vnum, & præfata ſe eum exploratæ fidei, virtutiſque virum elegiſſe, vt vinceret, aperit occaſionem, conſiliumque ſuum de hoſte opprimendo. Committit ei delectos mille viros, copiarum florem, & ſilentij fidem, celeritatemque commendat. Ille omnia pollicitus, nihil præſtitit. Clàm ſtudebat Cæſari proditor, cui rem pateſecit, ſpatiumque dedit conuocandi copias maiores, cum quibus Henricus adortus Mathildanos partim cecîdit,

a *Gerhohus.* b *Domnizo.* c *An.* 1091.

partim captiuos abduxit, paucis fugâ in vicinum nemus elapſis. Primo deinde vere perrexit terras Mathildis, ac Guelſonis ferro, flammâque vaſtare. a Monte Maurello, atque Alfredo, munitis oppidis, in poteſtatem redactis ad Montem Bellum magni momenti vrbem admouit exercitum. Mox adeſt Mathildis, conſidet in propinquo, & Henrico nequidquam impedire conato, præſidium in muros immittit. Horum virtute, Mathildiſque prouidentiâ tracta eſt in totam æſtatem obſidio. Ecce autem in caſtra Cæſaris venit primùm fama magni auxilij, mox exercitus numeroſus duce viro potente, Cæſaris amico, & ingentis eâ tempeſtate nominis, Giberto. Hinc terrefacti non pauci Mathildani. Quamprimum de pace, ſi quo modo obtineri poſſet, agendum cenſebant; ad quam & reliqui propendebant belli ærumnis preſſi. Videbaturque Proregina tanquam neceſſariam debere in votis habere. Cæſar quoque pacem optabat. Obtulit Mathildi capta à ſe loca omnia, ſuamque in poſterum beneuolentiam, ſi modò illa animum induceret pace conſtitutâ inire cum Giberto gratiam. Vetus erat inimicitia, ac dimicatio Giberto cum Mathilde. Quæ licet hominem multis, magniſque de cauſis auerſaretur, tamen vt Cæſari, populiſque ſatisfaceret longi belli pertæſis, non recuſauit cœtum virorum ſapientium conuocare Carpinetum ad conſultandum de pace. Interim ad Montem Bellum ab armis vtrinque ceſſatum eſt, liberioreſque

a *An.* 1092.

partium inter ſe congreſſus, ac ſermones inſtituti. *a* Sub id tempus eques ignotus, certè cuius plurimùm intererat non innoteſcere, ea caſtra verſus contendit. Copias habebat ſequentes: ſed cùm iter præcipitaſſet, aduentumque, & conſilium ſuum neſciri vellet, credibile eſt eas nec tam citò ſequi omnes potuiſſe, & iuſſas nunc hærere eminus in locis ſaltuoſis, nunc ſparſim procedere auijs, nocturniſque itineribus ignoratas: ipſum verò cum paucis delectis præceſſiſſe cultu corporis ad latendum appoſito. Ingens equiti ſpecies, ſpiritus ingentiores erant. Vultus optimus, ſed incertus, vt iuuenis commoti, moderantiſque animo quidem, violentiſſimos affectus, dolorem, iram, amorem non ſatis prementis, & vaſtum aliquid meditantis. *b* Moliebatur is priuatis copijs rem vix totius Europæ viribus conficiendam. Nunc huic conſilio, cui numquam par extitit, moram iniecerat atrox, quâ prouocabatur iniuria. Hanc vlturus, & iram effuſurus in nocentem, aduenerat. Intentus in occaſionem vltor (ita nunc appelletur) nec Mathildis Caſtra, nec Henrici ſubijt. Cupidus latendi æquè ac reſciendi, quid in vtriſque ageretur comites modò huc, modò illuc mittebat exploratum. In hoc numero habebat *c* Tironem nobilem eximiâ in ipſum caritate, ac fide, cuius operâ in primis vtebatur. Tiro in vijs, ac diuerſorijs, vt quemque acceſſerat occulto ſermoni idoneum, exprimere aliquid ad rem ducis ſui tentabat, dexterè illato colloquio nunc de Hen-

a *Order. infrà.* b *Lipſius.* c *Helmold.*

rico, & Giberto, nunc de Conradò, & Praxede, aliàs de Mathilde. Atque, vt perſonam tegeret meliùs, & attentione ſuâ, quæ cupiebat ſcire, proliceret, etiam quæ non neſciebat, narrari ſibi ducto longè principio ſinebat. Audijt Conradum è caſtris parentis diſceſſiſſe: Auguſtam quoque Praxedem abeſſe. Illum in Allobroges miſſum: hæc quo profecta eſſet, vulgò neſciri. De Henrico, Giberto, & Mathilde ab alijs alia, eaque diuerſiſſima, pro ſtudio partium, narrabantur. Henriciani prædicabant ſummopere Henricum, & Gibertum: de Mathilde verò aiebant præſtantem antè virginem, nunc ita tranſuersùm actam à mago corruptore, vt dubitari poſſit, an non & ipſa venefica ſit. Certè nuper ſagarum modo, cùm Canuſij eſſet, ſublimè per aërem tranſlatam procul ad militem ſuum nomine Lanfrancum bello captum, eumque mirabili modo vinculis liberaſſe. Hæc audita Tiro cùm duci ſuo retuliſſet, mouit ſummopere animum eius, iniecitque cupidinem Lanfrancum ipſum eâ de re, atque alijs audiendi. Nec difficile fuit Tironi occaſionom alloquij nanciſci per eas inducias. Erat *a* Lanfrancus, cognomine Piola, vir equeſtris ordinis, fortitudine, & fide in Mathildem inuictâ clariſſimus. Cui cùm ſe inſinuaſſet vrbanè Tiro, poſtquam recenter ſe cum ſocijs aliquot militiæ gratiâ adueniſſe in Italiam ſignificaſſet, alia ex alijs de belli Italici cauſâ, & progreſſu ſciſcitatur. Captus Lanfrancus indole adoleſ-

a *Vita Anſ. Luc.*

Digitized by Google

centis hoſpitis, quâ præſtantiorem pro eâ ætate non viderat, ſtuduit eum cum ſocijs, vt ſolebat alios, Mathildanis partibus adiungere. Non poſſum, inquit, tuis interrogationibus pleniùs ſatisfacere, quàm ſi breuiter à principio repetam originem diſſidiorum Mathildis, ac Cæſaris. Quare ſi tibi non eſt moleſtum, nihil mihi iucundius accidere poteſt, quàm inuictæ Principis meæ res euoluere hoſtium mendacijs obſcuratas. Per ſibi gratam fore eam narrationem cùm verbis, vultuque oſtendiſſet Tiro, in hunc modum inſtituit loqui Lanfrancus. *a*

Occidentis Cæſares (vt non neſcis) tria regna tenent, Germanicum, Italicum, & (vt ſic appellem) Belgicum. Hoc poſtremum, quod inter Scaldim, Rhenum, Moſamque porrigitur, olim Lotharius Rex de ſuo nomine Lothariam dixit. Lotharingia quoque, hoc eſt Lotharij regnum, vulgò nuncupatur. Ex his regnis Germanicum Cæſares per ſe regunt, Italicum & Belgicum per Proreges, quos Duces appellamus. Belgicum nunc tributum eſt in duas partes, quarum ſuperior Moſellana dicitur, inferior Brabantiam complexa nomen *b* Lotharingiæ, & Lotharienſis regni propriè retinet. Pater *c* Mathildi fuit Bonifacius Italiæ Prorex, ſiue Dux, & Italici nominis longè princeps, è veteri Longobardiæ Regum ſanguine per Marchiones Tuſciæ oriundus: mater verò perinde clari generis

a PRIMORDIA *Malthildis, & Godefredi Bullionij.* b *Lamb. Sch. Fulch. Carn.* c *Domniz. An.* 1046.

Beatrix, Friderici ſecundi Moſellanorum Ducis, & Barri Comitis filia, Cæſaris Henrici Nigri conſobrina. Beatrix enim, & Niger erant nati ſororibus, Beatrix Malthilde, Niger Giſlâ, vtrâque filiâ Hermanni Sueuiæ Ducis, & Gerbergæ, quæ Conrado Burgundiæ Rege, &Mathilde Francicâ genita erat. Cæterùm Nigri filius Henricus Cæſar hodiernus Beatricem reuerentiâ ætatis appellare amitam ſolitus, Amazonem verò Mathildem vocitare conſobrinam. Bonifacio Prorege viuis erepto coniux Beatrix videns ſe cum teneris liberis (duos præter Mathildem ſuſceperat) tanto præſidio deſtitutam, denupſit Belgæ famâ virtutis clariſſimo Godefredo Lothariæ inferioris, ſeu Brabantinæ Proregi. Cum quo profecta in Belgicam, filio eius Gothiloni deſpondit Mathildem tunc nouennem. Ibi in frequenti procerum coronâ ſpectaculum præbuere iucundum pueri ſponſi, ſed in quibus nihil erat puerile præter annos. Occaſio ſe dederat patefaciendi in eâ ætatulâ liberalis animi. Ad piam quandam parentis vtriuſque *a* donationem firmandam euocati prodiere, ſpecie, & modeſtiâ, nec non hilaritate conſpicui. Pares erant annis, ſimiles indole, & mentis vigore, at non itidem habitu corporis. Mathildem commendabat dignitas formæ, in quâ iam tum nihil non amares. Gothilonem infra eam deprimebat corporis breuitas, etiam in puero notabilis, ſed non inelegans, niſi quà gibbus acceſſerat. Verùm incedebat veſtigio

a *Donatio Florinen.* 1055.

ita compoſito, eâque viuidæ indolis lætitiâ, vt promicantibus è vultu dotibus animi à corporis dehoneſtamento mentes, oculoſque ſpectatorum ſtatim auerteret. Proceſſerant in medium ſponſi nexis inter ſe manibus, quas mox diſiunctas ritu gentis admouêre tabulis donationis, toto ore renidentes. Non dubitares ideo lætari par nobile, quod conceſſum eſſet iam tum munificentiæ piæ ſpecimen dare, quo genere laudis, vti & cæterarum, poſtea claruere. Cæterùm hæc fœdera gemina, quæ Beatrix crediderat ſibi, ac Mathildi præſidio futura, tempeſtatem exciuere protinus. Reuertens è Belgicâ cum Mathilde filiâ, & anu matre nominis eiuſdem, *a* Auguſtum Nigrum conuenit, Italiam ingreſſum. Feminæ Principes Cæſarem propinquâ cognatione attingentes, inuiſenteſque officij causâ, nihil ſibi timendum in eius aulâ putauerant. Verùm frigidiùs exceptæ, mox cinctæ corporum cuſtodibus intellexere ſe eſſe *b* captiuas. Percuſſit eas alter dolor, cùm reſciuere profectos iuſſu Nigri Canuſium ſatellites, qui *c* tenerum Principem Mathildis fratrem Bonifacium quærerent, captumque ſorori coniungerent. Cumulauit ærumnas acerbior nuncius. Bonifacius puer, & ſoror paruula Beatrix turbati captiuitate matris, ſororis, & auiæ, exinde correpti morbo diem obierant. Ad hæc peracerbum illud nunciatur, ſuſcitatas in Germaniâ, & Italiâ factiones in Godefredum Proregem, ac Gibberum filium: arceri illum ingreſſu Italiæ, vtrumque

a *Herm. Cont.* b *An.* 1054. c *Pigna.*

Digitized by Google

vtrumque de fortunis, ac ſalute periclitari. Tantis captiuarum doloribus cumulus acceſſerat, quòd non ſatis intelligerent, quâ de cauſâ, aut quo auctore impulſus Niger hæc deſignaret in propinquas. Et verò primarius conſilij auctor is erat, quem minimè crediidiſſent. Ventitabat ad eas honoris ſpecie iuuenis, inter Cæſaris proceres & gradu, & aulicarum artium peritiâ longè primus Gibertus. Is Parmæ natus nobili Corrigiorum familiâ, quæ principatum eius vrbis aliquando tenuit, adoleſcens paternâ domo emigrarat ambitioſâ indole tractus ad aulam Cęſaream, eminus neſcio quas ſpes, & inuſitatum decus oſtentantem. Ibi *a* ingenio, doctrinâ, facundiâ ſpectatus, probus quoque habebatur; quippe qui non tantùm mores probauerat mirâ calliditate, ſed & hanc ipſam, prudentiæ ſpecie. Apud Nigrum primùm, deinde apud Auguſtam viduam, ac poſtea apud filium Henricum, gratiâ, & ſummâ auctoritate floruit. Probitatis ſectator accuratus videri palàm ſtudebat, non perinde clàm eſſe. Veſtem quoque profanam exuerat, at non vnà mentem. Cæterùm licet pullatus, profitebatur virtutem non ſeueram illam, ſed elegantiâ, & molli quâdam ſuauitate condîtam. Nullus eo munditiarum, nullus ſtudioſior formæ ſuæ, nec, quatenus tutò poterat, *b* amantior alienæ. Hinc in aulâ nitere cultu corporis, incedere cum ſplendore, ac pompâ quâdam comitatus, ſuper omnia ſolertiſſimè blandiri omnibus, etiam quibus malè

C

a *Domniz.* b *Idem.*

Digitized by Google

vellet. Sæpius captiuas Principes inuiſebat velut conſolaturus, & doliturus ſortem, cuius erat auctor; quippe cuius conſilijs nihil non agebat Cæſar Niger. Cauſa captiuitatis fuerant nuptiæ, & ſponſalia nupera cum Belgis, quorum potentiam in Italiâ metuendam Cæſari dicebat Gibertus, ipſe certè metuebat, non tam Cæſaris causâ, quàm ſuâ. Nempe qui occultis machinis id agebat, vt redux in patriam ſine tantis conſortibus imperitaret Italiæ. Cæterùm non iiſdem oculis aſpiciebat Mathildem, quibus Principes anus, homo amoribus inhæreſcens, tametſi ita cautè, vt diu apud plurimos feſellerit pro pudico. Florentiæ a deſponſa erat Henrico ſexenni Berta Ottonis Italici Marchionis filia. Magno apparatu acta res, magnoque omnium gaudio, niſi captiuarum. Fortè iacebat Mathildis in ſinu auiæ, lacrymaſque cum eâ miſcebat, aſſidente mœſtâ matre, cùm ad illas admitti Gibertus rogauit. Poſtquam dolentibus ſimilis mirâ calliditate ita ſolatia adhibuit, vt quærere videretur, Mathildi delicias facere inſtituit. Nempe cuius formam amabat, at nondum indolem pernorat. Virginem blandè intuitus rogauit, vt, carorum duorum funerum memoriâ tantiſper omiſsâ, parceret formam lacrymis corrumpere. Eſſe cur erigeret animum, vnica iam paternarum, ac maternarum omnium, non virtutum modò, ſed & opum heres. Mathildis primam conſolationis partem moleſtè, alteram etiam indignè tulit. Demiſſi

a *Lamb. Sch. Bertol.*

verecundè in terram oculi primùm, deinde ſublati ad matrem rediere. Subiecit paulò pòſt generoſo quodam ſpiritu: vtinam non tantùm hereditate totá, ſed & ſanguine mihi redimere licuiſſet cara funera, matriſque, & auiæ libertatem. Promiſit Gibertus, quod ſolebat, at quod nunquam præſtabat, operam omnem ſe daturum, vt quamprimum liberarentur. Cæterùm ſenſerat Mathildem non capi laudibus ſuis, nedum pati verborum lenocinia, mollemue petulantiam oculorum. Ergo, vt eam ſibi demereretur, aliò ſe conuertit. Conſolationis ſpecie nunc apud matrem Mathildis prædicare laudes eius inſtitit, nunc apud auiam, quam ſciebat audita repetituram nepti vel inuitæ. Primùm virginis excellentem formam extollebat, ſed eâ arte, tanquam ipſe præteriret. Dicebat non eſſe ſuum de formis ferre ſententiam, ſed audiiſſe ab alijs, qui ad aulas Europæ primarias profecti eſſent, Mathildem nulli Principum virginum cedere oris dignitate. Et verò ex quo in aulâ Cæſaris apparuerit illa vel in captiuæ habitu, cæterarum decorem ſuo velut extinxiſſe. Amari ab omnibus, quantumuis placere nolit, nihilque conferat ad ſui amorem, niſi eas dotes, quas celare non poſſit. Nihil in eâ affectatum, nihil ſtudioſè comptum, at ineſſe quiddam ori diuinum, quod ſupra naturæ vires animos rapiat. Hæc alios prædicare. Iam quod ab ipſomet dici poſſet, ac deceret, in Mathilde miraculum formæ minimam eſſe laudum: corporis venuſtatem longè cedere animi præſtantiæ. Se,

Digitized by Google

ex quo penitùs eius mentem colloquendo inſpexerit, ita ſentire, ſi virginis vllius animus formoſus vnquam dici potuerit à præcoce excellentiâ ingenij, prudentiæ, generoſitatis, pietatis, & virtutum omnium, haud dubiè Mathildi talem ineſſe. Id vnum dolere omnibus tantæ pulchritudinis virginem adoleſcenti Gibbero eſſe deſponſam. Hæc, & ſimilia Gibertus identidem garriebat; cæterùm comperit Mathildem nullâ ingenioſæ nequitiæ arte vincendam, horrereque denique cœpit intractabilem, vt appellabat, virginis animum. De finiendâ captiuitate Principum nulla iam mentio. E contrario iubentur hæ præſto eſſe ad Germaniam cum Cæſare repetendam. Eò ducebat copias Niger aduerſus Godefredum, & Gothilonem Gibberum, qui offenſi vxoris, & ſponſæ captiuitate arma ceperant, quibus compellerent Cæſarem vel exire Italiâ, vel captiuas dimittere. Nec fortiùs bellum capeſſiuere, quàm feliciùs. Niger rebus malè cedentibus, dolore, mox & morbo correptus, paucos poſt dies *a* extinguitur. Vidua Agnes funere ſubito territa, & cæleſtem vindictam ob inhumanitatem in captiuas conſanguineas interpretata, quidquid Gibertus contrà niſus fuerit, ſolui Principes cuſtodiâ iuſſit. Quæ gratijs actis Auguſtæ, ſalutatoque Henrico filio ſeptenni Cæſare, repetiere Italiam. Beatrix experta hoſtes eſſe, vbi minimè timeantur, cenſuit Mathildem ijs artibus imbuendam, quibus ipſa ſibi præſidio foret. Er-

a *An.* 1056.

go Canuſij virginem *a* educat viriliter, nec ciuilibus ſolùm, ſed & militaribus diſciplinis excolendam curat. Puella nobilis, pro eâ, quâ iam tum erat, ingenij maturitate, præcepta virtutum, & artium celeriter hauſit. Præter ſexus ſui opera equum conſcendere, peragrare ſaltus venando, arcu tela dirigere, gladium, haſtamque torquere, aciem inſtruere, ac ducere. Quæ quàm præclarè didicerit in vmbrâ illâ domeſticâ, res in campo geſtæ mox oſtendêre, cùm cœpit arma tractare in Gibertum. Is munus imprimis ſplendidum gerebat in aulâ Cæſaris. Poſt mortem Nigri gratioſus apud viduam Auguſtam, cum eâ cuſtos erat pueritiæ Henrici filij. Principiò placebat ſibi, & applaudebat in hoc officio. Admotus ſolio, & rector Cæſareæ pueritiæ, videbatur ſibi quiddam Cæſaris obtinere. Verùm homo ingenio vaſro, & audaci, nec vnquam quantacumque ſorte contentus ardebat cupiditate repetendi patriam, & in Italiâ dominandi. Libidinem imperandi cauſam turbarum, & belli habuit. Conuenit Auguſtam, & exponit operosè, niſi maturè caueatur, Henricum filium de imperio periclitari in Italiâ, non tam ab externis Normannis, quàm ab ijs ipſis, quorum procurationi, ac tutelæ id regnum commiſſum ſit. Mathildis potentiam augeſcentibus in dies viribus metuendam eſſe. Nempe malle eam ſuo, quàm alieno nomine imperare, iamque nolle regi à Cæſare, qui nondum ſeipſum per ætatem regere poſſet. Non de nihilo eſſe, quòd à

a Pigna.

pueritiâ militiæ rudimentis imbuatur tum ſuâ, tum matris voluntate, nempe imperij cupiditate flagrantium. Ideo fœderibus arctiſſimis Proregi Godefredo, filioque Gibbero coniunctas. Meminiſſet Auguſta eum eſſe Godefredum, qui non ſemel arma ceperit in Cæſarem Nigrum. Quo mortuo Beatricem quidem libertati, & Godefredum eius virum gratiæ Cæſareæ reſtitutum ab Auguſtâ, ſed (ſi per eam dicere liceat) quanto periculo imperij? Modò per occaſionem pueritiæ Cæſaris conatum eſſe Stephanum Pontificem *a* creare Godefredum fratrem ſuum ex Prorege Regem Italiæ, vt nempe imperium deinceps heredibus Gibbero filio, Mathildique obueniret. Nunc ſucceſſiſſe Stephano in Pontificatum, eandemque molitionem Nicolaum II. nimirum operâ Godefredi electum, Romamque perductum. Quare tempeſtiuè obuiam eundum ambitioni, ac furori. Se, ſi Auguſtæ videatur, petiturum Italiam, & quidquid erat in eo negotio molis, ac periculi ſubiturum. Denique ab Auguſtâ credulâ impetrauit munus Italiæ Cancellarij, ſeu præfecturam iuris, vt ſcilicet ibi ius daret ſceleri, & cuncta miſceret. Profectus Romam, ſub tempus, *b* quo Alexander eius appellationis ſecundus Romanus Pontifex renunciatus eſt, electionem non probauit optimi viri. Nempe Gibertus ita probus homo eſt, vt probitatem aliquam nimiam putet. Non cenſet is quidem, quâ moderatione eſt, palàm cupiditatibus ſeruiendum, ſed indul-

a *An.* 1057. *Oſtienſ.* b *An.* 1061.

Digitized by Google

gendum tamen. Ergo adductis in ſuam ſententiam multis ſui ſimilibus (ſi tamen ſimiles habet, nequitiâ princeps) *a* vſque eò in aulâ Cæſaris, & Baſileæ in comitijs connixus eſt, vt alius nominaretur Pontifex, qui Alexandro illo ſeuero mollior Longobardis ſuis, alijſque in voluptates pronioribus non terrori eſſet, ſed paternè indulgeret ſcilicet. Cadolus erat Parmæ Epiſcopus, Giberti ciuis, vetuſque familiaris. Non alius ſummo Pontificatu dignior viſus, vt pote inter homines illius humanæ imbecillitatis conſcius imprimis, & particeps. Huic adulterino Pontifici, Gibertoque ſuo repetentibus Italiam cum militari, & ſplendido comitatu plerique procerum Italorum vel fauerunt, vel non auſi ſunt aduerſari. *b* At Mathildis cum matre obſtitit, & ingreſſu finium ditionis ſuæ interdixit. Nihilominus cùm illi porrò accederent, magnanima virgo, quam nunc inuerecundiæ inſimulant, in illum pudicum gregem arma cepit, non modò ſuæ, ſed & publicæ libertatis vindex. Dixerim ijs de morum honeſtate, ac pudicitiâ fuiſſe certamen, quam impugnante Giberto propugnarit Mathildis. Quæ collatis ad Parmam ſignis repreſſit impetum, & iter hoſtium, vicitque tantâ ſuâ gloriâ, quanto Giberti, Cadolique dedecore. Irâ percitus in Mathildem Gibertus, vindictæ ſtudio ardebat, ſed aſtu feliciùs pugnaturus, quàm armis. Spe deiectus, ſtabiliendæ Pontifici ſuo in Longobardiâ ſedis, ſperauit rem melius Romæ ſucceſſuram.

C 4

a *Cardin. Aragon.* b *An.* 1062. *Pigna.*

Eò profectus cum Cadolo repentè ſe, & exercitum muris oſtentat, factâque cæde caſtra in pratis Neronianis locat, æmulus Neronis. *a* Mathildis cum copijs validis ſequebatur. Romam præceſſerat Belga Mathildis vitricus Prorex Godefredus, Alexandro Pontifici, qui iſthîc agebat, præſidio futurus, dum interim filius Gibber in Belgicâ rerum ſatagit. Is Prorex tantiſper diſtulit Gibertum adoriri, Mathildem cum agmine venientem operiens. Quâ appropinquante eruptionem fecit, Gibertumque veritum, ne ab tergo intercluderetur, in fugam coniecit, multis hoſtium partim cæſis, partim flumine hauſtis. Dedecus Giberti cumulauit, quòd ſub id tempus Germaniæ proceres, non ferentes Cæſarem, atque imperium à feminâ regi, & ab homine Parmenſi malorum omnium auctore, Henricum matri, Gibertoque ſubduxere. Ille ſimul cuſtodiâ pueritiæ Cæſaris, ſimul titulo Cancellarij in Italiâ, & præfecturâ iuris exuitur. Coactus in ordinem vir ſuperbus ad priuatam, inhonoramque vitam recidiſſe impatientiſſimè tulit. Cæterùm peruicax, Cadoli pecuniâ reparatis copijs, clàm communicato cum aliquot Romanis ſeditioſis conſilio in vrbem Leoninam peruadit. Eſt hæc pars vrbis cis Tiberim ad Vaticanum, quam pro munimento ſanctæ Sedis operibus egregijs firmauit Leo IV. & de ſuo nomine appellauit. Mathildis audito Giberti facinore vitricum Proregem, qui in arce Romanâ Pontificem Alexandrum tutari pergebat, certiorem fecit ſibi in

a *An.* 1063. *Pigna. Florentin. Pet. Damian.*

animo eſſe Gibertum in vrbe Leoninâ adoriri. Quare ad operam conſtituto die conferendam paratus, intentuſque eſſet. Adeſt deinde ipſa cum matre, & impetum in Gibertum facit, egregiè auxiliante Godefredo. Non ſuſtinuere vim vtriuſque Gibertini. Fugâ elapſus Gibertus recurrit in Germaniam, coràm docet adoleſcentem Cæſarem, quo ſtatu Romana res ſit, queritur vnius puellæ opibus, atque operâ totam miſceri Italiam. Satis intellexit Henricus, irâ, & pudore exprimi eas Giberto querelas, nec præbuit tunc aures vindictam depoſcenti. Miratus eſt autem egregiam indolem conſobrinæ Amazonis, quam a in Normannos quoque pòſt paulò feliciter pugnaſſe audijt. Gibertus, licet non auditus à Cæſare, & mox etiam deſertus à Cadolo, non tamen reſipuit. Tot probris reſtingui non potuit furor hominis nihilo magis irâ, quam ambitione flagrantis. Stimulabat animum inſana cupido adipiſcendi ſummi faſtigij, quo ſe dignum credebat, & credi volebat. Eò vt perueniret, gradus, & modos commentus, deſtinata exequi ſic aggreditur. Cùm videret armis adhuc rem non proceſſiſſe, aliâ viâ ad opulentiam, potentiamque ſummam aſpirare ſtatuerat. Primùm omnium ad ſuas artes ſe recipiens fingit ſe factorum pœnitentem, Alexandroque, & Mathildi placatum, addictumque. In eum vultum compoſitus Agnetem Auguſtam conuenit, quæ exuta filii tutelâ, & aulæ pertæſa, ſanctioris vitæ ſtudio Romam ſe receperat. Summâ reli-

a An. 1066.

gionis ſpecie obtinet ab eâ commendationem, vt ab Alexandro creetur Rauennatium Archiepiſcopus. Pontifici illum ipſum, quem vultu ſimulabat, animum probare nititur; temporum vitio, non ſuo, ante peccaſſe aſſeuerat; in fide poſthac, officio, ac ſanctæ Sedis auctoritate permanſurum ſpondet. Ita dexter omnes ſimulationis partes, atque obſeruantiæ imitationem obijt, vt omnibus impoſuerit, niſi Alexandro. Senſit Pontifex peſſimum hominem non tegere venenum, niſi vt pernicioſiùs vomeret; abnuitque principiò concedere, quod petebatur. Verùm ſollicitatus multis precibus Auguſtæ, cuius magna erant in Eccleſiam merita, verituſque ne Gibertus repulsâ exaſperatus noceret magis, inuitus denique conceſſit. Cæterùm inter *a* inaugurandum Gibertum dixit vaticinabundus *b* SE A MORTE PROPIUS ABESSE, AT EUM GRAVES ULTRICI ECCSESIÆ PERSOLUTURUM POENAS. Alexandro è viuis ſublato Gregorius VII. ſubrogatur. Venio nunc, hoſpes, ad diſſidium inter Cæſarem, & Mathildem exortum concitatore Giberto. Venio, inquam, iſtuc, & quaſi proſilio: nobis paulò pòſt via pedetentim relegenda erit, vt diſſidii illius cauſa manifeſtiùs perſpici poſſit. Eſt Henrico Cæſari magna vis animi, ingeniumque præferuidum, & ad arma pariter voluptateſque procliue. Indolis propenſioni iam inde à teneris acceſſit materna indulgencia, & perpetuum aularum malum, adulatio. Puer

a *An.* 1073. b *Card. Arag.*

Digitized by Google

rerum potitus bonus Princeps eſſe potuit, niſi incidiſſet in malos. Horum, atque imprimis Giberti conſilijs modò lenocinantibus fluxit mollitijs adoleſcens Cæſar, modò animum inflantibus bellicam famam cœco quodam impetu quæſijt. Vbi ad iuuentæ florem acceſſit, auidus gloriæ, & quietis impatiens, palàm aliquando conqueſtus eſt, in imperio ſuo non eſſe, in quos vires experiretur. Inde Saxones, bellicoſam gentem, contumelijs, & armis adortus, Germaniam longo bello implicuit, & factis grandem ſibi peperit vel famam, vel inuidiam. Collatis ſignis cùm viciſſet, eò implacabiliùs habuit victos. Hinc alienati animi etiam non victorum. Sueuiæ Dux Rudolphus, cuius imprimis operâ vicerat, & Saxoniæ proceres in celebri conuentu decernunt Henrico abdicato alium creare Germaniæ Regem, niſi ille ante præſtitutam diem pœnitens, atque expiatus ſatisfaceret populis. Sub hæc Germanis certatim deficientibus conſternatus Henricus ſe reſpexit, & fortunæ remedium. Datis ad conſanguineam Mathildem litteris, quibus eam arcani ſui conſilij admonebat, & vt opem ferret, orabat, dedit ſe in viam per Alpes. Vbi immenſis defunctus periculis (quæ non illibenter, opinor, infrà intelliges) Canuſium denique peruenit ad Mathildem. Relicto foris omni comitatu, & maieſtatis inſignibus ingreſſus, intra ſecundum murorum ambitum ſubſtitit. Portâ mox clauſâ latuit quid agitaretur, omnibus foris rei exſpectatione ſuſpenſis. Abit dies

C. 6

vnus, alter, tertius: Cæſar non exire, homines magis, magiſque rumore crebreſcente mirari. Gibertus Rauennâ cum aliquot proceribus venerat Rhegium Lepidi, proximam Canuſio vrbem. Indignè ferens Cæſarem antehac conſilijs ſuis plurimùm vti ſolitum, nunc ſe non audito præbere Mathildi aures, ſecretum Canuſini hoſpitij explorare conatur. Quo denique comperto, mox ſparſis per ſe, ac ſuos rumoribus ingentem ſeditionem commouet. Iactabant Henrico ad aſſerendam dignitatem opus eſſe armatâ virorum manu, non feminæ conſilijs, atque artibus. Licet ea vulgò fida, ac proba putetur, pro ſexu mutabilem eſſe, &, vt indicia iam erant, famæ non reſpondere mores. Certè ab eâ foueri Canuſij latentem hoſpitem Cæſari metuendum. De eo hoſpite cùm alia multa, tum illud narrabant Hildebrandum eſſe fabri filium, & præſtigiarum architectum, a quem quondam Henricus Niger Cæſaris parens ab aulâ dimiſiſſet, ſomnio turbatus. Hildebrandum enim, cùm è fabrili officinâ ad ſcholas tranſijſſet, & in litteris non paruos progreſſus feciſſet, veniſſe ad aulam Cæſaris Nigri. Hîc ab eius filio Henrico puerilibus iocis, & contumelijs eſſe vexatum. Parenti Nigro deinde obiectam in quiete ſpeciem eiuſmodi. Hildebrandum in capite habentem geminum cornu viſum adſtare Henrico filio, eumque arietare, & in lutum dejicere. Turbatum hoc oſtento Cæſarem carceri incluſiſſe Hildebrandum, at

a *Gobelin. Perſona.*

Digitized by Google

deinde rogatu Agnetis Auguſtæ dimiſiſſe. Hunc verò facinoroſum hominem prouectum ardore vel ſcientiæ, vel vindictæ *a* operam dediſſe artibus magicis: magiſtro vſum Laurentio maleficorum principe: cum hoc in ſiluas, & vmbroſos receſſus ſe abdere ſolitum. Infandis ijs præſidijs ad familiaritatem Mathildis, atque ad honores adrepſiſſe. Porrò verendum eſſe, ne, vt ſe dederant initia peſſimis artibus infeſtus Henrico nitatur implere ſomnij fidem. Interim malè cautum Henricum crediſiſſe ſe Mathildi amicæ Hildebrandi, & Canuſij cum ipſo Hildebrando verſari. Quin Cæſarem in illo latibulo magico eò eſſe adductum fraudibus, vt indigna maieſtate committeret. Nempe ad opem in Saxones impetrandam Cæſarem (prô pudor) accidiſſe genibus non tantùm feminæ, ſed etiam magi. His, atque huiuſcemodi in vulgus ſparſis ingens ſuprà quàm cuiquam credibile ſit, *b* odium Cæſari ipſi conflatum eſt. Fremere proceres, populus tumultuari. Henricum, quem nuper in Italiam aduenientem frequentes maximo honore ſectati erant, nunc, vbi Caniſio digreſſus eſt, auerſis oculis, infeſtiſque animis deſerere, atque vrbium ingreſſu prohibere. Adultâ ſeditione, omnium ſententia eſſe, vt abdicato patre, qui vltro ſe abieciſſet, atque indignum diademate præſtitiſſet, filius Conradus ſubſtitueretur Rex Italiæ. Puerum omnibus indolis præclaræ notis inſignem, vt vultu non referebat patrem, minimè moribus rela-

a *Mar. Scot. Benno.* b *Lamb. Sch.*

turum. Henricus inopinatâ voluntatum, rerumque conuerſione perculſus ſenſit ſe Germaniæ egreſſu non euaſiſſe hoſtes, ſed mutaſſe. Preſſus graui metu amittendæ apud Italos dignitatis eo facto, quo apud Germanos ſeruare voluerat, ſollicitum animum huc, illucque verſabat. Nec ſuccurrebat vllum effugium, niſi Italorum animos, ſi quo modo poſſet, reconciliaret ſibi. Inter has anguſtias profectus Rhegium Lepidi *a* Gibertum admiſit ad colloquium. Homo vafer, diſertuſque iuxtà, tempore vſus, & ingenio Principis, cùm omnia Canuſij acta improbauit, tum de ſeditione in hunc modum ſuaſit. Si Cæſar quietem Italiæ, ſi ſibi Italorum fidem, atque obſeruantiam reſtitutam vellet, animaduertendum eſſe in ſeditionis auctores. Hos autem non alibi quærendos, quàm Canuſij, nec alios eſſe, quàm Mathildem, atque eius hoſpitem Hildebrandum. Eorum occultas artes, arcanaque flagitia eò nocentiora eſſe, quòd tegantur non ſolùm Canuſinâ latebrâ, ſed etiam ſpecie probitatis. Ea verò ſibi, alijſque procerum eſſe comperta. Innotuiſſe quoque vulgò Cæſarem tuendi in Germaniâ principatus gratiâ ſupplicem accidiſſe duobus illis capitibus nefarijs. Id enimvero, nec proceres, nec populum ferre potuiſſe. Hoc illud eſſe eius facinus maieſtate indignum, hanc vnicam ſeditionis originem. Addidit Gibertus, quæ diceret de hoſpitum facinoribus, ſe in publicis comitijs orbi probaturum. Id ſe recipere famæ, capitiſque periculo. Interim

a *Pigna*.

Cæſar ambos, ſeu vi, ſeu arte capi iuberet, ad obiecta crimina, ſi poſſent, reſponſuros. Detracturum ſe eis probitatis laruam, palamque facturum, latuiſſe ſub alterâ magum, ſub alterâ lupam. Mathildem enim egregiam illam puellam, quæ paſſim laudibus pudicitiæ celebretur, non ſolùm contubernio, ſed etiam inceſtis amoribus eſſe coniunctam mago principi hoſtium Cæſaris. Meminiſſet Cæſar paterni ſomnij, caueretque, ne verum euaderet. Adhuc peſſimis artibus Hildebrandum prouectum ad honores, & cladem Cæſaris: verendum eſſe, ne ipſum principatu apud Italos iam pariter, ac Germanos concuſſo, & nutante deijceret, atque ita vtrobique velut geminis cornibus humi deturbaret, niſi quàm citiſſimè cum amicâ captus arceretur. His dictis, & ſtudiosè expoſitis traxit Henricum in ſuam ſententiam. At quâ ratione rem aggrederentur, non erat expeditum. Apertâ vi non poterat agi, copijs Henrici partim dilapſis, partim fidei dubijs, præſertim aduerſus latentes in arce tam munitâ. Reſtabat vt arte niterentur latebrâ prolicere hoſpites. Conducere fraudi cenſuit Gilbertus, habere ambos non ſuſpicioſos: quare Henrico nulla offenſi animi ſigna eſſe edenda, vt ne dubitarent ſe eius fidei credere. Interim fidiſſimos quoſque cuſtodum corporis armatos iuberet adeſſe. Poſtquam & ratio rei, & tempus, locuſque conuenit, Henricus Rhegio, vbi agebat à ſex diebus, redijt Bibianellum, quod caſtellum à Mathilde conditum paucis milliaribus Ca-

nuſio abeſt. Præ ſe tulit deſiderium rurſus agendi cum hoſpitibus, ſed palàm. Ita neceſſe eſſe ad quietem Italiæ. Cùm illi non abnuiſſent, congreſſioni conſtitutus eſt dies, locuſque vltra Padum. Eò Cæſar eum ſuis præceſſit. Secuta mox Canuſina cum hoſpite, ſplendidâque cuſtodiâ corporis. Iamque tranſmiſerant Padum, & condictum locum petebant. Gibertus plaudebat ſibi, multumque calliditati, & fidei ſuæ imputabat, quòd in laqueos allexiſſet prædam, quam accedentem Cæſari monſtrabat arridens. Laudem quoque diligentiæ tulit Mathildis, eiuſque conſpectus Gibertum in Italiâ tunc primùm delectauit. Verùm illa a ſubitò ſubſtitit colloquens cum hoſpite: mox vnà frena vertêre, & admiſſis habenis repetiere Canuſium. Gibertus, qui vbi cunctantes aduerterat, cœperat trepidare, cùm abſcedentes vidit, irâ palleſcere, fremere, neſcire quid Henrico excuſaret, niſi inſidias mago detectas à genio malo. Cùm res non proceſſiſſet hâc arte, aliâ capiendos aiebat: comitia edicenda: in his ſcelerum conuincendos, ac damnandos. Nec diu pòſt Gibertus, vt erat intentus in res illorum hoſpitum explorandas, Cæſari à ſe digreſſo ſignificauit, Mathildem mago ſuo patrimonium omne donaſſe, milites ad eius tutelam contrahere, palamque contra Cæſarem facere. Cùm ſic Canuſinis hoſpitibus odium ingens, atque infamiam conflaſſet apud Henricum, eiuſque proceres, allatæ his ſunt litteræ Mathildis,

a *Domniz.*

quibus ſe purgabat, & culpam, quæcumque erat, conferebat in calumniatorem Gibertum. Ad cuius fraudes, vetuſque in ipſam odium ſi aduerteretur, dicebat ſe non dubitare, quin Cæſar, ac proceres facilè ab opinionibus falſis auocarentur. Verùm adeo non perſuaſit, vt ab Henricianis remiſſus ſit partim ſcripto, partim publico rumore nuncius, quo nullus ei inopinatior principiò, nec acerbior vnquam accidere poſſet. Is erat in hanc maximè ſententiam. Mirum id populis videri, quòd amaret Mathildis, quem omnes odiſſent. Pudendum verò, quòd procos alios Principes viros obtentu pudicitiæ dedignata, hominis ignobilis, ac nefarij contubernio adhæſiſſet. Nihil eſſe, cur nunc erubeſceret fateri palàm nomen amatoris ſui, qui nimiſquàm notus eſſet nobilis magus. Quantùm ille ſuis egregijs artibus poſſet, abunde vel in ipsâ prodidiſſe. Sciri iam vulgò, quàm crebras ab eo litteras acceperit inſcriptas dilectæ, quæ cum eo fœdera, quæ oſcula in carcere Romano iunxerit. Neque ignorari quam ſedula latus eius, poſt quam fuit liberatus, ſtiparit diu, noctuque, & quâ familiaritate nuper exceperit Canuſij hoſpitem. Quo autem amore fouerit in illâ diuturnâ latebra Canuſinâ, notari potuiſſe ab ipſo Cæſare, cùm ibidem à ſanctis amantibus ludificatus erat. Non eſſe opus nominato. Eum eſſe fabro genitum magum, cui palàm iam amica ſtudeat, cui pecuniam, ac milites ſuppeditet, & patrimonium omne largita ſit, capta præſtigijs. Eum, cuius potentibus amo-

ris poculis effectum ſit, vt amans bellatrix arma in conſanguineum Cæſarem paret, oblita ſanguinis, pudoris, & ſexus. Cæterùm quandoquidem audiendo amatoris nomine oblectetur, Hildebrandum vocari, hoc eſt amoris torrem, nec appellatione aliâ dignum. At videret ipſa tandem, cui militaret. Arma viris cederet, & deſereret illum imbellem, non niſi præſtigijs pugnantem, indignumque, qui & oppugnetur à viris, & propugnetur à feminâ. Sin autem fouere, ac tueri pergeret, affuturos vindices, & inceſtos amplexus vbi-uis ferro dirempturos. Hæc vbi primùm accepit Mathildis, obſtupuit ad appellationem amatoris: at cùm audijt dici magum, exhorruit. Conſcius pudoris, & innocentiæ animus hærebat, expectabatque, vt ederetur hominis nomen. Intellexit denique quis per contemptum, ac ludibrium appellaretur Hildebrandus, quamque falſis criminibus oneraretur. Non aliud vnquam acerbius Mathildis pectori vulnus inflictum eſt. Nunquam grauiùs exercuit virtutem fortuna, maiorem nunquam inuênit. Video te expectare, Hoſpes, vt retro te reuocem, & repetito longiùs itinere Canuſium reducam introſpecturum clariùs, quem in illâ latebrâ hoſpitem inuenerit Cæſar. Nempe is fuit, a de cuius vitæ rationibus, ac moribus narrationem Gibertus cum ſuis commentus eſt vel memoratu incredibilem, dramaticiſque figmentis ſimilem. Is Hildebrandus, cuius natalium obſcuritatem notant, omni-

a *Lamb. Sch.*

Digitized by Google

bus ſummi viri dotibus claruit. Romæ, *a* vt conſtat, natus parentibus Romanis, iiſque, quod caput eſt, perquam pijs, pueritiam egit ſub optimorum hominum diſciplinâ, non ſine certis documentis, quæ futuram claritatem, ac magnitudinem eius prænunciarent. Nec inauſpicatò vocatus *b* Hildebrandus, qui cæleſtis amoris facem prælaturus erat orbi. Et viſæ aliquando prodigioſæ ignis ſcintillæ exiſtere, atque emicare parvuli veſtibus. Ferunt quoque eum puerum *c* in officinâ fabri lignarij forte ludentem inter aſſulas, & præſegmina, ex his litteras, quas nondum norat, configuraſſe, atque ordinaſſe in ſententiam. Id animaduertiſſe adſtantem quendam ſacerdotem, & legiſſe confectum iſtis litteris hoc epigramma, aut potiùs vaticinium, DOMINABITUR A MARI VSQUE AD MARE. Inde præſagientem quiddam magnum de Hildebrando, impetraſſe à patre, vt filium in ludum litterarum mitteret Ergo puer *d* committitur avunculo ſuo cænobij Virginei in Auentino monte antiſtiti. Ibi liberalibus ſtudijs, & caſtis moribus imbuitur auſpice Virgine Matre loci tutelari. His, atque adeo Eccleſiaſticis officijs ab ineunte ætate addictus, cùm deinde in Gallias conceſſiſſet, adoleſcentiam inter ſæculi contemptores, ipſe contemptor, exegit, vitam aſceticam Cluniaci profeſſus. Aliquantiſper quoque in aulâ Henrici Nigri cum laude verſatus eſt. Certè Niger (quidquid ſomnia-

a *Hugo in Chron. Virdun.* b *Bernried.* c *Gobel.* d *Bernried.*

rit) miratus viri eloquentiam, & intrepidum animum, dixit aliquando, neminem ſe vnquam audiiſſe tantâ fiduciâ de rebus Diuinis verba facientem. Romam redux Hildebrandus in publicas rei Chriſtianæ vtilitates incubuit. Hic ob ſingularem eruditionem, & excellentis ingenij, virtutiſque decus creatus Eccleſiæ Romanæ Archidiaconus in totius orbis notitiam, & bonorum omnium amorem breui peruênit. Enituit in eo ſemper vel maximè impauidum quoddam ſtudium Eccleſiaſticæ libertatis. Hoc Cæſarem Nigrum terruit ad eius aulam miſſus orator, hoc Gibertum acriter iuxtà, conſtanterque repreſſit. Eodem malorum odium non minùs, quàm bonorum amorem ſibi peperit. Aduerſus hoſtium machinationes ſpem, fiduciamque ſecundum Deum collocarat in ope Virginis, cuius cultu, & gratiâ florebat, non ſine illuſtribus cæleſtis illius neceſſitudinis notis. a Erat ei ſolemne ad magnæ Virginis iconem in Romanâ Diui Petri Baſilicâ cultam diuertere, coram hâc procidere, frequentare preces, dulces lacrymas fundere. Quo loco aliquando de more ſupplex (mirum dictu) ipſam effigiem illacrymari vidit. Stupens, atque anxius, poſtquam fletus fletibus reddidit, ad palatium Alexandri Pontificis redit. Ibi falsâ criminatione exceptus ab hoſtibus, intellexit huic ſuæ calamitati modò illacrymatam miſericordiæ Matrem. Verùm eius cæleſti præſidio patuit mox clientis innocentia. Qui cùm ad Virgineam iconem rediiſſet grates

a *Bernried*.

actturus, vidit eam abſterſo fletu nunc arridere ſibi, velut triumphanti de hoſtibus. Hæc præſagia maiorum fuere. Alexandro a Pontifici viuis erepto dum exequiæ Romę celebrantur, ecce repentè in templo maximus omnium ordinum concurſus. Magnis omnes vocibus ingeminant Hildebrandum, conclamant Hildebrandum à Diuo Petro electum ſacrorum Principem. Is Archidiaconus tunc exequijs Alexandri intentus, vbi audijt ſe vocari ad Pontificium faſtigium, expauit, concuſſiſque viſceribus, quaſi alienatus à ſeſe, prouolauit ad pulpitum, vt multitudinem ab eâ mente dehortaretur. At præuentus eſt ab vno Patrum, qui concionabundus expoſuit, à Diui Leonis temporibus nullum Hildebrando Archidiacono fuiſſe maiori ornamento Eccleſiæ: virum prudentiæ eſſe perſpectæ: eum Vrbem imminentibus maximis periculis liberaſſe: eumque à Cardinalibus vnanimi voluntate Pontificem Romanum eligi. Sub hęc acclamans tota multitudo in Hildebrandum injicit manus. Induitur Pontificio cultu, & in ſolium rapitur, impoſito Gregorij Septimi nomine. Hic ille eſt Gregorius, quem velut ſacrorum principatu indignum Gibertus, ac Gibertini vocant nomine iam non ſuo Hildebrandum. Atqui nullus eo gradu dignior extitit, omnium bonorum votis electus, niſi ſuis. Hic, quâ modeſtiâ, & ſubmiſſione animi erat, ſub onere tanto æſtuans, & ſecum inueſtigans quam eius deponendi cauſam afferret, poſtri-

a *An.* 1073. *V. Baron.*

die ſpecimen edidit modeſtiſſimi iuxtà, fortiſſimique Pontificis. Litteras dedit ad Henricum Cæſarem, quibus orabat eum maiorem in modum, vt ne electioni aſſentiretur, a alioqui fore vt experiretur certum commiſſorum vindicem. Eiuſmodi ſcriptione Gregorius alterutrum ſe conſecuturum cenſuerat, vt vel dignitate liberaretur, vel viam aperiret vindicandæ Eccleſiaſticæ libertati. Henricus licet ijs, quibus dixi, moribus Princeps, quique inſuper, monitis Pontificijs antè non auditis, ſacerdotia habebat venalia, vxores Clericis permittebat, nec conſortio abſtinebat notatorum anathemate; nihilo tamen minùs acceptâ Gregorij epiſtolâ non tantùm eius electionem probauit, ſed gratulabundus litteras remiſit indices lætitiæ, pœnitentię, obedientiæque in futurum ſuæ, qualeſque nunquam antea miſſæ à Cæſaribus eſſent. Scripſit & Gregorius Mathildi, Ducique Gothiloni Mathildis iam coniugi (de quo mox) collaudatiſque ijs de conſtanti in Eccleſiam fide, ſignificauit mentem ſuam in eo obfirmatam, vt quantocumque ſuo periculo Cæſarem ad officium, & ſanctæ Sedis obedientiam reuocaret. Mathildis admiratione tantæ virtutis amplexata eſt animo, ac deuenerata impauidum Pontificem. Mox incubuit omni ſtudio, tum vt conſanguineum Cæſarem adduceret ad officium, vti verbis, ita re præſtandum, tum vt ipſa Gregorio, tanto illo virtutum magiſtro, vteretur. Ergo impoſterum ex eius præceptis

a V. Baron.

omnes vitæ rationes ſuſpenſas habuit. Hic omnis exempli optimi documenta in illuſtri poſita monumento vidit : hinc & alias virtutes, & ſingularem imprimis religionem in Dei Matrem hauſit. Neque Giberti curam omiſit Gregorius, quem meritò ſuſpectum habens, veritusque nequid in Eccleſiam moliretur, illico hominem officioſis litteris demereri ſtuduit. At bonus ille Rauennatium Pontifex, ambitionis æſtu ſemel abreptus, memor ſuorum cum Hildebrando, & cum Mathilde certaminum, indignatus toties ſe ab vtriſque victum, ægriſque oculis nouos honores Hildebrandi ſpectans, eius humanitate, & beneficijs infeſtior redditur. Obedientiæ ſpecie obtectis dolis, nihil non machinatur aſſiduè, vt & Gregorium vlciſcatur, & Mathildem. Fato conceſſerat vir magnus Godefredus Lothariæ Dux, ille, quem dixi, Mathildis vitricus. Huius filio, heredique, dudum ſponſo ſuo Mathildis iam nupſerat, adoleſcenti egregio, qui, quod corpori deerat puſillo, nec eleganti, penſabat magnis fortunę, atque animi bonis. Nomen ei, vt patri, Godefredus, & Gothilo; cognomentum, vt dixi, Gibber. Clarus omnino Princeps, qui ſe dignum præberet maioribus ſuis, Mathildiſque coniugio. Is cùm liberis careret, ceu animo præſentiret imminens fatum, ſtatuit maturatè adoptare dignum ſe, dignum tantis bonis heredem, totque regendis populis parem. Nec longè is quęrendus fuit, nec verò vſquam alibi, quàmdomi, reperiri potuit,

Aderat adoleſcens, Godefredus & ipſe nomine; omnibus animi, corporiſque dotibus ad miraculum ornatus. Ex vtroque parente nobiliſſimus Imperatoris Caroli Magni ſanguis matrem habebat Idam, ſororem Gibberi; patrem verò Euſtachium Bononię Belgicæ, quæ ad litus Anglicum poſita eſt, Comitem. Deuinciebat vniuerſos ipſâ dignitate formæ, eleganti ore, ſufflauâ cæſarie in terga molliter fluente, prænitentibus oculis, iuſtâ corporis magnitudine, membriſque omnibus aptiſſimè nexis. Non alius vel morum ſuauitate, vel probitate, vel ingenij lumine, aut etiam facundiâ comparari poterat. Cerneres iam tum in eo fulgentem indolem virtutis heroicæ. Vis animi, atque etiam corporis ſupra ætatem erat. Cùm ludi equeſtres more gentis ederentur, congreſſus cum æqualibus, ſpectatorum plauſus victor perpetuus auferebat. Spes de eo conceptas vel maximè in omnium animis auxit Ida mater, opinione ſanctimoniæ venerabilis. Prædixit filium DUCEM FORE, NECNON INTER REGES INCLYTUM. Auunculus Gibber tot adoleſcentis dotibus accedente matris vaticinio motus, cùm non modò bene ſperare, ſed etiam confidere poſſet futurum eſſe præclarum, ſcripſit ex aſſe heredem, filijque loco dilexit, & habuit. De hac adoptione cum coniuge Mathilde contulerat tum aliàs, tum quando ad eam in Italiam poſtremùm profectus eſt. Mathildis, alijque gratulabantur ſimul Gibbero, quòd elegiſſet

a *Monum. Bononien.*

talem, ſimul adoleſcenti Godefredo, quòd eligi meruiſſet. Nullus hoc fortunatior videbatur, qui & ſuorum beneuolentiâ, & virtute ſuâ vnus omnium maximè floreret, & tantum poſſeſſionum ex adoptione, & teſtamento avunculi expectaret, nempe Lotharienſis regni præfecturam, Bullioni dominium, Gennapiæ dynaſtiam, aliorumque locorum. Sed res tam proſperas ſubitò atrox fortuna proſtrauit. Gibber ſub diſceſſum ex Italiâ *a* promiſerat Gregorio Pontifici ſe eò rediturum cum copijs, & vnà cum Mathilde ducturum aduerſus Normannos vſurpatores Eccleſiaſticæ ditionis. Læta Mathildis expectabat eum, ſimulque præſtantem illum famâ fortitudinis adoleſcentem Godefredum, qui iam non tantùm certaminibus ludicris, ſed Flandrico bello virtutem avunculo probauerat. At reuerſus Gibber in Germaniam à Cæſare implicatur bello Saxonico. Cumque non repeteret Italiam cum promiſſis auxilijs, commonitus eſt litteris à Gregorio, cui ſcilicet iuxtà ac Mathildi diſplicebat, quòd datæ fidei deeſſet. Verùm non defuit huic occaſioni Gibertus. Ad diſcordiam inter eos coniuges ferendam artes ſuas ſedulò adhibuit, item ad Cæſaris, ac Gibberi animos à Pontifice alienandos. Rebus turbatis ſcelus horrendum aggreditur. Romam ad comitia euocatus cum alijs antiſtitibus, anſam patrandę diu conceptæ vindictæ arripuit. Eòdem aduenerat Mathildis cum militum manu, Pontifici, & conuenientibus ad eum Præſulibus futura

D

a *An.* 1074. *Greg. Ep.* 72. *l.* 1.

præſidio. Gibertus Romæ habebat iunctum ſibi *a* familiaritate, & occultâ coniuratione iuuenem Cincium Stephani Præfecti Vrbis filium. Hunc permouet ad perdendum Gregorium. Ipſam *b* natalem Chriſti ſeruatoris noctem flagitio deſtinat. Horret animus caſibus Pontificis, & Mathildis, quos licet tunc ſpectarim, & ſpectare iam videar, memoriam tamen ſentio rerum atrocitate confundi. *c* Intentæ cælo denſiſſimæ nubes geminarant tenebras. Mox effuſis imbribus fœda nox inhibuit, ne ſacrum peruigilium ſolitâ piorum frequentiâ celebraretur in templo. Plateæ torrentibus aquis inundatæ domorum egreſſu plurimos arcuerant. At Mathildis religionem nihil retardare, nedum impedire potuit. Pontificem ad templum ſecuta, coram arâ Virginei præſepis, ad quam ille faciebat rem diuinam, procubuerat, altoque ſenſu pietatis abſorpta Virginei partus miranda voluebat animo. Nos cum eâ pauci, atque inermes, vt eò loci, veneramus. Omnia Giberto, Cincioque viſa inſidijs opportuna. Per caliginem adeſt equitum loricatorum turma, Cincio duce, qui ad templi atrium relictis equorum, portæque cuſtodibus irrumpunt, & diſtrictis repentè gladijs in Gregorium irruunt. Sublatus piorum clamor, &, quod vnum addere poterant, gemendi atrocitas religioſam Mathildis quietem horrore ſubmouerat. Confeſtim reducto ab oculis velo cernit latrones Pontificem ab

a *Bernried. Guil. Biblioth.* b *An.* 1075.
c *Bernried.*

aris abſtrahentes. *a* Cincius (nefas) iniectâ in ſacram canitiem manu raptabat eum inter conſertos ſocios cædentes, trudenteſque non renitentem, ac tacitum, niſi quòd cælum identidem ſuſpiciens precibus conabatur propitiare ſuperos hoſtibus. Exilijt in pedes Mathildis, nec timidiùs, quàm ſi armata duceret agmen, ad impiam cateruam ſola procurrit. Inopinatum exemplum audaciæ ſtuporem omnibus incuſſit. Simul latrones reſtiterant, ſimul nos hærebamus; illi quid auſura, nos quid iuſſura eſſet, expectantes. Amazon primùm minaci vultu, & tanquam pro imperio ſolui, reddique ſibi Pontificem iubet. Cincius feminæ vanam ſine viribus ferociam riſit, & ſocijs, vt porrò irent, edixit. At progredientibus objicit ſe Mathildis, nudamque oblita, per obuerſantes tot mucrones inſerre ſe ad Pontificem parat. Incredibilia hæc videri poſſent, niſi auſa maiora mox eſſet. Cincius licet eam quoque perditam cuperet, tamen Proreginam iniuſſu conſanguinei Cæſaris violare nondum auſus, vt moleſtum obicem amoliretur, habebis, inquit, Hildebrandum, quem petis, at, prout meritus eſt, capite diminutum. Simul viſus eſt, vbi Gregorius in turbâ tenebatur, gladij altè vibrati, & circumacti terrificus fulgor, auditaque ſonora percuſſio. Hîc Mathildis, modò intrepida, totis artubus tremuit. Verita ne repetitis ictibus in templo ſanctus, caruſque Pontifex impietatis victima caderet, ingenti edito gemitu,

a Idem Bern.

deceſſit paulùm de viâ, interminans procedentibus, immane ſacrilegium non impunè laturos. Mox ad me conuerſa, i, coge milites omnes, inquit, & cum auxilio ciuium quantocumque poteris, ſequere, quò præeo. Aduerte animum ad facinus, hoſpes, improborum mendacijs traductum, at æternâ proborum omnium memoriâ, & admiratione celebrandum. Proregina templo erumpens in rhedam ſe conjicit inſecutura latrones, vnicoque familiarium aſſumpto comite, cæteros mecum ad arma corripienda dimittit. Hortatus ſum, ne ſe incomitatam, & inermem in tenebras, & in manus impiorum, qui ne ſacratiſſimis quidem rerum parcerent, conjiceret: ſed fruſtra fui. Impauidæ Amazonis animum in propoſito id quoque firmauit *a*: iacebat ad templi veſtibulum ex ſicarijs illis vnus horridâ facie, & fœdiſſimo ore ſpumam eiectans. Is erat Cincij miniſter in Pontificem modò ferrum auſus torquere, quem ad templi valuas genius malus arreptum, equoque præcipitatum ſaxis illiſerat. Quo viſo Mathildis, nihil formidemus, inquit, in ſceleratos ire duce, & ſcelerum vindice Deo. His dictis auecta ad munitam turrim, in quam ſe Cincius cum ſuâ cateruâ, prædâque condiderat, viam & ipſa intrò vel inuênit, vel fecit. Neque ſic venienti repugnauit Cincius, qui nihil mallet, quàm eam cum ſuo Pontifice captam. Nec verò Mathildis aut vinculorum, aut vitæ periculum ſubire timuit, modò ſancto captiuo nauare operam aliquam poſſet. Erat ibi Cincij ſoror, ſratri

a Bern.

ſimilis, &, vt probam intelligas, nota, & cara Giberto. Quâ præeunte Mathildis ad locum, quo Gregorium incluſerant, peruênit. Intranti ſpectaculum objicitur triſte, & tantùm non ijs, qui fecerant, miſerandum. *a* Raptum è templo Pontificem, & iumento poſt tergum latronis impoſitum adduxerant albatum adhuc, cætero cultu Pontificio ſpoliatum. Ille Rex ſacrorum, modò conſpectus ad aram ſummi ſacerdotij inſulis cinctus, maieſtate, ſenioque venerabilis, iacebat in carcere grauiter ſaucius. Tinxerat cruor verendos canos, & mitiſſimi oris ſpeciem efferarat. Fluente capitis vulnere concreti capilli, fœdatæ genæ, oculi madidi, & velut ſanguine lacrymantes. Circa ſauciatum, pro medentium coronâ, ſolitudo erat, niſi quòd pro foribus excubarent ſatellites barbari. Veſtem carbaſinam albam, iam non albam, tabum, illuuieſque fœdarant. Mathildis dolore pariter, & indignatione flagrans coram Seruatoris Vicario, & imitatore venerabunda humi prouoluitur cum viro comite. Audies nunc, hoſpes, quæ libata in hoc carcere baſia exprobrentur Mathildi. Poſtquam ſacros iacentis pedes oſculis fixit, rigauitque lacrymis, dum eos algentes pellibus refouet comes, ipſa capiti proſpicere feſtinat. Capillos à læsâ fronte dimouere; vulnus crudum, & profluuio tabidum parcente manu detergere; fomentis, qualiacumque nanciſci potuit, curare, atque obligare. Inter hæc cruentam ſancti viri canitiem præ impetu miſerationis,

a *Idem Bern.*

oſculo ſemel, iterumque ſiccare. Quibus obſeruatis Cincij ſoror petulantibus iocis in Hildebrandi, & Mathildis amores ludere cœpit. Amazon conſcia ſibi caſtiſſimæ pietatis, eodem animo, quo priùs virorum minas, & tela contempſerat, ſpreuit dicteria feminæ procacis, baſijſque, ſed non cruentis, oblectari ſolitæ. Cæterùm Mathildis Cincianorum ſatellitum in Gregorium crudelitatem tacita ferre non potuit. Hi verò lenitati ſuæ grates agendas dicebant, quòd Hildebrandus ſaucius, non obtruncatus eſſet. Interim fama facinoris, captiuæque cum Pontifice Mathildis, nobis vulgantibus, totam Vrbem impleuerat. *a* Vndique ad arma conclamatum. Omnes quà nobiles, quà plebeij concurrêre. Nos cum militibus multitudinem Vrbanam rapientes in ipſo diei crepuſculo turrim adorimur. Fugatis, qui ad portam obſtiterant, cuſtodibus, vndique tela, arietes, ignes admouemus. Quiſquis Cincianorum apparebat, Pontificem, ac Mathildem violaſſe credebatur. Amazon ſuorum omnium manibus pugnabat, votiſque, ac precibus ad Deum fuſis tendebat accelerare victoriam, & Pontificis libertatem. Cincius pugnæ labore, periculoque æſtuans, quò ſe iam verteret, non videbat. Denique furens in carcerem cum ſatellitibus irrupit. Quorum vnus nihil cunctatus, Pontificem vlciſci, atque obtruncare aggreditur. Mathildis & ipſa captiua nihil hîc aliud Gregorij causâ valebat, niſi vt cum eo, quando pro eo non poterat, mo-

a *Pigna.*

rereretur. Eminebat in elatâ ſatellitis non tantùm manu, ſed etiam voce, ſacrilegij, quod parabat, immanitas. Verùm ictum cæleſtis vindicta præuertit. a Telum foris adactum in tempore guttur diræ vocis ſpiraculum intercepit, & carnificem ſtrauit, furores, & animam cum ſanguine euomentem. Euerſuri eramus à fundamentis turrim, & ruinis Cincium cum ſuis ſepulturi, niſi is conſternatus imminente iam ſibi, quod alteri parabat, exitio, Pontificem precibus, & redditâ libertate placaſſet. Clementiſſimo ſene exorante, ira Mathildis, & concitatæ multitudinis ægrè, ſed tamen compreſſa eſt. Inter hos motus elapſo fugâ Cincio, ſceleris princeps auctor Gibertus, qui alibi latebat, tunc ignoratus eſt. Ac Giberti haud dubiè artibus, quò rei ſuſpicionem, atque inuidiam à ſe auerteret, factum eſt, vt b nonnulli Proregem Gibberum coniurationis caput fuiſſe putauerint. Cæterùm Gibertus liberato ſic Pontifice, hoc eſt, ſuâ re infectâ, impotens animi Rauennam redijt, Gregorio, & liberatrici Mathildi infeſtior. Ibi iunctus proceribus ob libidines Pontificiâ cenſurâ notatis perniciem vtrique machinatur. Ibidem fabula de mago, & amatore Hildebrando conditur, ſuo tempore in eum, & Mathildem edenda. Sub id tempus Cæſar magno prælio aduerſus Saxones pugnat, & ſuperior euadit, maximè virtute Rudolphi Sueuiæ Ducis, Proregiſque Gibberi, & c adoleſcentis Godefredi. Inde Gibber Vltraiectum venit quàm lætus

D 4

a *Idem Bern.* b *Bertold.* c *Friſing.*

belli præclarè geſti laude, tam mœſtus diſſidio ſuo cum Mathilde, cui *a* componendo per certos homines dabat operam. Altera ſollicitudinis acceſſit *b* cauſa grauiſſima. Nuncium non minùs verum, quàm certum accepit, imminere ſibi neceſſitatem vltimam. Anno Colonienſium Archiepiſcopus omnibus ſanctimoniæ notis illuſtris biduo ante mortem ſuam voluerat alloqui, & adduci ad ſe intra duos dies amiciſſimum illum Ducem. Quem cùm audiiſſet abeſſe tridui vt minimùm; ſubieciſſetque, ſerò igitur eſſe venturum, iuſſit moneri duo. Alterum, vt pro eâ, quæ inter ipſos fuerat, neceſſitudine, ſtudioſè Cæſarem à perſequendo Saxonico bello dehortaretur; alterum, vt intra annum expectaret vitæ finem. Gibber, prout debuit, vtramque curam complexus eſt animo. Verùm vir fortis, qui dudum mortis vicerat metum, ſollicitudinem quoque celare contendit. At non ita potuit, vt lateret carum, & obſeruantiſſimum Godefredum. Cùm Vltrajecti dominicum Natalem celebraſſet frequenti procerum concurſu, Antuerpiam ſe retulit. Hac in vrbe nondum elapſo tertio poſt Annonis vaticinium menſe, funeſto caſu opprimitur. Noctu immiſſus percuſſor cocus miſerandum Proregem crudeliter confodit, adacto in tergum ferro, & relicto in vulnere. *c* Indigna cædes tanti Principis ſimul ac innotuit, dici non poteſt quantum omnibus luctum, ſed præ reliquis heredi Godefredo crearit. Procurrere ad cruentum avunculi corpus,

a *Florent.* b *Vita S. Annonis.* *An.* 1076.

procumbere in amplexum, lugere tam infor-
mi mortis genere occubuiſſe in flore ætatis
ſuum illum alterum patrem, ſui tam amantem;
illud imperij columen, cuius fortitudine, atque
auctoritate Cæſar modò nitebatur; magnum
illum Ducem, qui licet deformi corpore, ani-
mi tamen & fortunæ bonis plurimùm inter
cæteros Principes excelleret. Curæ imprimis
fuit triſti Godefredo nunciare Mathildi fune-
ſtam coniugis necem. Deinde iuſtâ irâ ſtimu-
lante exquirebat adoleſcens, quis ille ignavus,
ac fœdus inſidiator, à quo percuſſor ſubmiſſus
eſſet. Alij alium cenſebant; quidam Robertum
Friſium Flandriæ Comitem, cui Gibber Hol-
landiam armis ademerat, & bello deinde
Flandrico aduerſatus erat; quidam ipſum Cæ-
ſarem, alienum iam à Gibbero, non ſatis
certâ de cauſâ. Vero hæc affinis videtur. Gib-
beri Proregis potentia formidoloſa, ſuſpectaque
eſſe cœperat Henrico in dimicatione aduer-
ſus Saxones. Hanc enim improbabat Grego-
rius Pontifex, & vel ideo probabat Gibertus.
Prorex autem in poſterum cum Pontifice ſta-
turus credebatur ideo, quòd daret operam,
vt cum Mathilde coniuge rediret in gratiam,
ac proinde (quod conſequens erat) cum Gre-
gorio. Certè quidem mox patuit Henricum,
vnde vnde, fuiſſe offenſum Proregi, cùm eius
heredi Godefredo palàm aduerſatus eſt. Verùm
animo non concidit adoleſcens impauidus. Eò
primas curas intendit, vt avunculi corpus,
quâ Principem tantum decebat, funebri pom-
pâ ad paternum ſepulchrum Virodunum de-

Digitized by Google

duceret. Interim Mathildis accepto acerbo nuncio de coniugis morte, mox funebribus officijs perfuncta, Gregorium, vt idem faceret, litteris orauerat. a Reſcripſit Pontifex omnino ſe defuncti Principis miſertum, nec vllâ inimicitiâ impeditum, quò minùs eius ſalutem voueret, & à Deo ſupplex expoſceret. Quo reſponſo ſatis declarauit ſe Proregem, quando pro eo ſic preces adhibuit, non habuiſſe in numero ſontium illorum, quos cœtu piorum amouerat, nec proinde cenſuiſſe ſuæ captiuitatis auctorem. Hoc enim grauiſſimum ſcelus anathemate, quod in minùs grauia diſtrinxerat alioqui caſtigaſſet. Mathildis deinde profecta in Belgicam, quo animo in coniugem eſſet, teſtari perrexit. Venerat ad Charam fluuium, inde in Chiniacenſem ſiluam tetendit. Animi tantiſper à dolore auocandi causâ dum venatur, fortè deuenit in vallem peramœnam arboribus clauſam, limpidoque fonte irriguam. Vaſtæ ijs locis ſolitudines modò fuerant; religio aſcetarum eremum Elyſijs mutare cœperat. Recenter ex Calabriâ profecti aſcetæ, fauente Gibbero Prorege, rudem ibi domum, ſed non inuenuſtam excitarant. Mathildis à loci moderatore deducta in ædem ſacram, inde inter pios ſermones alia, atque alia luſtrans, tracta denique amœno frigore limpidi, quem dixi, fontis, in margine eius ante fores ædis ſacræ conſedit. Dum lauat manus, identidemque confricat, & aquam cauâ palmâ haurit ſorbendam, imprudenti excidit è digito ſponſalis

a In Ep. b Bertelius.

annulus aureus, quem à Gibbero acceptum geſtabat amoris pignus, & monumentum. Nempe eo caſu recruduere Proreginæ luctus. Requiritur annulus ab adſtantibus. Oculis, manibus fruſtra laboratur, donec Mathildis ipſa Dei matris opem (prout à ſancto morum magiſtro Gregorio édocta erat) magnâ fiduciâ implorauit. Mox inter bullientes arenas apparuit annulus. Addit fama roſtro piſcis prehenſum, & Mathildi exhibitum. Quem arreptum illa, gratijs beneficæ Virgini actis, oſtentans, en, inquit, aurum, quod quærebam. Huic loco impoſterum nomen Aurea Vallis eſto. Atque ea fuit origo appellationis Cænobio, quòd ibi Mathildis tum commendatione apud Chiniaci Comitem, tum ſuâ liberalitate ſtabiliuit. Inter hæc venit ad Mathildem Godefredus. Vterque lugubri habitu erat, eoque vultu, qui præferret animi mœrorem ſummum cum pari virtute certantem. Pulla amborum veſtis dignitatem corporis, & iuuenilis oris candorem ſic honeſtabat, vt alterum alteri miſerabiliorem faceret. Godefredus parentem alterum in Gibbero, Mathildis coniugem amiſerat; cuius funeri paucis pòſt diebus mater adiuncta eſt. Principem optimam Beatricem Piſis, Italiæ clarâ vrbe, morbus abſumpſit. Hinc vtrique præter dolorem ingens negotiorum, & periculorum moles incubuerat. Plurimi, ac potentiſſimi aduerſarij vtriuſque fortunis inhiabant, quas, vt Godefredus, ampliſſimas Mathildis adepta erat, Italiæ Proregina; Longobardiæ, Tuſciæ, Liguriæ:

Dux; Parmæ, Mantuæ, Ferrariæ, Spoleti, Anconæ, Piſarum Marchio; Canuſij Comes. Tam clara, atque opulenta Princeps ſatis intelligebat ſibi id ætatis viduæ (non niſi tricеſimum ætatis annum attigerat) multos vel procos, vel hoſtes comparatos. Si nubere vellet, nemo erat dignior vel Mathilde, quàm Godefredus, vel Godefredo, quàm Mathildis. Sed alia in præſens cogitanda erant, & vterque mirifico caſtimoniæ ſtudio tenebatur. Atque hęc ſimilitudo virtutum, & calamitatum initam inter eos neceſſitudinem auxerat. Godefredus conſolatione, quâ ipſemet indigebat, Mathildis animum erigere, conſilijs iuuare, ſuam opem, vitamque, ſi vſui eſſet, offerre. Proregina non recuſare operam, ſi ſuis ſe ipſe negotijs expediiſſet. At hæc primò, & maximè vrgere. Et verò Godefredo Princeps conſanguineus aduerſariorum ferociſſimus diem coram Cæſare dixerat. Hinc Mathildi triſtes cogitationes obortæ, triſteſque voces. Cari adoleſcentis hinc famam, inde hereditatem, ac vitam agi. Cæterùm perpetuo eum contemptui obnoxium fore, ſi ſe hereditate, quâ dignum avunculus iudicaſſet, priuari pateretur. Accedebat cumulus vtriuſque dolori, quòd inuicem locis diſiungi deberent, illamque in Italiam, hunc in aulam Cæſaris euocaret ſua calamitas. Triſte præſagium ſubibat mentibus ex hac ſeparatione, quam licet corporum, non animorum fore ambo in diſceſſu affirmarint ſanctè, tamen per ſummum infortunium Gibertinâ fraude accidit, vt eſſet vtrorumque.

Reuerſa in Italiam Mathildis intellexit mox, quàm admirabiles caſus excepiſſent Godefredum. Quos etſi relatu digniſſimos, non inſtitui referre, tibi fortaſſe, quàm mihi notiores. Cæſar nuperâ Saxonicâ victoriâ ferox, Gibertinis artibus impulſus, Pontificijs monitis, miniſque neglectis, peſſimo exemplo ruit in ſcelus. Sub id tempus, cùm Romæ comitia Pontifex, Epiſcopique celebrarent, & vnà Mathildis adeſſet, *a* exortum in Vrbe prodigium eis nunciatur. Ovum erat à gallinâ editum mirâ ſpecie velut cælatum. Cernebatur in eo gemina figura, ſerpentis, & ſcuti. Serpens tribus ſpiris ouo circumuolutus horrebat ſquamis, non planis illis, ſed ex oui teſtâ ſic prominentibus, vt manu prehendi, tractarique poſſent. Caudam extenderat ad ſubiectum ſcutum nigricans, ex quo velut ſe euolueret, tortu corporis ad oui ſummum tendebat. Sed caput dum efferre nititur, tanquam ictu quodam repercuſſum ventre tenus deflexerat. Viſa res eiuſmodi, quæ Pontificijs comitijs exhiberi mereretur. Ovum prodigioſum dum per manus Patrum, Mathildiſque verſatur, nec eſt qui, quid portendat, explicet; adeſt Henrici, & Gibertinæ factionis nefarius nuncius, audetque Cæſaris nomine imperare Gregorio, vt ſe Pontificatu abdicet. Hic Gregorius, en, inquit, interpretationem portenti, quod habetis in manibus. Tum docuit ouo illo adumbrari Eccleſiam, ſerpente Henricum; quem & *b* prægnans Auguſta cùm aluo contineret, ſomniaſſet

a *Donniz. Bernried.* b *Donniz.*

ſe parturire ſerpentem, multiſque id poſtea retuliſſet. Adhuc illum latuiſſe fraudibus tanquam ſcuto nigricante tectum, nunc caput attollere conſpicuum contra Eccleſiæ Principem. Conclamantibus vniuerſis plectendum eſſe meritis pœnis, & retundendum impium caput, Pontifex lenitati adhuc ſuperfluæ exemplum ſeueritatis ſubiungere ſtatuit. Diu, multumque laceſſitus ab Henrico, & Giberto, vtrumque tandem cœtu piorum eximit, hunc ſede Rauennatium, illum Imperio mouet, populis exemptis fidei ſacramento. Quo cognito *a* Saxones decernunt alium eligere Regem, niſi Henricus ante circumactum à die anathematis annum abſoluatur. Hæc fuit cauſa Henrico conſternato in Italiam contendendi, & confugiendi ad Mathildem. Hiemis ſumma vis erat ineunte anno ſupra milleſimum ſeptuageſimo ſeptimo, cùm in Alpibus Cæſarem ad horrenda vitæ pericula compulit periculum dignitatis. Contendebat ex Germaniâ in Italiam deſertus à nobilibus omnibus, deſtitutuſque ſubſidijs. Sollicitus quaquauerſum ducebat oculos, quippe qui & Saxonum hoſtium, & locorum fraudes metuendas eâ tempeſtate ſentiret. Cari duo comites, Berta coniux, filiuſque Conradus pulchritudinis, atque indolis eximiæ puer, non tam viæ ſolatium erant, quàm curarum acceſſio. Montes, per quos ibatur, in immenſam altitudinem editi, niuium mole, geluque terrebant. Via omnis præceps, ac lubrica non equitis veſtigium, non

a Lamb. Sch.

peditis recipiebat. Summâ cum vexatione aſcendentibus Alpium iuga creſcere viſa ſunt. Itineris labor eò grauior accidebat Bertæ, quòd fatigatione cogebatur amabilem filium in aliena brachia tranſmittere. Sed nec eum diu ferre, nec eius deſiderium poterat. Repetebat identidem dulcem ſarcinam, & oſculis frigentis ora refouebat. Tandem ad cacumen, ac ſimul ad cardinem periculi ventum. Ex ſummo apparuit, animoſque perculit facies locorum. Cùm vtrimque deſpexiſſent, quà conſcenſum, & quà deſcendendum eſſet, horrore, & tædio malorum obruti, tanquam ad viæ finem, ſubſtitêre. Eminebat deſperatio in vultu Henrici. Inops conſilij verſabat animo, ſe Germaniæ regno, ne priuaretur, exceſſiſſe, nunc priuandum etiam vitâ. Nec ſemet tantùm, ſed & coniugem, & filium, vnicum tunc imperij heredem in exitium intuliſſe. Nec progredi fas eſſe per abruptum montis latus, nec regredi per hoſtium fraudes. Neque verò conſiſtere patiebatur, non ſolùm inhabitabilis algore locus, ſed & inſtans dies anniuerſarius, qui præſtitutus erat ad tuendum principatum. Ancipiti malo preſſus vndique, deſtinatum iter perſequi ſtatuit. Ipſe cum famulis deſcendere pedibus parat, & periculum viribus ſuperare. Coniugi, filioque vt conſuleret, dum deliberabundus, anxiuſque moratur, fortè coria bubula prolata ſunt. His *a* ambos includi iubet, & à viæ peritioribus deorſum trahi. Nunquam tantæ ſortis, ſpeique puerum tale in vehiculum fortuna

a Lamb. Sch.

abiecerat. Subeunti corium filio flens Auguſta oſculum ex animo tanquam vltimum, fixit. Commouerat ſpectantes non magis Bertæ ſollicitudo, quam pueri ſecuritas, qui in tantis malis nihil querebatur, niſi ſe frigere. Cæſar deſcendere aggreſſus per glaciem, nunc virgulta, ſtirpeſque circùm eminentes arripere manibus, ac ſe demittere, nunc humeris famulorum inniti. Iumentorum ibi nullus erat vſus, quæ ingredi ipſa nequibant, nedum vehere. Ergo colligatis pedibus alia trahere, alia per machinas deuoluere oportuit. At neque Cæſar, neque comitum vllus, cùm titubaſſent, hærere veſtigio poterant, aut ſe à caſu ſuſtinere. Prolapſos, ſeu manibus, ſeu genibus niterentur aſſurgere, adminicula ipſa fallebant. Ergo alij ſuper alios ruere, collidique præcipites. Tetra ſpecies, cùm afflictus ſolo Cæſar nunc inter famulos, ac iumenta luctaretur, nunc volutaretur per tabidam niuem, donec ſtirpes, aut ſaxa offenderet, ad quæ poſſet eniti. At non aliud ei grauius fuit, quàm videre periclitantem cum coniuge filium. Seu vocem, ſeu gemitum mitterent, notus ſonus miſerum conuertebat. Quippe nihil procliuius erat, quàm vt agerentur in præceps, vel haurirentur foueis, quas nix ventis cumulata impleuerat. Vix tandem per tot diſcrimina ſalutis in campeſtria peruenêre, declinatis Saxonum inſidijs. Equorum multi extincti, aut debilitati, integri pauci. Continuò Bertam ad filium ſollicitudo, & amor applicuit. Educitur è corio puer incolumis, arridenſque matri, non ſecùs,

ac ſi foret ludicro vehiculo per glaciem tractus. Longobardiam ingreſſos excepit alia non locorum magis, quàm rerum facies. Amœniſſimum Italiæ latus, mortaliumque concurſus recreauit animos. Ingentem Italorum multitudinem vndique exciuerat ſtudium videndi Cæſarem pugnaciſſimæ indolis, & belli Saxonici famâ celebrem. *a* Confluxere certatim Proceres, magnoque apparatu ſalutauere Principem in Italiâ nondum conſpectum, diu exoptatum. Sed magnatum omnium ſplendorem longè vicit adueniens Proregina magnifico ſtipatâ comitatu. Qui ſimul ac eminùs apparuit ſubita extitit admurmuratio ſciſcitantium, & reſpondentium, cuius eſſet. Per confertam ſpectatorum multitudinem, velut pompâ tranſuehitur ad Cæſarem Mathildis. Quæ præmonita litteris eius, quantum in diſcrimen adductus eſſet, &, vt opem ferret, rogata, nihil omiſerat operæ. Primâ ſalute perſuncti palàm, ſecedentes paululùm, ſecreta inter ſe conſilia contulêre. Tum ad commune colloquium reuerſi de viæ periculis, vt fit, egêre, deque ſecuritate Conradi. Obſeruabat Mathildis in puero, dilaudabatque raræ indolis ſigna. Mirabatur ſpeciem oris, quo apprimè referebat non Cæſarem patrem, ſed Sueuiæ Principem. Berta ſcita imprimis femina viciſſim certabat officijs. Non ignara quantum Mathildis poſſet Cæſaris cauſâ, nihil prætermiſit, quod ad eam magis demerendam facere videretur. Arripere occaſiones eius colendæ, inferre ſermones de

a *Idem Lamb.*

rebus gratis, in perpetuo verſari argumento vel laudum eius, vel carorum. Nominatim prædicare illum inſignem robore, & victoriâ nuperâ Belgam Godefredum, iam Marchionem Antuerpiæ, quem non neſciebat Mathildi eſſe in caris eximium. Et Henricus, licet curis grauioribus diſtrictus, ad comitatem vultum, & verba fingebat, blanditiaſque faciebat ſubinde, & interrogabat Proreginam, quamdiu maneret innupta; cur, cum ipſa omnibus, nullus Principum ei placeret: tempus eſſe, vt ipſa, vel Cæſar ipſi maritum eligeret. Ad quæ reſpondere illa verecundè iuxta, ac ingenioſè, præ omnibus eligendum videri pudicitiæ decus. Ex interuallo reuoluebatur ſermo ad Henrici res. Quas compoſitura Mathildis Canuſium reuerſa eſt. Eòdem mox ſubſecutus Henricus, exercitu, qui apud eum ingens coaluerat, dimiſſo Veronam. Canuſio appropinquans Cæſar ſpectandis turrium munimentis, triplicique murorum ambitu, & amœni loci naturâ tangi potuiſſet, niſi totus fuiſſet in eo cogitando, cuius cauſâ venerat. Per obliquam rupem ad arcem poſtquam euaſit, rem cum animo ſuo, & Mathilde deliberatam exequi aggreditur. Canuſinam illam latebram, quam Gibertini magicam vocant, audi, hoſpes, quàm præclaro facto nobilitarit Henricus. Vbi ad portam peruênit, *a* inſignia maieſtatis poſuit, (vt ſupra dicebam) & relicto foris omni comitatu, cultuque Cæſareo, veſtem induit obſoletam. Inde nudis pedibus progreſ-

a *Lamb. Sch.*

ſus intra ſecundum murorum ambitum conſtitit. Ibi pœnitentis, & ſupplicis habitu ſub dio tempeſtate illâ perſrigidâ, quæ amnium maximos glaciarat, ieiunus ab ortu ſolis ad veſperam perſtat. Vultu miſerabili, perſuſuſque lacrymis cum eiulatu identidem veniam commiſſorum orabat voce ſublatâ, vt exaudiretur à Gregorio Pontifice, quem Româ iſtuc Mathildis adduxerat. Idem altero die, idem tertio fecit ſupplex; cumque non afferretur reſponſum optatum, euocatæ Mathildi ad pedes accidit, orauitque infimis precibus, vt pro ſuâ inſigni in conſobrinum caritate, & apud Pontificem gratiâ, efficeret, vt placatus hac pœnitentiâ Gregorius infelicem Principem in piorum cœtum, quo propter noxas exemerat, reſtitueret. Mathildis ei ſe nauaſſe operam omnem aſſeuerauit, & porrò nauaturam recepit. Quarto tandem die Henricus in interiora arcis admittitur. Bene ſperare iuſſus ibat ſolutiori animo, potuitque, quà iret, aduertere. Mirabatur locum naturâ, & opere munitiſſimum, ſubſtructionum elegantiam, & nitorem, opulentiamque minimè bellis exhauſtam. Deductus à Mathilde in aulam magnificam, quæ regiam ornatu prorſus æquaret, in conſpectum Romani Pontificis venit. Optimus pater ſeueritate huiuſmodi cum Henrico cunctandum cenſuerat, vt pœnitentiam eius non temporis causâ (vt aliàs) ſimulatam, ſed ſeriam eſſe conſtaret. Denique genibus ſuis aduolutum Henricum, Mathilde exorante, obſtrictum iureiurando, ſe in poteſtate Romani

Pontificis futurum, abſoluit, eâ conditione, vt, ſi promiſſis non ſtaret, ius principatus amitteret. Quæ omnia prolixè pollicitus, deinde Pontifici rem diuinam facienti adſuit. Tum ad menſam adhibitus, benigneque monitus vt Cæſaream maieſtatem delictis exoleſcentem in priſtinum ſplendorem daret, dimittitur ad ſuos, iam quatriduò foris rei expectatione ſuſpenſos. Pœnitentiæ genus, quo vix vllum illuſtrius, abunde ſatisfecerat Germaniæ, atque orbi vniuerſo, niſi id improbaſſet vir bonus Gibertus, & calumnijs, doliſque rurſus tranſuerſum egiſſet Henricum. Is digna Principe Chriſtiano, digna maieſtate Canuſij geſſerat pœnitens, ſupplexque genibus Mathildis, ac Pontificis aduolutus. Nempe virtus vbique excelſa eſt. Inde tamen egrediens conſtantiam non tenuit. Ita ſibi à Giberto imponi paſſus eſt, vt vtrumque, velut nefarios, capere inſidijs moliretur. Verùm quæ in ijs flagitiorum obiectorum ſpecies, aut vmbra? Vbi ille Canuſij amator, aut magus? Omnino verum eſt Gregorium plures ad Mathildem dediſſe litteras amorem ſpirantes, ſed cæleſtem, inſcriptas: Dilectæ in Chriſto filiæ. Extant illæ deſcriptæ, verſanturque in omnium manibus. Hortatur in ijs ſanctus vir Mathildem nunc ad amorem, tutelamque ſanctæ Sedis, nunc ad vitam Chriſtianâ ſanctitate excolendam. Alibi præcepta virtutum tradit, alibi demonſtrat præſidia. Alicubi verbis planè aureis *a* inculcat Mathildi magnæ Virginis Matris cultum, ac fiduciam,

a *Ep*. 47.

quia, inquit, quantò altior, melior, ac ſanctior eſt omni matre, tantò clementior eſt, ac dulcior. Maximi Pontificis tum monitis, tum exemplo freta Proregina mirum dictu eſt, quantùm in Chriſtianis moribus, ac nominatim in ſtudio colendæ Virginis profecerit, quantùm item ſe ſupra omnes non modò feminas, ſed & viros principes, ac Reges extulerit animi robore, etiam *a* militari. Iam de inuerecundâ Gregorij cum eâ familiaritate conſtat apud omnes ſanæ mentis, falſa *b* iactari. Nempe ex odio, ſtudioque vindictæ conficta illa ab Giberto, & caſtis eius ſectatoribus, præſertim ex Eccleſiaſtico ordine, quibus coniugia permiſſa ab Henrico, at proſcripta legibus Gregorius ſeuerè interdixit. Hinc illæ in caſtiſſimum Pontificem iræ, calumniæ, inſidiæ, quibus domi, foris petitus indiguit præſidio, nec aliud ſecundum ſuperos inuênit, quàm Mathildis. Hæc Romæ, hæc in itineribus enſes à Gregorij iugulo repulit. Hac Amazone comitante venerat Româ Canuſium verſus, tendebatque in Germaniam compoſiturus diſſidium Cæſaris cum Saxonibus, ſed audito eius aduentu in Italiam, incertus quo animo is accederet cum collectis copijs Italicis, ſubſtitit cum Mathilde Canuſij. Verùm *c* teſtes ſumus vniuerſi, qui adſuimus, vbique luxiſſe Gregorij vitam Apoſtolicis moribus, quæ ſi labe aliquâ, vel etiam ſuſpicione turpitudinis aſperſa fuiſſet, id in illâ luce vrbis Romæ, Canuſinæ arcis, & locorum aliorum omnium,

a Baron. b *Lamb. Sch.* c *Lamb. Sch.*

in tantâ ciuium, militum, clientium, domeſticorum multitudine neutiquam potuiſſet latere. Sed perſpicax Gibertus vidit, quæ videri non poterant. Auctor fuit Henrico, vt in hoſtes Gregorium, ac Mathildem quàm citiſſimè, quâcumque arte, manus injiceret. Inſidiæ à peritiſſimo fraudum omnis generis architecto tantâ arte comparatæ ſunt, quas neceſſe fuerit incurrere, niſi detectæ, ac proditæ fuiſſent, à genio ſcilicet. Sed quonam? Condicto die, ac loco prægreſſum Cæſarem ſecuti mox Pontifex, & Mathildis, quæ virago non ſuſpiciosa quidem, ſed prudentiâ nulli inferior, vt nulla dabat ſigna diffidentis animi, ita omnia tuta timenda putauerat. Iuſſerat obſeruari Cæſaris, Gibertique conſilia. Vix Padum cum Pontifice tranſierat, cum adeſt fidus ſpeculator, quo prodente inſidias, repetiere Canuſium, Gibertumque prædæ inhiantem morſu inani deluſere. Interim ſtupebant Henricum poſt tanta pœnitentiæ, atque amicitiæ ſigna vſque adeò pauculis diebus mutatum prorupiſſe ſubitò ad tantum facinus. Latentes rei cauſæ aperuere ſe ſenſim. Cæterùm præuidit iam tum Mathildis turbas & calamitates impendentes tum Italiæ vniuerſæ, tum priuatim ditioni ſuæ, quam ſtatuit, quantacumque erat, abdicare, ac donare. Cuinam autem? qua mente? audi, hoſpes, aliud, quod Mathildi objicitur, crimen ingens. Vt patrimonium ſuum ampliſſimum ſub præſentiori cæli tutelâ conſtitueret, Principi Apoſtolorum Diuo Petro cedere decreuit. Ergo mirabili juxta, ſanctoque conſilio Tuſ-

ciam, Liguriam, Canuſium, ſuaque omnia Gregorio Diui Petri ſucceſſori, ac Romanæ Sedi obtulit, ſcriptoque donauit. Nempe optabat poſſeſſionum, atque imperij onere leuata procul à tumultu rerum operam virtuti impenſiùs dare. At Gregorius virtutis auidam monet, atque hortatur, vt in materiem eius exercendæ, omiſſo otio, arma paret, & Deboræ inſtar militiam pietati coniungat, Cæſaremque, ſi quid contrà moliatur, prohibeat aditu nocendi, ditionemque ſanctæ Sedi ſubditam inuadendi. Cæterùm diſſimulandum initio cenſuere, videndumque quatenus proderet ſe, ac procederet Henrici offenſio. Ille autem, dum Giberto nimiùm præbet aures, & Italis placandis diutiùs vacat, grauiori alterâ tempeſtate excipitur. Cùm ad dictam diem non eſſet in Germaniam reuerſus ad obiecta reſponſurus, Saxones certiores facti de iteratis eius delictis alium eligunt. Rudolphum Sueuiæ Ducem, qui Henrici ſororem habuerat in matrimonio, pro eo Saxoniæ Regem ſalutant. Quo nuntio perculſus Henricus recurrit in Germaniam, opem Gregorij poſtulans. A Saxonibus quoque rogatus Pontifex, vt electionem Rudolphi ratam haberet. a Gregorius, cui nihil propoſitum erat, niſi Romanæ Sedis decus, & reipublicæ Chriſtianæ quies, reſcripſit nolle ſe præproperè factum eius momenti comprobare. Maturè ſe examinaturum cauſam duorum Principum, & ſecundum merentem iudicaturum. Sub hæc Mathildis cum

a *V. Baron.*

fidâ manu Pontificem reduxit Romam, vbi prædicante illo, quàm bene de ſe, ac ſanctâ Sede merita eſſet, inſigni populi Romani acclamatione ſalutata eſt, & impoſterum à bonis vulgò appellata Diui Petri Filia. Tum reuerſa Canuſium audit bello ardere Germaniam. Magna Imperatorum nomina, ius Imperij in medio poſitum, ſtudium diſceptandi, probandique cauſam vel æquiorem, vel gratiorem, populum diſtraxere in partes. Henricum, quem nuper proficiſcentem in Italiam à nobilibus omnibus deſertum diximus, reducem magnâ frequentiâ proceres tum ſacri, tum profani ordinis ſecuti, cum florentibus copijs. Vulgò monebat priſtinum Cæſaris nomen, fama periculorum, & pœnitentiæ; tum, ſi quid Henricus peccabat, innocentia Conradi filij, Principis ad ſumma nati, indigníque, qui priuaretur hereditate paterni Imperij. Cæterùm belli ius anceps initio fuit: de quo cùm poſtea iudicatum eſt à Pontifice, ſumpta ſemel arma obſtrepuere ſententiæ. Collata ſæpius ſigna, principiò ad Rudolphum, deinde ad Henricum inclinante victoriâ. Ita præualentis populi vires ſe ipſæ conficiebant. Aduertit Mathildis hinc motus animorum in Italiâ creſcere, & Henricum rebus proſperè in Germaniâ cedentibus conſpirare apertè cum Giberto, quem ſceleratum nuper compertum Gregorius, vt dixi, diris ictum ſede Rauennate deiecerat. Non diſtulit ergo Canuſina palàm arma pro Pontifice capere. At expende nunc, hoſpes, an omni retrò memoriâ fuerit vnquam atrocius

virtuti

Digitized by Google

virtuti cum fortunâ certamen. Fama Mathildis antè priuatis ſuſpicionibus, litteris, ac ruműſculis vexata fuerat: nunc publicè proſcripta eſt. Cumque puellæ caſtæ nihil ſit carius pudicitiâ, nullum ſtudium à naturâ inditum maius quàm eius tuendæ, nullum vulnus acerbius accidat quàm fama læſæ, Mathildis longè ſui ſexus princeps, conſanguinea Cæſarum, illa modò omni genere laudum florens, & ſui ſæculi habita miraculum, ſubitò paſſim fertur fœdo amore implicita. Cuius autem? Eius, qui, quantò ſublimior dignitate, & opinione ſanctitatis fuerat, tantò nunc ſibi, ac Mathildi maiorem inurebat ignominiam. Nunquam poſt homines natos auditum fuerat ſacrorum Chriſtianorum Principem Principi feminæ illuſiſſe. Nunc circumfertur vulgò à Gibertinâ factione Hildebrandum, hoc eſt, Pontificem Romanum, caput orbis ac religionis Chriſtianæ, non ſolùm improbum, ſed (horret animus referre) magum, & omni genere flagitiorum coopertum, nocte dieque volutari in Mathildis amplexibus. Eam verò Hildebrandi furtiuis amoribus occupatam detrectare nuptias. Neque ibi ſubſtitit infamia. Non enim ſolùm vulgi tumultuarijs vocibus conflata eſt, ſed publicâ comitiorum auctoritate mox aſſerta, & ſententiâ atroce cumulata. Id euênit, poſtquam Henricus non reſipiſcens, & ſemper in peius ruens, triennio toleratus à Gregorio, denique fulmen, quod diu laceſſiuerat, ſenſit, rurſus diris Pontificijs petitus, & iure Imperij exutus, miſsâ Ru-

Goog

dolpho coronâ inſcriptâ hoc carmine :

PETRA DEDIT PETRO, PETRVS DIADEMA RVDOLPHO.

Quo cognito Gibertus ſuam occaſionem exiſtimans, accendit Henricum ad vindictam. Inſtat, vt Gregorius damnetur, & dignitate abdicetur. Ipſe, qui malebat nullo eſſe loco quàm ſecundo, Pontificiam tiaram ſibi, tantò nempe dignior, petit. Quid orationem differo? Indictis comitijs concurritur in Noricos, conuenitur Brixinam, vrbem turpiſſimo concilio congruentem. Locus horridus, aſper, præaltis cinctus ſcopulis, & Alpinis niuibus ſemper vel rigens, vel tabidus. Ibi fames perpetua, & penè frigus æternum. Ibi adeo nihil bonæ frugis, vt etiam vix Chriſtianæ rei nomen ſuperſit. Eo loco collecti præter frequentiſſimos proceres tum Germanos, tum Italos, Epiſcopi malè feriatæ mentis à Giberto dementati ad triginta. Hildebrandum per ora traductum pro inceſto, adultero, mago, ſacrilego, vſurpatore Pontificiæ ſedis abdicant, ſubſtituunt eius loco Gibertum, hoc eſt, beſtiam adorant. Mox Gibertus (Clementem Tertium appellauere illum, mortalium omnium maximè barbarum) ornatus Pontificijs inſignibus triumphali pompâ repetit Italiam tum cætero cultu ſuperbus, tum aſſumptis armatis Pontifex miles. Quid tunc animi fuiſſe Mathildi cenſes, hæc inſpectanti? Videbat capitalem hoſtem Gibertum coronatum tiarâ Pontificiâ, præmio ſcelerum; Gregorium apud Gibertinos ſpoliatum dignitate virtuti;

bus debitâ ; ſe verò alterius honore non minùs, quàm alterius dedecore violatam. Adde (vt Mathildis dolor quantus fuerit, aſſequaris) clades duas mox ſecutas , alteram ad Mantuam à Giberto illatam,alteram in Saxoniâ ad paludem Gronam ab Henrico , aut veriùs ab huius Aquiliſero,quem pòſt paulò Mathildis Godefredum illum ſuum Antuerpię Marchionem eſſe cognouit. Huic cari capitis abalienationi adjice,quæ mox adiecta ſunt, defectionem ciuium, fugam militum, rebellionem populorum. Nonne cenſes his omnibus malis obrutam ? An non lacrymis marcidam , luctu , ac dolore proſtratam defeciſſe ? An non Gregorium infelicem ipſa tandem ab omnibus deſerta deſeruit ? Contemplare mente , hoſpes , quod oculis vſurpauimus , ſpectaculum dignum Deo , non dico virum cum aduersâ fortunâ certantem, ſed aduerſæ fortunæ victricem ſeminam. Mathildis,quis credat ? ſuperante dolorem animo ſua damna, cladeſque audijt non alio vultu, quàm ſi viciſſet. Quin & Giberto triumphante fuit eo habitu oris , vt ridentis etiam ſpeciem quandam præbuerit. Planè , vt veriſſimè de eâ cecinerit Poëta noſter Domnizo :

PROSPERA NON MVTANT ILLAM , NON TRISTIA TVRBANT.
EST HILARIS SEMPER FACIE.

Virgo magnanima atque imperterrita datis ad Pontificem litteris pollicita eſt Apoſtoli Pauli tum *a* verbis , tum ſpiritu, non anguſtijs, non fame , aut vllo periculo , non gladio ,

a *V. Baron.*

aut morte, non reliquis omnibus, quæ Apoſtolus adjicit, poſſe ſe à Petri caritate ſeparari. Nec pollicita eſt animoſiùs, quàm præſtitit. Henrico victore Italiam ingreſſo, vt Gibertum Romam, expulſo Gregorio, induceret, deficientibus Germanis, Italiſque proceribus, ſtetit inconcuſſa, & vel ſola reſtitit, Diui Petri egregia filia, de quâ ſic idem Domnizo,

SOLA RESISTIT EI MATHILDIS FILIA PETRI.

Amazon inſuperabilis armis, ærumnis, doloribus, ſtabat, quantumuis animi vulnera exulcerarentur, quòd conata modis omnibus Gregorium, ac ſe purgare, non audiebatur. Hinc vulgò deſerta ab Italis ſacri profanique ordinis Principibus, hinc vexata hoſtium armis, atque conuitijs. Non deerant inter eos cæteroqui probi, carique, in quibus eminebant Conradus, & Godefredus Aquilifer, ita Deo prouidente, vt inter tot Henricianorum ſcelera non deeſſent formæ virtutum. Quo magis mirabatur, dolebatque Mathildis Godefredum inter deceptos perſtare in ijs caſtris, vnde innocentia nihilò clementiùs linguis, quàm armis oppugnaretur. Peruulgatum erat famâ, quàm is nuper offenſus ab Alberto aduerſario temperantis fuiſſet non linguæ modò, ſed etiam manus, quando in ipſo adoleſcentiæ, ac pugnæ ſingularis æſtu lenitatem animi probauerat memorabili ſpecimine. Ergo nunc ſimile prodigio erat, quòd iuuenis ſibi diſſimilis innocentem armis inuaderet immixtus conuitiatoribus, tanquam reipſa approba-

ret, quæ illi calumniabantur. Vnde Mathildi videbatur is tantò veriſimiliùs dici poſſe præſtigijs in fraudem inductus à Cæſare, quàm ipſa ab Hildebrando. Inter hæc obſeſsâ Româ acceſſit Mathildis doloribus, quòd non tantum carebat conſpectu, ac ſolatio ſanctiſſimi magiſtri Gregorij, ſed etiam ſciebat obſeſſum periclitari. Id vnicum aſpergebat conſolationis aliquid, quòd Pontificis iuſſu ac vice aderat Anſelmus Lucenſis Epiſcopus vir ſingulari vitæ ſanctimoniâ, exul actus à Gibertinis, Gregorioque ſimillimus. Vtriuſque præceptis imbuta Mathildis vitam piam, ac religioſam agebat in ſecreto, at palàm militarem, vtramque Dei causâ. Romam, præter milites, ingentem vim pecuniæ miſit, quâ domi deficiente theſaurum, à ſe ac maioribus Canuſino templo donatum, Anſelmo probante, tranſmiſit obſeſſo Pontifici. Neque interim ipſa otiata eſt. Dies me deficiat ſi velim ſingula Heroïdis illius opera bellica recenſere. Multos in Longobardiâ ab Henrico diſiunxit collatis muneribus, plures armis, nec pauciores iniectis in caſtella flammis. Ferebat indigniſſimè Gibertus vnam Mathildem ſuis votis obſtare, cuius aduerſos conatus vt comprimeret, ſuo more recurrit ad dolos. Anſelmo ſcripſit plenas fictæ pietatis litteras, quibus hortabatur, vt Mathildem deſereret. Verùm Anſelmus in eum exacuit ſtylum. Tres libros pro Gregorio edidit, in quorum ſecundo reſpondet hæc de Proreginâ: nobilliſſimam feminarum paratam pro defenſione iuſtitiæ non ſolùm bona omnia

prodigere, ſed ad ſanguinem vſque pugnare; quoad vlciſcatur Deus inimicum feminæ manu. Hoc ſancti viri votum vtinam etiam vaticinium fuerit. Et continuò fauit cælum, conceſsâ nocturnâ ad Sorbaram victoriâ: ſed Mathildem deinde perquam triſtia excepere. Roma partim expugnata ab Aquilifero, partim largitione corrupta ab Henrico: Gibertus in ſolium Pontificium euectus: coronatus ab eo Henricus cum vxore Bertâ: Aquiliferi lethalis ægritudo veneficio Gregorij tributa: Gregorius cum Cardinalibus in arce muro clauſus, & oppugnatus. Qui deinde cùm à Normanno Guiſcardo liberatus eſſet, & Româ Salernum abductus, ad diuos exceſſit, venerabilis vir magnitudine animi, eruditione, ſanctimoniâ vitæ, & cùm alijs prodigijis clarus, tum imprimis miraculo vindicatæ Eccleſiaſticæ maieſtatis. Pontifex vſquequaque ſanctus viro compertæ ſanctitatis Laurentio Amalphitano Antiſtiti intimus fuerat, quo magiſtro didicerat, non magicam vanitatem (vt fabulantur) ſed probitatem eximiam. Atque is, vt conſtat, multa naturæ vires excedentia patrauit, virtute nequaquam magicâ, ſed Diuinâ. Cuius generis fuit illud: cùm Româ obſeſsâ excitatum eſſet ab Henricianis incendium, ſanctus ſenex contrà ſublatâ manu a crucem in aëre pingens flammas repreſſit, & velut affuſis omnibus Tiberis aquis extinxit. Anno circumacto ſecutus eſt ad ſuperos Gregorium Anſelmus, ille Mathildis ſanctus cuſtos, alterque

a *Bertold. Bernried.* 1086.

moderator, qui dum viueret, Gregorij partes multùm promouerat, at longè magis cùm deuixit, eo ipſo anno miraculis illuſtris. Quid alia commemorem? Quid ipſe ſim expertus prodigioſi beneficij, ſimulque magicum, quod vocant, Mathildis facinus mox accipies. *a* Suffectus erat Gregorio Victor Tertius. At Gibertus nihilo ſeciùs obſirmato ad ſchiſma animo Romę hærebat, & Pantheon militari præſidio obtinebat pro caſtello. Nihil actum morte Gregorij cenſebat, nihil longo bello vaſtatâ Italiâ, ſi alius, quàm ipſe, ſacrum Principatum Romæ auderet capeſſere. Verùm acceſſit ad Vrbem Mathildis cum militum manu, eoque Victorem è monte Caſſino euocatum induxit. Actum de ſe ſenſit Gibertus, niſi ſibi feſtinato dolo, & largitione conſuleret. Homo expilatis ſacrorum locorum ærariis opulentus, ita contendit blanditijs, donis, minis, vt ingens multitudo partim decepta, partim corrupta conclamarit ad arma. Repentè in Mathildem, à quâ ſibi malè metuebant, impetum faciunt, eamque, ac Pontificem trans Tiberim pellunt, rediguntque in Vrbem Leoninam. Ingreſſos ibi caſtrum ſummâ vi oppugnant. VerùmAmazon ita ſtrenuè reſtitit, vt neque pedem, neque pecuniam, quâ plus poſſunt, inferre potuerint. Victore poſt paucos Pontificatus menſes *b* ſanctè defuncto, mox vrgente Mathilde, alijſque procerùm ad noua ſuffragia itum. Mirabili, ſummâque conſenſione Victori ſucceſſor datus Otto Epiſcopus Oſtienſis, Vr-

a *Chron. Caſſin.* b 1089.

banus Secundus appellatus, longè maximus Pontifex, qui nunc præeſt rei Chriſtianæ. Cuius inaugurationem eo maiore plauſu excepit Mathildis, quòd virum laudatiſſimum incredibiles dictu pro Eccleſiâ labores, carcerem, ac tormenta paſſum norat, & ex eius litteris mox cognouit Gregorij veſtigijs per omnia inhæſurum. Extemplo Vrbanus conuocatò Romæ Concilio diras in perduelles renouauit, & à Romanis impetrauit, vt Gibertum cum ignominiâ Vrbe expellerent, adactum iureiurando nunquam amplius inuaſurum Apoſtolicam ſedem. Verùm perfidi, ac periuri hominis furor continuò patuit. Sub id tempus plures illuſtri genere, famâque iuuenes, Mathildem ambierunt coniugem. Poſtremus aduênit Guelfo. Hîc Lanfrancum interpellans auditor Tiro, tranſis, inquit, ad procorum poſtremum, prioribus omnibus ſilentio prætermiſſis. Atqui eos quoque ex ordine referri à te, niſi moleſtum eſt, magnopere velim. Quando ita vis, excepit Lanfrancus, primùm nominarim Buamundum Guiſcardi filium, excelſitate animi, & partâ bello Græco gloriâ celebratiſſimum. Verùm is ſubitâ conuerſione fortunæ ſimul ſpe Græci imperij potiùndi, ſimul obtinendæ Mathildis dejicitur veneno præbito à nouercâ. Ita duo ſummi bellatores orbis, Buamundus Normannus, & Godefredus Belga, (de cuius in Mathildem animo ſuprà dixi) eodem tempore, eodemque potionis genere in diſcrimen ſalutis coniecti,

quo an euaſerint, incertum eſt. *a* Alius Mathildis procus fuit egregiâ indole Princeps Alexij Græcorum Auguſti filius & heres Caloioannes. Qui cùm ſplendidâ legatione Canuſium miſsâ, Mathildi ſe, & diadema obtuliſſet, reſpondit illa ſe quidem eum vel ſine coronâ placiturum pro eo quanti eſſet, facere; verùm ſtatuiſſe non nubere. Nihilominus alius palàm eandem ambijt, & Canuſium inſigni pompâ venit inſignis ipſe natalibus, & fortitudinis opinione, *b* Robertus Guilielmi Nothi Angliæ Regis filius natu maximus. Sed & ille reſponſum idem, hoc eſt repulſam, tulit. Denique poſtremus aduenit Canuſium *c* Guelfo diſſimulatâ perſonâ Mathildis ante demerendæ gratiâ, quàm proderet genus. Is erat Guelfone Boiorum duce genitus, opibus in Italiâ florens. Cæterùm non dubitabamus; quin & hunc, vt alios, Mathildis obfirmato ad celibem vitam animo reiectura eſſet: verùm mirantibus omnibus, conciliauit inter eos nuptiale fœdus Vrbanus. Quo id pacto factum, non eſt meum ſcrutari; nec, ſi ſciam, Dominæ arcana eius iniuſſu vulgare. Interim Gibertus vix Româ exceſſerat, cùm dolis, & pecunijs reparato exercitu totam Italiam rurſus commouit; totam certè Liguriam, alioſque ſubiectorum concitauit in Mathildem. *d* Reuocatus ab eo in Italiam Henricus adeſt, & ditionem Mathildis, & Guelfonis, ferro, incendijs, & maximè proditionibus fœdat. Caſtrum Romanum, quod adhuc Pontifex obti-

E 5

a *Pigna.* b *Vueſtmonaſt.* c *Crantz.* d 1099.

nuerat, corrupti Romanorum quidam intercepere furto, ac Gibertum antè expulſum rurſus admiſere. Qui ad Sancti Petri ſe ijs operibus iam communijt, vt ſine multo ſanguine non poſſit expelli. Mantua, aliaque munita loca Henrico dedita, aut vendita potiùs. In caſtris ipſis noſtris Hugo dux transfuga florem copiarum prodidit. Tentata ſæpe aliorum fides per colloquium, ac pecuniam cum ſuceſſu. Ego ſæpius ad defectionem ſollicitatus cùm in fide perſtarem inconcuſſus pollicitis, ac minis, in furorem egi ſcilicet Gibertum. Struuntur mihi inſidiæ: captus in vincula conjicior, & diuturno menſium octo maceror carcere. Tandem morti deſtinor, at occultæ, quamque homines nequam nolebant ſciri ſuâ crudelitate irrogatam. Accipe nunc facinus Mathildis magicum, vt vocant, verùm, vt vocandum eſt, planè diuinum. Dilatum erat exitium meum in proximam noctem, hoc eſt in ſanctiſſimi Epiſcopi Anſelmi nuper cælo recepti peruigilium. Oneratus grauibus catenis cùm mortem expectarem, opprimor ſomno. Per quietem video illum notiſſimum vultu Præſulem, & eius opem inclamo. Qui renidens cæleſti luce, octauo, inquit, die cultrum meum tibi mittam. Ego, etſi quid id eſſet, quod promittebatur, ambigebam, ſpe tamen erectus expecto. Octauo die homo ignotus (quem pòſt comperi eſſe ciuem Rhegienſem) ad me venit, & limam percommodam affert. Intellexi tunc eum eſſe cultrum, quem promiſerat

à *Vita Anſ. Luc.*

ſanctus Antiſtes. Ergo hac acceptâ confidenter compedes, aliaque vincula, quantâ poſſum velocitate reſcindo inſpectantibus cunctis, nec prohibentibus vllis eorum qui aderant, cuſtodibus carceris. Iam vinculis ſolutus hærebam tamen humi iacens, & cuſtodum metu cunctabar egredi. Ecce verò repentè mirum ſpectaculum. Sanctiſſimus Anſelmus ad me redit: Amazonem quoque Mathildem adeſſe video, & ſubſequentem hominum multitudinem. Qui cùm dicerent, quid exire cunctaris, ſurge confidenter, excede; animatus ſurrexi, videntibuſque cuſtodibus, nec contrà hiſcentibus, ac velut torpore defixis, eieci me foras, atque euaſi incolumis ad Mathildem Canuſij commorantem, licet eodem tempore viſam in carcere. Gibertus furere, Mathildis lætiſſima magno Anſelmo grates agere, omnes me viſo ſtupere, quemadmodum te quoque, hoſpes, ſtupentem video. Nunc Henrico Montem Bellum *a* obſidenti venit auxilio Gibertus, perterruitque multorum animos. Hic eſt tyrannus, qui vaſtitatem Italiæ intulit, cuius furore ad viginti hominum millia hoc bello cæſa, ſacra loca Romani imperij deſolata, oppida & arces dirutæ, cuncta paſſim fœdata populationibus, &, quod malorum caput eſt, hæreſi Gibertinâ. At Mathildi Chriſtianæ Amazoni nunc offertur pax, & Cæſaris beneuolentia, ſi cum Giberto redire illa velit in gratiam, de quo Carpineti iam cum conuocatis deliberat. Tu ex auditis, hoſpes, vide vtri parti fa-

E 6

a 1092. *Chron. Caſſin.*

uendum cenſeas. Hîc finem longæ narrationi impoſuit Lanfrancus, tacituſque, quid Tiro reſponderet, expectauit. Ille animi ſenſa tegens ita ſe venerari Mathildem oſtendit, vt Cæſari aduerſari nollet. Reſponditque, liquidiùs ex decretis illius Carpinetani conuentus conſtaturum, quid de partium causâ ſentiendum eſſet. Sub hæc Lanfranco de narratione actis perhumaniter gratijs receſſit, quæ audierat Vltori duci ſuo relaturus. Qui his nunciatis tantò impenſiùs ad acceptam iniuriam vindicandam incubuit, latens interim, quoad rei gerendæ obueniret occaſio.

LABO-

LABORUM HERCULIS CHRISTIANI.

LIBER SECUNDUS.

CONVENERANT *a* Carpinetum cum Mathilde Epiſcopi, alijque viri ex ſacro ordine complures, id diſcuſſuri, an Mathildis pacem, cæteroqui neceſſariam, admittere ſaluâ lege rectæ conſcientiæ poſſet. Inter cæteros Heribertus Rhegij Epiſcopus, de cuius ſapientiâ & probitate non parua erat opinio, pacem in hunc modum ſuaſit: Inclytam Mathildem à principio motuum *b* Italiæ ſuſcepiſſe tutelam ſanctæ Sedis, & aduerſus potentiam Cæſaream fuiſſe præſidio Pontificiæ maieſtati. Omnibus admirationem attuliſſe non magis pietate, quàm intrepidâ animi firmitate. Pugnaſſe ſuperiori bello contra Henricianos felici marte, & incredibili virtute adhuc tutatam Pontifices quatuor. At reuerſo nunc in Italiam Henrico mutatam rerum faciem. Exhauſtis

a *Domniz.* b *Florent.*

Digitized by Google

priore bello opibus, abſumptiſque militibus, redactos nunc ciues eius ad paucitatem, atque anguſtias. Mantuam cum tot munitis locis amiſſam, Liguriam denuò defeciſſe, Tuſciam tumultuari, Longobardiæ partem eam, quæ in fide maneat, habere in viſceribus Cæſarei exercitus vires. Quòd Mons Bellus adhuc reſtiterit Cæſari obſidenti, tribuendum eſſe non robori præſidij, vel loci munimento, ſed ſupremo conatui deſperabundorum militum. Mathildem ipſam, quòd ad eum vſque diem perſeuerauit obſiſtere Henrico victori, edidiſſe quidem inſolitum, ac mirandum exemplum conſtantis in Romanam Sedem animi, at non ſequendum ab alijs adminiſtrationis politicæ peritis. Paucos ei ſupereſſe milites, & deeſſe pecuniam, quâ nouos conducat. Siquos ad arma ſumenda vi compellat, confidi ijs non poſſe poſt tot exempla proditorum. Eiuſmodi homines animum non minùs, quàm operam, venalem ad licentium vocem circumferre. Nunc verò à Cæſare quantumuis ob potentiam formidabili, beneuolè offerri pacem conditionibus adeo commodis, quibus non poſſent peti commodiores, ſi modò rationis præſcripto non repugnent. Deum ipſum amare pacem, quæ non aduerſetur rectæ conſcientiæ. Ei autem non aduerſari pacem oblatam, ad quam ratio neceſſitaſque compellant. Et verò conducibilius Mathildi, & honorificentius reipublicæ Chriſtianæ futurum, ſi Henrici, ac Giberti errata conetur ipſa corrigere poſitis armis. Cum ambobus feliciùs actum

iri hortationum & monitorum ſuauitate, quàm ſeueritate armorum. Henricum interrogatum cur tanta auſus eſſet contra Gregorium, cauſam hanc attuliſſe, quòd is medicus ægro adhibuiſſet nimis acerba remedia. Igitur malum, quod ferro, & igni ſanari nequierit, mitiori manu curandum. Adhæc iuſtam eſſe cenſendam pacem ijs, quibus nulla niſi in pace ſalus relinquatur. Quare tandem arma non profutura exueret fortiſſima bellatrix. E virtute eius, atque ex inſtituto Eccleſiæ eſſe, tot belli malis finem imponere. Nimium ſanguinis innocui fuſum. Tot incendijs, ſacrorum profanationibus, ſtupris diuinam vindictam prouocari. Pacem Mathildi glorioſam, optatam omnibus obuenturam. Hac oratione Heribertus non ſolùm Patrum maximæ potiſſimæque parti perſuaſit pacem, ſed etiam Mathildis animum ita monuit, vt parum abſuerit à conſenſu. At ecce anachoreta, qui iſtic aderat, Ioannes nomine, homo vitæ ſeueritate comparatus ad vitam negligendam, offerendamque in diſcrimen pro Dei, & Eccleſiæ cauſâ, ſurgit, & tacentibus cæteris priori ſententiæ ſtrenuè, & vaticinantis in modum, *a* contradicit. Quis metus, inquit, ô Domina, animi tui adhuc intrepidi conſtantiam turbat? Quod commodum, aut quæ poſſeſſionum amplitudo comparari cum cæleſti mercede poteſt? Neſcitis vos Mathildem eam eſſe, quæ titulo filiæ diui Petri meritò glorietur? Ignoratis eandem Gregorio ſanctæ vitæ Pontifici promiſiſſe, nullis

a Florent.

rerum creatarum viribus, aut illecebris ſe ab obedientiâ Romanæ Sedis dimoueri paſſuram? Quo vos obtentu, quibus argumentorum coloribus officitis luminibus veritatis? Poteſtiſne Henrici partes ampleƈti, quin Gibertum Pontificem admittatis? Quid agatur hoc bello, quid pace, perpendite. Romæ arci Eccleſiæ imminet perditiſſimi Giberti ſpes. Seu bello vincat Henricus, ſeu pacem obtineat, regnabit Gibertus, & religionis virtutiſque veſtigium, vbi regnabit, relinquet nullum. Conditio pacis offertur ſpecioſa, fateor, at reipsâ turpiſſima. Quanti eſſe debet profana quantacumque quies, ac felicitas, ſi ſcelere comparanda eſt? Longè tibi conducibilius, magna Comes, omnia perdere, quàm cum damnatâ Gibertinâ hæreſi coniunƈta poſſidere. Maƈte igitur animo, & priſtinâ illa virtute perge tueri Eccleſiam. Non poteſt Deus religioſæ tuæ conſtantiæ non reſpondere efficaci præſidio. Fidem tuam non poteſt non ſequi prodigioſa viƈtoria. Tibi ego, Domina, nuncius adſum à Deo, quò minus ſperas à milite, & ærario tuo, eò maius, & præſentius è cœlo adeſſe auxilium. His vocibus diuino ſpiritu plenis roborata Mathildis eiurauit omnem de pace traƈtationem. Nec eſt variatum ſententijs inter alios. Omnes cum Proreginâ moti oratione anachoretæ intrepidi, ſtatuêre mortem potiùs, quàm oblatas à Cæſare conditiones pacis accipere. Quibus auditis Henricus iratus, iratiorque Gibertus clamant, domandum eſſe vi muliebre peƈtus. Id vbi ſemel in perti-

naciam induruerit, non aliter vinci poſſe. Mox machina ad murum diruendum admota. Hanc Mathildis improuisò iniectis ignibus redegit in cineres. Cæſar inflammatus maiore iracundiâ iubet premi obſeſſos, ſed ſuâ maiore iacturâ. In liberis præter Conradum, & Henricum puerum ex Berta ſuſceptos habebat filium nothum, *a* cui Henrico quoque nomen. Is priore bello dux paternarum copiarum iunctus Giberto ab Mantuam fuderat Mathildanos. Idem in hac Montis Belli oppugnatione, dum murum inuadit, occiditur. Cæſar ex dolore impotens ſui, miſſo Veronam cadauere, obſidionem, cùm minimè putaretur, abrumpit repentino occultoque conſilio, grauius aliquid moliturus in Mathildem. Abductis à Monte Bello copijs, primùm Placentiam, inde Parmam verſus mouet. Omiſſo dein, quod finxerat, itinere, ſubitò retrocedit Cauilianum, vnde Canuſium paruo interuallo diſtabat. Magna ex arcano inceſſerat Henrici animum cupido Canuſium principem Mathildis arcem exſcindendi, & in eâ Mathildem opprimendi. Hæc meditanti, nec rationem tantæ rei ſatis explicanti placebat tamen magis arcem adoriri ſubito impetu. At Giberto viſum adhibere fraudem, & belli furtum. In eam rem omnes ſuas verſat artes. Erat tunc Canuſij Mathildis, cognouitque Cæſaris aduentum, ſed non conſilium. Cæterùm ne is propinquam Cauiliano arcem Bibianellum interciperet, diuidit ipſa copias, & parte earum Canuſij

a *Domniz*.

relictâ, partem ſecum Bibianellum ſtrenuè ducit. *a* Menſis erat october, & vixdum certa lux, quam ipſam premebat caligo. Denſa nebula ex amne Lenciâ humidiſque vallibus exorta, condiderat cælum, & Canuſinum agrum inuoluerat. Penè totum diem durauit, belli furto accommoda. Vſus occaſione Henricus, qui non de capiendo Bibianello, ſed arce rerum Canuſio cogitabat, huc per caliginem educit exercitum. Duo erant montes non procul Bibianello, quorum alteri Iumignæ, alteri nomen Lintregnano. Per illum aduentabat Mathildis, per hunc Henricus denſis copijs ſtipatus procedebat. Exercitus alter alterius motum per tenebras non viſu, ſed aure comperit. Mathildis agnito ſtrepitu gradientis hoſtilis agminis cum ſuo feſtinat intrare Bibianellum, cui intercipiendo venire hoſtem putabat. At Henricus prætergreſſus paſſis vexillis Canuſium lætus properat. Aduertit ſerò Mathildis ſe, dum Bibianello cauet, Canuſio præſens creaſſe periculum, præcipuâ parte copiarum eductâ; nec eò iam rediri poſſe à ſuis, intercluſo ab Henricianis itinere. Neque verò fidendum quibuſuis ſuorum didicerat defectione, ac proditione multorum. Sollicitudini cumulum ingentem addidit res eiuſmodi. Mathildem Bibianellum cum agmine ſuo venientem ſecutus erat globus equitum paucorum, ſed inſignium. Proceres appellat Domnizo: at noti illi, an ignoti Mathildi eſſent, non ſcribit. Id addit, proceres illos, quicumque

a *An.* 1092. *Domniz. Florent.*

fuerint, ſubitò à Mathilde digreſſos, retrò abijſſe ad hoſtilem exercitum. Inter hos proceres, atque adeo horum principem fuiſſe Vltorem ignotum, cuius familiarem Tironem ſuprà Lanfranco Mathildano loquentem fecimus, pronum eſt exiſtimare ex re mox geſtâ. Nunc eius Vltoris grande facinus exequar, cuius ſummam Orderico Vitali hiſtorico æquali, claroque debemus; ordinem autem veriſimilem ex adiunctis, quæ hîc Domnizo teſtis oculatus refert, eliciam. Ignotus Vltor ad id efficiendum, quod moliebatur, Mathildem & ſequi cum ſocijs debebat, & volebat latere: cui rei argumenta pòſt dicam. Vt tardiſſimè, & ad latendum percommodè acceſſit ad eam hoc tenebricoſo die ſocijs immixtus. Qui dum Mathildi operam aduerſus Henricum offerunt, ipſe ne nimio latendi ſtudio ſe proderet, elato modicè caſſidis ſpeculari tegmine vultus partem detexerat. Mathildis mirata aduentum egregiæ iuuenum manus, nec ſatis certa quid ab ijs ſperandum, timendumue eſſet, hærebat. An tunc habuerit ſpatium contemplandi ſingulos, ſciſcitandique, quinam eſſent, non habeo dicere. Cogitationum æſtus mirum quantum in mente Amazonis inualuit, cùm proceres illi, obſeruato Henriciani agminis tranſitu, continuò cœpere capita inter ſe conferre. Tum repentè dux Vltor è mediâ turmâ euolat ad primos, ſeque, quantus erat, ſpectandum præbet Mathildi. Erat cæteris, ſi non cultu, certè ſpecie corporis tantò auguſtior. Per galeæ licet clauſæ cancellos ma-

ieſtas quædam emicabat, & ardor animi. Quem & toto geſtu prodidit cùm elatâ manu iubentis in modum ſignificauit ſocijs, vt ipſum ſequerentur. Mox ſubdit equo calcaria, conuerſiſque frenis tota poſt eum turma flectit iter ad Henricum. Relicta Mathildis, tanquam viſo monſtro attonita, tantùm non contremuit præ confuſione affectuum. Rubor, pallor, & aliæ turbidi animi notæ percurriſſent eius faciem, niſi pro eâ inſigni, quâ erat in perturbationes poteſtate, erumpentes illico repreſſiſſet. Cæterùm inuaſerant momento pectus Amazonis grauiſſimi motus. Viſa ſibi erat agnoſcere in eo duce Aquiliferum Godefredum. Reputabat illum hoſtem ſuum ſemper infenſum, nullis litteris ſuis placatum, nouis beneficijs & affinitate Cæſari obſtrictum, adeſſe, moliturum prioribus grauiora: illum moribundum, aut, vt fama erat, mortuum, ſubito prodigio excitatum, vt labantem fortunæ Canuſinæ ſtatum impelleret ſeu proditione, ſeu ferro. Inter iuſtam iram ac ſtuporem hærebat tacita, atque incerta an arma ſtringeret, eumque ſequeretur. At ſuccurrebat deinde animo hunc alium, quàm ex geſtu apparebat, eſſe poſſe. Lineamenta oris per galeæ cancellos, & obſcuro die non ſatis perſpici poſſe. Mentem ſuam Aquiliferi imagine plenam facilè poſſe ſibi fingere quod oculis non vſurpet. Ad hæc non ſemel inuentos homines geſtu vultuque ſimili, cætera diuerſiſſimos. Ita Conradum Henrici filium ore referre Sueuiæ Principem. Et verò Belgam Godefredum reuixiſſe, vel

etiam tam ſubitò conualuiſſe, ſpeciem veri non habebat. Ex hac recordatione fatalis morbi eius ſubeunte mœſtitiâ prior animi impetus elanguit; ambigebatque Canuſina quid ſtatueret. Cæterùm proceres illi ſic diſceſſere magis ſuſpecti, quàm venerant. Cogitabat Mathildis, ſi amici erant, præſens vitæ diſcrimen adire egregios iuuenes; ſin proditores, intelligebat ſe deceptâ tantò magis ab ijs periclitari Canuſium. Verùm ad hanc arcem propugnandam ſi reduceret ipſa copias ſuas non magnas, videbat & has inſidijs per tenebras, & relictum Bibianellum objici diſcrimini. Satius denique eſſe duxit Bibianello conſulere, & partem ſeruare, quàm rerum ſummam in diſcrimen conjicere. Ergo Bibianellum ingreſſa, Canuſium ſupplex commendauit Numinis prouidentiæ. Interim Cæſar appropinquabat Canuſio, magniſque cum eo lætitijs incedebat Gibertus. Robur præualentis exercitus, atque ipſæ tenebræ ſpem certam faciebant potiundæ deſertæ arcis. Vapor tam denſo nimbo vrbem operuerat, vt conſpectum eius eriperet agmini. Etiam Henrico, Gibertoque vacabat iocari de magico *illo* latibulo, nunc caligine velut magicâ circumfuſo. Henricus vniuerſæ militum multitudinis aduentu lætatus, Giberto adulatore ſolitâ vanitate ſpem eius inflante, duplicem inſtruxit aciem. Alteram ad inuadendam arcem miſit, alteram in colle vicino retinuit, quam vel Mathildanis, ſi Bibianello regrederentur, objiceret, vel oppugnatoribus arcis auxilio ſubmitteret. Milites alloquens repetijt haud ſanè

iucundam memoriam illius temporis, quo ante portam Canuſinæ arcis iniquiſſimâ hieme per triduum expectarat reſponſum Hildebrandi. Cohortatus eſt omnes ad vlciſcendas illatas ſibi in eâ latebrâ à mago, & magi amicâ iniurias. Tum conuerſus ad Obertum vexilliferum nouum, præfer, inquit, ſignum, teque in caliginem magicam infer intrepidè, ſecurus Pontificis & Cæſaris auſpicijs. Gibertus hac ſui mentione cum honore illatâ prouocatus, & ex conſuetudine immodicus laudator Cæſaris, cœpit prædicare militibus, quæ Henricus geſſerat, quæque non geſſerat. Multitudine operum eum non ſolùm meruiſſe Magni cognomentum, ſed anteceſſiſſe Iulij Cæſaris facinora, ac propemodum fidem. Ad quinquagies contuliſſe ſigna, plerumque fortunâ, ſemper gloriâ ſuperiorem. Deinde orſus recenſere victorias, in ijs etiam, quæ alieni operis erant, Henrico tribuit. Imprimis Godefredi Aquiliferi virtute & ſanguine partam gloriam intercepit non ſemel. Quin addidit illum transfugam non tam valetudine debilitatum, quàm femineis armis terrefactum latere, non aliàs quàm ſimulato morbo tutiorem, nec alio præmio quàm morte dignum. Poſtquam multiplices addidit militibus ſtimulos, Henricus iuſſit oppugnari Canuſium. Interim Lanfrancus, alijque Mathildani, qui in præſidio relicti erant, quanto in periculo verſarentur, non ſine dolore cogitabant. Stabant tamen nihilò ſegniùs armati in muris certi pro fide vltima experiri. Ecce autem eminus extra arcem exaudiri cœ-

pit ſtrepitus currentium equorum, tum vociferatio, mox excuſſorum telorum ſtridor, quorum nullum ad muros pertinebat. Indicio hæc fuere, pugnam iniri foris: cuius hæc erat occaſio. Ignoti proceres, digreſſi à Mathilde, moniti fuerant ab Vltore duce, Canuſium, quò intendebat, vnam viam ſupereſſe, & eam ipſam præter Henrici caſtra. Quare in promptu haberent tela, tanquam non iter, ſed prælium cum hoſtibus Henricianis inirent. Id detrectarent tamen quoad poſſent, & per obſtantes viam celeritate, & audaciâ potiùs, quàm ferro facerent. Non fortiùs imperauit dux, quàm Tiro alijque ſocij paruere. Nunquam exercitum neque numero militum minorem, neque digniorem famâ, & admiratione hominum vidit Italia. Omnes vnius nationis erant, plerique conſanguinei, nobiles omnes vel genere, vel virtute, Mathildique addictiſſimi. A quâ digreſſus dux non abnuerat perfidi ſpeciem, & cognomentum, vt ſub huius obtentu liberator Canuſij animus aperiretur ſuo tempore, poſtquam Henrico, Gibertoque intuliſſet cladem. Caſtra Cæſaris dum prætereunt, ſpeciem præbuere rectà tendentium cum Cæſarianis ad oppugnandam arcem. *a* Deinde obſeruati per agmina ſilentio procurrere, ac denique agniti pro hoſtibus, clamore teliſque laceſſuntur. Verùm memores monitorum ducis, nec ſe, pugnâ implicari paſſi ſunt nec tranſitu prohiberi. Peruecti ad portam arcis orauere admitti ſuppetias venientes à Mathilde

a Donniz.

per media hoſtium tela. Cumque eius rei fidem feciſſent, introductus cum ſuis dux Vltor oppidanis non tantùm animos erexit, ſed miræ audaciæ conſilium dedit. Non eſſe poſt muros expectandam oppugnationem, ſed in hoſtes prodeundum. Nebulæ caliginem egredientibus obſecundaturam. Inopinatâ eruptione & fiduciâ turbaturos hoſtem. Non diffidendum paucitati, ſed Deo causæque fidendum. a Aderat anachoreta Ioannes, ille nuper diſſuadendâ pace nobilitatus, nec læta magis vaticinatus, quàm vera. Is hæſitantes vel hortatione pręſenti, vel recordatione promiſſi nuper auxilij ſtimulauit ad audendum. Ire fortes, ire felices iuſſit, & honores, ac præmia à Mathilde, Deoque ſperare. Inde pleni animis ordinatâ acie cum Vltore duce muris erumpunt anachoretâ cum alijs viris religioſis ſacra carmina modulante, & cæleſtem opem conciliante euntibus. Nec ille ſuos, nec eum fefellit fiducia Numinis. Nebula ad multum diei adeo denſa fuit, vt lucis vſuram eriperet non ſolùm proſpectu extra vrbem adempto, ſed tantùm non propinquo congredientium inter ſe conſpectu. Hac velut latebrâ tecti Canuſini hoſtem effusè venientem, campiſque inconditè obſtrepentem adorti ſilente, confertoque agmine. Primùm denſus ſagittarum imber in Henricianos effunditur. Inde ad manus acriter ventum, directo in eam partem impetu, quà Cæſarea aquila præferebatur. Geſtabat Oberti filius, illius, opinor, Marchionis, qui in caſtris ad Sorbaram

a *Idem.*

Sorbaram nocte à Mathilde oppreſſus occiderat. Ibat hic magno animo vlturus patrem, approbaturuſque factis, ſe dignum Aquiliferi Belgæ ſucceſſorem. At Mathildanis proceribus illuc inuectis, calente pugnâ, ipſe vexillo notabilis à bellatore incognito incurſatur aduerſo equo, ferroque appetitur. Quod euitaturus, dum in latus ſe flectit, loricæ pondere & vi petitionis corruit cùm aquilâ, grauiter læſus. Ingentis facti gloria per tenebras preſſa cum auctore tunc latuit. Concurrêre ad opem proſtrato ferendam Henriciani, at nullo potuere conatu efficere, quin Cæſarea aquila in manus hoſtis veniret. Et pleriſque cum vexillifero cadente ceciderat animus. Ille aquilâ amiſsâ repoſitus in equum, retro in collem ad Cæſarem Gibertumque ſe fugâ recepit, multis ſequentium amiſſis. Penitùs diſpar Aquilifero Godefredo in Rudolphum pugnanti, cùm hic aquilâ ſeruatâ victoriam adeptus ſit, Obertus amiſsâ perdiderit. Cęſar ac Gibertus fœdâ Marchionis clade turbati hærebant ſimul attoniti, ſimul irâ ac dolore perciti, quod Canuſinam arcem non modò non potuiſſent capere, ſed ne videre quidem propter nebulam, immo ab incognitis arcem ingreſſis acie victi fugatique eſſent, amiſſo vexillo primario, totque victoriarum fructu, & gloriâ. Acceſſerat altera doloris, & conſternationis cauſa. a Allatus eo ipſo tempore Cæſari ingratiſſimus nuncius de filio Conrado ad Allobroges miſſo. Ferebatur hic è caſtris ſuis nuper abſceſſiſſe clanculùm, & ad

F

a *Sabell.*

Mathildem defeciſſe. Ergo mœſtiſſimus Cæſar collectis extemplo vaſis Baianum cum exercitu ſugit. Baiani peractâ inſomni nocte contendit ad Padum, & biduo tranſportauit exercitum. Præclaram de eo victoriam *a* adſcribit Domnizo proceribus à Mâthilde digreſſis in arcem. In his, ac horum ducem fuiſſe illum, quem dixi, ignotum Vltorem didici ex *b* Orderico, qui prodat ab eo iuuene ſibi notiſſimo Cæſarem è campo coniectum eſſe in turpem ſugam, quæ nuſquam niſi ad Canuſium contigit. Irarum cauſa additur atrox iniuria, quâ iuuenis ab Henrico fuerat affectus; inde induerat animum & nomen Vltoris. Iam Obertum Cæſaris vexilliferum non ab alio quàm ab hoc fuiſſe proſtratum facilè credet, qui animaduertet ſolitum ipſum in acie pignerari fortiſſimum quemque. Qui Canuſij ſupererant, depulsâ ſole nebulâ vacua hoſtium caſtra conſpexere, dum interim victores hoſtium veſtigijs inhærent. Nec defuere, qui Mathildem de victoriâ certiorem facerent. Prædicabant inexpectatum procerum auxilium, proſtratum ab ignoto bellatore Obertum, aquilam captam, Cæſarem cum Giberto fuſum fugatumque, vnico è Mathildanis deſiderato. Proregina tam ſubitâ, atque inopinatâ, eaque tantâ rerum conuerſione ſtupens pariter ac læta, Deum veneratur. Grates ei primùm, deinde pugnatoribus, vt quiſque acceſſerat, egit, omnibus agere ac referre cupida. Mox prodijt & ipſa in campum victores ſequens, imminenſque tergis

a Domniz. *b Order.*

hoſtium, & recipiendis, quæ ceperant, locis. Subierat animum ingens cupido noſcendi victores illos, & horum maximè ducem. Mente ambiguâ Belgam eum Godefredum eſſe & cupiebat, & adduci non poterat vt crederet, cùm non caperet, quomodo is repentè extitiſſet ex moribundo ac mortuo ſuperſtes, atque ex hoſte defenſor. Interim perlata illuc fama de Conradi defectione à patre, flexit animum Mathildis, vt putaret hunc veriſimiliùs veniſſe ſibi auxilio, quàm Godefredum. Cæterùm tunc Mathildi adhuc fuiſſe incognitum illum, quicumque erat, ducem, collegi ex mox ſecutis. Inter hæc *a* ſuperuênit Veronâ deſtinatus ad eam nuncius. Ignota erat facies hominis. Exceptus à cuſtodibus corporis perducitur in conſpectum Proreginæ gemens, & veſte ſqualente, digreſſiſque arbitris ait ſe miſſum ab infeliciſſimâ Principum Auguſtâ Praxede. Hæc præfatio Mathildem multiplici expectatione commouerat, quid potiſſimum timeret, incertam. Iuſſus dicere Veronenſis. Cæſar, inquit, in Italiam rediens aduerſum te, voluit Auguſtam coniugem adeſſe teſtem flagitiorum ſuorum, iuſſitque ſecum venire cum deformi comitatu, *b* nobilium pellicum grege. Praxedis dedecorum aulæ Cæſareæ pertæſa, valetudinem primùm excuſauit. At ſuaſu tamen bonorum quorundam, ne & virum & occaſionem qualemcumque eius ad frugem reuocandi neglexiſſe videretur, denique comitata eſt. Sed quid pietate conſecuta ſit audi,

F 2

a Florent. *b Gerbohus.*

& miſerare. Illa coniux formâ, nobilitate, morum honeſtate inſignis, principiò tam cara ſuis fratriſque Godefredi meritis, diſplicere cœpit Henrico. Non defuere, qui innocentem accuſarent. In eâ cùm vitia non poſſent, virtutes ſunt criminati. Ac primùm quòd pudica eſſet crimini datum eſt. Caſtimonia Auguſtæ ſcilicet viſa eſt cenſura libidinum non ſolùm Auguſti; ſed & Giberti dudum *a* inceſtorum amorum comperti, damnatique à Pontifice. Inde offenſi ambo excogitauerunt pœnæ genus omnibus criminibus fœdius. Tanquam vulgaris flagitij puderet, palmarium inuenere. Decretum *b* vt Auguſta, ne integritate gloriaretur, per noctem offerretur infamiæ. Præſcijt illa tempus & locum, & dolore percita, clàm proborum quorundam implorauit opem. Plena erat res difficultatis & periculi, Cæſari Gibertoque obſiſtere. Et iam infelix Praxedis circumuenta ſcelere, deprehenſaque in thalamo noctu, implicita vinculis ad ludibrium & dedecoris patientiam erat. Cæterùm amici armatâ manu irrumpunt in tempore, & immunem intactamque eripiunt, nec non inobſeruati per tenebras euadunt. Inde aliud malum exortum, alia criminatio. Vocata eſt in ſuſpicionem *c* clandeſtinorum amorum cum aliquo eorum, à quibus liberata fuerat. Henricus, quam modò improbitati proſtituerat, nolebat vel probam, vel improbam eſſe ſuo arbitratu, ſed mariti. Accuſatorum principem dixerim Gibertum, cui Praxedis in

a *Bernrid.* b *Gerhohus.* c *Crantz.*

eo maximè diſplicebat, quod obſeruarat *a* ipſam aduerſari ſectæ Gibertinæ; tibi vero, Domina, ſtudere. His offenſus ſanctus Pontifex, & maieſtatem ſuam violari non ferens, gratiam apud Cæſarem, & potentiam flagitijs quæſitam in caput innocentis Auguſtæ exercere ſtatuit. Tot enim ſceleribus meritus eſt, vt huius quoque auctor fuiſſe credatur. Ergo Cæſaris credulæ aures duobus falſis criminibus occupantur, Praxedis violati tori & defectionis ad Mathildem rea in ſecreto agitur, periculi latentis ignara. Monetur ab accuſatoribus Cæſar, vt omnia vxoris obſeruet. Iam antè notarat eam ſæpius, familiariuſque Conrado loqui. Ex his tametſi nihildum iure poterat de fide coniugis perperam ſuſpicari, tamen non placuerat familiaritas, quam ex ingenio ſuo æſtimans, cenſebat procliuem ad amorem. Acceſſit quòd Auguſtam, poſtquam turpi illo periculo nuper defuncta eſſet, videret triſtiorem, & ſibi non niſi coactâ quâdam oris conformatione ridentem. Non defuere, qui interpretarentur Cæſari cauſam triſtitiæ eſſe, quòd vileſceret ipſe vxori alienâ conſuetudine captæ. Hinc intentior in eius verba & geſtus, ſeu ea cum Conrado, ſeu cum alio procerum ageret, vbique captans occaſionem ſiniſtras de eâ ſuſpiciones confirmandi, vnguem ſcilicet figebat in vlcere. Aduerterat aliquando Conradum ſecretò loqui Praxedi, nutuſque inter eos, tum intimæ neceſſitudinis teſtes, tum mœroris. Mox in mentem venit

a *Pigna.*

ſuſpicioſo Principi cauſam mœroris eſſe, quòd amantibus deeſſet facultas amandi apertiùs. Nempe Praxedi ſe iam vilem eſſe: Conradum toto ore ſibi diſſimilem, nec agnoſcere ſe patrem, nec vereri. Datâ occaſione Praxedem interrogat quidnam ei doleat: Auguſta præfata veniam, ſi parendi ſtudio exponeret ei ſincerum, & diu tectum animi ſenſum, ſubiecit ſe cum Cæſare non recuſare vel in caſtris verſari, vel partiri belli labores, ac pericula: ſed eo bello delectari non poſſe, quo *a* Mathildis conſanguinea, & compertæ probitatis Princeps vexaretur auctore Giberto. Cæſar irâ percitus, quòd condemnari ſe ſentiret, cùm tu, Domina, abſoluebaris, inuectus multis in coniugem, ita concluſit: cùm Mathildem innocentem, me cum Giberto nocentem facis; prodisque quod dudum notaram, me tibi viluiſſe, nempe alieno amore implicitæ. At, ſi viuo, ſenties quantum mihi debueris, & quid poſſim. Sub hæc repudiatam iubet in cuſtodiam abripi. Mox Conradus euocatus à Cæſare non iam irato, ſed furente. Vereor, Domina, caſtiſſimas aures tuas contaminare narrandâ turpitudine conſiliorum Principis furioſi. Cætera ex hoc vno collige. Cùm Conradus in conſpectum prodijt, Henricus, ſiue vt coniugem dedecore vlciſceretur, ſiue vt iuuenis animum in eam exploraret, certè hunc ſeriò ſollicitauit ad vitium inferendum captiuę. Obſtupuit Conradus ad tantum nefas principiò. At leno Cæſar, vt id perſuaderet, & verecundiam demeret paterni tori violandi, declarauit ei arca-

a Pigna.

num natalium. Nihil eſt, inquit, quòd tantopere mea iuſſa refugias, neque enim illa tibi nouerca, vt putas, neque tu es filius meus, ſed eius Sueuiæ Principis, cuius vultum refers apprime. Hic Conradus obmutuit, cui ſcilicet non potuit non ingrata eſſe oratio, quâ ſe Cæſareâ ſimul claritate ſanguinis, ſimul hereditate excidiſſe diſcebat. Sed ſuſpicari timeo, & ſcire pudet, quid auſus ſit deinde iuuenis ſollicitatus Cæſaris iam non patris imperio, Praxediſque non nouercæ formâ. Id ſcio Conradum Henrico talia ſuadenti non oblocutum, deinde ſecretò adijſſe Praxedem, poſtea iuſſu Cæſaris diſceſſiſſe ad Allobroges cum copijs ipſum, Praxedem in caſtris videri deſijſſe. Quid nunc ſentias, Domina, de iuuene illo, quem vulgò caſtiſſimum, Godefredoque Duci amiciſſimum cenſebamus? Mathildis adhæc ſtupens ſic interfata eſt: certè ſi talis fuit, qualis habebatur, cur Cæſari non exprobrauit conſilij infamiam? Cur Praxedem, quando adijt, non liberauit carcere, aut ſaltem poſtea liberare contendit eorum militum operâ, cum quibus ad Allobroges diſceſſit? Nempe nec de captiuæ dedecore ſollicitus, nec Godefredi memor eſt, nec retinens virtutis Cæſareæ, ex quo Cæſareo genere excidit, ſed Cæſaris tantùm metuens; cui, heu! nimiſquàm promptè paret. Interim, excepit Veronenſis, æger in Belgicâ Auguſtæ frater, acerbiſſimo illo nuncio vel celandus viſus eſt, ne eo mors acceleraretur, vel ſi de ſorore reſcijt, ad extrema deductus eſt. Mathildis triſtiſſimâ narratione perculſa vir-

ſuſpicioſo Principi cauſam mœroris eſſe, quòd amantibus deeſſet facultas amandi apertiùs. Nempe Praxedi ſe iam vilem eſſe: Conradum toto ore ſibi diſſimilem, nec agnoſcere ſe patrem, nec vereri. Datâ occaſione Praxedem interrogat quidnam ei dolcat: Auguſta præfata veniam, ſi parendi ſtudio exponeret ei ſincerum, & diu tectum animi ſenſum, ſubiecit ſe cum Cæſare non recuſare vel in caſtris verſari, vel partiri belli labores, ac pericula: ſed eo bello delectari non poſſe, quo *a* Mathildis conſanguinea, & compertæ probitatis Princeps vexaretur auctore Giberto. Cæſar irâ percitus, quòd condemnari ſe ſentiret, cùm tu, Domina, abſoluebaris, inuectus multis in coniugem, ita concluſit: cùm Mathildem innocentem, me cum Giberto nocentem facis; prodisque quod dudum notaram, me tibi viluiſſe, nempe alieno amore implicitæ. At, ſi viuo, ſenties quantum mihi debueris, & quid poſſim. Sub hæc repudiatam iubet in cuſtodiam abripi. Mox Conradus euocatus à Cæſare non iam irato, ſed furente. Vereor, Domina, caſtiſſimas aures tuas contaminare narrandâ turpitudine conſiliorum Principis furioſi. Cætera ex hoc vno collige. Cùm Conradus in conſpectum prodijt, Henricus, ſiue vt coniugem dedecore vlciſceretur, ſiue vt iuuenis animum in eam exploraret, certè hunc ſeriò ſollicitauit ad vitium inferendum captiuę. Obſtupuit Conradus ad tantum nefas principiò. At leno Cæſar, vt id perſuaderet, & verecundiam demeret paterni tori violandi, declarauit ei arca-

a Pigna.

num natalium. Nihil eſt, inquit, quòd tantopere mea iuſſa refugias, neque enim illa tibi nouerca, vt putas, neque tu es filius meus, ſed eius Sueuiæ Principis, cuius vultum refers apprime. Hic Conradus obmutuit, cui ſcilicet non potuit non ingrata eſſe oratio, quâ ſe Cæſareâ ſimul claritate ſanguinis, ſimul hereditate excidiſſe diſcebat. Sed ſuſpicari timeo, & ſcire pudet, quid auſus ſit deinde iuuenis ſollicitatus Cæſaris iam non patris imperio, Praxediſque non nouercæ formâ. Id ſcio Conradum Henrico talia ſuadenti non oblocutum, deinde ſecretò adijſſe Praxedem, poſtea iuſſu Cæſaris diſceſſiſſe ad Allobroges cum copijs ipſum, Praxedem in caſtris videri deſijſſe. Quid nunc ſentias, Domina, de iuuene illo, quem vulgò caſtiſſimum, Godefredoque Duci amiciſſimum cenſebamus? Mathildis adhæc ſtupens ſic interfata eſt: certè ſi talis fuit, qualis habebatur, cur Cæſari non exprobrauit conſilij infamiam? Cur Praxedem, quando adijt, non liberauit carcere, aut ſaltem poſteà liberare contendit eorum militum operâ, cum quibus ad Allobroges diſceſſit? Nempe nec de captiuæ dedecore ſollicitus, nec Godefredi memor eſt, nec retinens virtutis Cæſareæ, ex quo Cæſareo genere excidit, ſed Cæſaris tantùm metuens; cui, heu! nimiſquàm promptè paret. Interim, excepit Veronenſis, æger in Belgicâ Auguſtæ frater, acerbiſſimo illo nuncio vel celandus viſus eſt, ne eo mors acceleraretur, vel ſi de ſorore reſcijt, ad extrema deductus eſt. Mathildis triſtiſſimâ narratione perculſa vir-

tute totâ ſuâ eguit, ne dolori ſuccumberet. Audiebat ſe defenſam ab Auguſtâ, & ideo hanc in odium ærumnaſque vocatam; ambigi de Conradi genere & continentiâ, atque adeo de Godefredi Proregis vitâ. Aliquamdiu vocem tenuit, ne abiret à maieſtate. Deinde interrogat paucis nuncium (nec pluribus patiebatur dolor) ſciatne, quem ad locum è caſtris abducta ſit Auguſta; tum an adhuc illa, fraterque Godefredus viuant. Non poſſum, inquit Veronenſis, viuam dicere eam, quæ calamitatem patitur omni morte acerbiorem. Iuſſu Cæſaris clàm abducta Veronam, ibi pleriſque ignorata in cuſtodiam data eſt arctiſſimam, malorum tamen, quæ patitur, leuiſſimum. Eiuſmodi ſunt, quibus mortem ſæpius præoptarit. Verùm id beneficij conceſſum non eſt. Illud autem contigit, vt occaſionem diu quæſitam tandem inuenerit aliquem noſcendi, cuius fidei credere raptim poſſet partem ſaltem arcanorum. Eâ me dignata eſt impertiri, atque ad te miſit oratum infimis precibus, vt ſororis, fratriſque infortunijs tacta, & placata vtrique, coneris miſerandam Principem eripere gurguſtio. Ne, quæſo, patiaris, quam nuper ouantem Cæſareâ dignitate vidit orbis, iacere in infamiâ vltimâ, quod vix Turcarum oculi ſpectaculum ferre poſſent. Si quidquam ſceleris, quod coniux in coniugem edere poteſt, prætermiſſum eſt ab Henrico, non recuſat Auguſta, quin eam dedigneris. At non intereſt, vtrum ſub Henrico Praxedem eſſe ſinas, an iratis Turcis ad ſupplicium atque infamiam

dedas. Hæc nuncius de Auguſtâ. Iam de fratre Proregc quid reſpondere potuit, niſi, quod triſtis fama ferebat, obijſſe? Et Mathildis quid de eo exiſtimare aliud poterat? Si enim viueret Godefredus, & in Italiâ eſſet ignotorum procerum vnus, cur non ab eo ſoror auxilium poſtularet, ſed à Mathilde? Cur ab inimicâ potiùs, quàm à fratre? Et verò cur ille ſorori opem vltrò non ferret, ſed Mathildi? Ergo conſequens erat alium ab Aquilifero Godefredo eſſe oportere ducem ignotum, qui ad Canúſium pugnarat tam fortiter, tamque feliciter. Videbaturque veriſimilius eſſe, Conradum Cæſari iam iratum præclara illa patraſſe. Atque hæc argumenta meipſum adduxere, vt rem adhuc ſic narrandam putarem. Mathildis multiplici dolore conflictata, id ſaltem, quod rogabatur, exequi ſtuduit. Licet ſatis gnara, quàm difficile eſſet liberare Praxedem, tamen minimè diſtulit ad opem ferendam incumbere. Fido illo Veronenſi ad eam ſolandam, & bonâ ſpe erigendam remiſſo, eodem vſa eſt ad alios Veronæ clandeſtino commercio ſollicitandos, & cùm tempus eſſet, conſilij participatione impertiendos. Rei efficiendæ ne quid deeſſet, *a* militum fidiſſimos alieno cultu ſubmiſit Veronam. Dum hæc res agitur, Mathildis ſimul intendebat in belli reliquias profligandas, nunquam non de nunciatâ Godefredi incertâ ſalute cogitans, ſimul memor ignoti procerum ducis auebat diſcere quis eſſet. Profecta ad exercitum à ſuis gaudio ex-

F 5

a Domniz. Florent.

ultantibus excipitur. Audit à Lanſranco ſuo ignotos proceres, qui haud procul aberant, perrexiſſe operam nauare iuxtà ſtrenuam ac felicem. Cum Canuſino agmine inhæſiſſe fugientium hoſtium tergis,& eo bello primas virtutis, gloriæque partes retuliſſe. Cæſaris extremum agmen carpſiſſe non ſemel. Campeſtrem regionem cis Padum, antè occupatam ab Henricianis, recepiſſe. Traiecto flumine multa loca munita hoſtibus eripuiſſe, atque in ijs Gubernulam. Ibi repertis magnificis Henrici veſtimentis, auro, purpurâque, & ijs ornamentis, quibus imperij dignitas eminet, potitos. Henricum modò formidabilem Italiæ, iam non tantum profligatum, ſed & humeris ingeſtum veſtimentorum ſpecie, quæ tanquam opimum ſpolium afferantur. Ita Cæſarem vexillo principe, & cultu corporis exutum fugiſſe cum Giberto in arcem Argentum, ſi quam iſtic nouam fabam recudere poſſint. Conradum verò ab Henrico iam ante Canuſinam victoriam defeciſſe. Proreginam Mathildem tantâ famâ & gloria eſſe, vt populi alius ſuper alium eius fidei ſe crediderint, atque a Italiæ Reginam pluribus locis conclamarint. Sub hanc Lanfranci narrationem gliſcente lætitiâ eius, & circumſtantium militum, ingenti vociferatione Mathildis Regina ſalutatur. His ad hunc modum geſtis, longè maximâ Mathildanorum in præſens gloriâ, & in futurum ſpe, tamen Mathildem tanti ſucceſſus voluptate frui non ſinebant triſtia Ve-

a *Chron. Hirſaug. Pigna.*

ronâ paulò antè nunciata. Cæterùm gratijs & laudibus proſecuta eſt victores in commune, ac priuatim ignotos proceres, vt quiſque adfuit. Quorum omnium nomine, qui Mathildi gratularetur, præmiſſus Tiro, antequam dux ipſe veniret in conſpectum, ac notitiam. Colloquium cum Tirone miſcuit illa haud dubiè inſigne affectibus: quod cuiuſmodi fuerit, vellem memoriæ proditum; vero affine proferam. Poſtquam laudauit Mathildis fortiſſimos Canuſij liberatores, victoreſque Cæſaris ac Giberti, dixit ſperare ſe ab ijs præterea id gratiæ, vt ne vltrà latere velint, neu ſe celent cuiates, & qui ſint. Reſpondit Tiro, Reginæ in cæteris omnibus palàm morem geſturos, at hâc in re ſecretò, ſi per eam liceat. Ipſius Mathildis intereſſe, ne ab alijs agnoſcantur quàm ab ipſâ. Inde ſubductus à turbâ Mathildi expoſuit ſe ac ſocios Belgas eſſe, mereri ſub eâ iuſſos à Domino ſuo Lothariæ Prorege Godefredo. De cuius inſtituto vitæ, ex quo ab ipſâ poſtremùm digreſſus ſit in Belgicâ, deque lethali eiuſdem morbo, & vltimâ voluntate, ſe, ſi pateretur Regina, pauca dicturum. Trepidâ ad hæc Mathilde annuente vt diceret: *a*

Te, Domina, inquit ille, reuertente in Italiam, Godefredum mirabiles, & peràcerbi caſus excepêre, ſed quorum nullus funeſtior, quàm, quo à te Gibertinis fraudibus demum abſtractus eſt. Protinus ei adoleſcenti, vt defuncti Proregis auunculi hereditatem adiret, varium certamen, & vitæ diſcrimen aditum.

a RELIQVVM *primordiorum Godefredi.*

eſt. Cæſar huic, vt avunculo paulò antè mortem, palàm aduerſabatur. Quâ offenſione freti quidam procerum, quidquid teſtamento Gibber heredi reliquerat, eripere lite, vel armis ſtatuerunt. *a* Bullionum Namurci Comes Albertus ſibi vindicabat, Virodunum eius loci Epiſcopus, Lotharienſis regni Præfecturam ipſe Cæſar; quam, nullâ adoptionis, aut teſtamenti habitâ ratione, aiebat ſui iuris, atque arbitrij eſſe, quòd Gibber ſine liberis diem obierat. Ita miſerandus adoleſcens modò tam fortunatus, nunc caro avunculo orbatus, tuoque, Regina, tum conſpectu, tum conſilio, inſuper totâ illâ ingenti hereditate euertebatur. Ab aduerſarijs nihil ei relinquebatur de tantis bonis, ne iter quidem ad ſepulchrum avunculi. Nec in fortunarum modò, ſed etiam capitis dimicationem ſe veniſſe mox cognouit. At tanto periculo maior, ſtatuit ei obuiam ire, atque ad Cæſarem proficiſci. Memor vſque tui, tuorumque in vltimo colloquio monitorum, exiſtimabat ſe non modò vituperationi obnoxium fore, ſed perpetuo contemptu dignum, ſi ſe eâ hereditate, quâ dignum coniux tuus, euque iudicaſſetis, priuari pateretur. Cæterùm non neſciebat ſibi ſoli, & adoleſcenti, & iam facultatibus nutantibus propè deſtituto contendendum eſſe cum *b* Albertó Namurci Comite alijſque aduerſarijs multis, ætate, vſu rerum, potentiàque florentibus. At licet ipſe ſumma habuiſſet cætera, eâ re quidem certè ſe carere, quæ in aulis ſummi eſſet

a *Vuaſſeb.* b *Io. Leod. in MS.*

momenti, gratiâ. Vno iudicio de honore, de fortunis, ac fortè de vitâ decernendum eſſe coram Cæſare iudice offenſo eò periculoſiùs, quòd offenſionis cauſa neſciretur. Diſceptantibus coram *a* eo ſæpe à verbis ad arma veniendum eſſe, liteſque finiri internecino certamine. Albertum ſibi diem coram Cæſare dixiſſe, virum potentiæ, & roboris famâ celebrem, quem vel ſi viciſſet, non fore ſe in tuto; ſupereſſe alios hoſtes, atque omnium primum Cæſarem, ob æmulationem gloriæ fortibus viris malignum; qui cùm ſtrenui famam ipſe captaret, quos putaret hoc nomine ſuis laudibus officere, eos vel obiectaret periculis, vel inſidijs tolleret. Hæc reputabat inter viam Godefredus; quæ vulgò comperta erant. Cæſar bello Saxonico victor in Belgicam ſub Paſchales ferias triumphanti ſimilis venerat. Adfuere Vltraiecti magnâ frequentiâ proceres: alios aliæ cauſæ, ſpes non paucos allexerat. Ampliſſimum munus Lotharienſis regni præfecturam, quæ Gibberi fuerat, prenſatam à multis, vni Cæſar erat collaturus. Ergo ſuſpenſis expectatione animis calebant ſtudia partium. Inter candidatos generis claritudine opibuſque pollentes, conuertit in ſe omnium oculos præſtanti ſpecie adoleſcens pullatus Godefredus. Quantum eius virtuti cum aduersâ fortunâ certamen eſſet, latebat neminem. Nihil certius adoleſcenti de totâ avunculi hereditate reſtabat quàm Cæſaris odium. Cæterùm, vt in eius veſte luctus, ſic in geſtu

a *Viterb.*

oculiſque magnitudo animi cernebatur. Venit in aulam intrepidus, non alio præſidio armatus contra tot pericula, quàm iure, & periculorum contemptu. Per medios aduerſarios proceſſit in conſpectum Cæſaris eo vultu, qui nec deſpectum maieſtatis, nec metum potentiæ præ ſe ferret. Hîc primùm cum conſanguineo Alberto verbis diſceptatum eſt. Quibus cùm res non componeretur, prouocante ad arma Alberto, pronunciauit Cæſar controuerſiam, ex recepto in Imperio more Longobardico, a armis dirimendam. Prouocator decretum pro ſuâ ferociâ geſtiens excepit, at Godefredus animo quidem minimè impari, ſed planè Chriſtiano, ægrè tulit. Nempe oderat enſes extra aciem cruentos, ſecumque reputabat non cum barbaro hoſte, ſed cum conſanguineo, nec aliâ de causâ quàm de poſſeſſionibus ſubeundum eſſe ſingulare certamen, minimè ludicrum illud, ſed decretorium, eâque conditione, vt victus vteruis & causâ cecidiſſe cenſeretur, & ignominiosâ morte occumberet. Id ergo omnino inuitus accepit, nec niſi propterea quòd tali loco, ac tempore declinare ſaluâ dignitate non poſſet. Fuere procerum quidam, qui Henricum conuenirent orantes etiam atque etiam, ne par inſigne Principum tam periculoſum ſui ſpectaculum populo præberet: verùm ſtetit in ſententiâ Cæſar. Ergo in arenam deſcriptam, repaguliſque ſeptam deſcendêre pugnatores armati. In aduerſis circi partibus ſuum vtrique tabernaculum erat,

a Tyr,

in quo tantiſper acquieſcerent, donec congrediendi ſignum daretur. Adſtabant de more delecti procerum arbitri pugnæ. Spectatum venerat circumfuſa vulgi innumerabilis corona, eminebatque in ſuggeſtu iudex ſupremus Cæſar. Præcone tertium vociferato irent ſtrenui pugnatores, proceſſere ex tabernaculis fulgentes armis. Mox diſtricto ferro, priuſquàm ſe, ſpectatorum animos percuſsêre. Alios ſpes, alios metus, prout alteri partium ſtudebant, omnes horror inuaſerat. Congreſſi mox ictus congeminant ictibus, nunc clypeum, nunc galeam pulſant, nunc loricæ aditus mucrone pertentant. Primùm ex artis legibus manus conſeruntur: mox vbi pugnantes produxit calor, viribus indulgent, & impetu rem gerunt. Emicabat Godefredi indomitus vigor, quem populo commendabat ætas tenerior iuxta ac dexteritas, & comperta aduerſariorum potentia nimia. Suſtinere ſibi eo certamine videbatur non tantùm ius, decuſque ſuum, ſed & avunculi, & tuum, Regina, quorum beneficio, ac fauori hoſtis obſtabat. Tanquam intuereris manum pugnantis, plenus tuâ exhortatione nuperâ, nunc promouet gradum, nunc ſuccedit in latus, in omnem occaſionem imminet petendi Alberti. Armis, oculiſque vibrat, & fortunæ iraſcitur, quòd tam ſerò reſpiciat. Ecce autem adoleſcenti validiorem ictum intentanti Albertus clypeum objicit, quo exceptus Godefredi *a* gladius in partes penè capulo tenus diſſilijt. Tantummodo fra-

a *Tyr.*

gmentum ſemipede longum in manu ſuperfuit. Ingemuere optimi ſpectatorum, animaduerſo adoleſcentis tanto diſcrimine. Neque enim ſpes ſalutis affulgebat vel ab eius virtute, qui iam inermis contra armatum, valentemque conſiſteret, vel à gratiâ Cæſaris, qui ſciebatur inſenſus. Cæterùm arbitri proceres iniquitatem pugnæ miſerati tantiſper ceſſationem imperant, Cæſaremque conueniunt. Dato reſpirandi ſpatio pugnatores galeæ tegmen ſuſtulerant. Intuebatur Henricus Godefredum, qui non periculo expalluerat, non circumſpexerat fugam, ſed perſtiterat in gradu pariter & ardore certaminis. Geſtus acer, atque athleticus, pectus intrepidum, & cùm deeſſet conſilium, audacia non deerat. Exporrecta frons, os viuidum, atque ab æſtu formoſius. Genis primâ lanugine vix dum nitentibus, adhuc Adelaidam ſororem referebat, cuius excellentem pulchritudinem prædicari audierat Cæſar, & in eius amorem, ex aſpectu fratris, fortè iam animum inflexerat. Interim magnâ contentione inter ſpectatores renouata erat *a* celebris eâ tempeſtate quæſtio, an non pugnatori eiuſmodi, cuius fractum eſſet telum, deberet aliud reddi. Cui rei argumentum hoc dicebant, tela in pugnâ tali eſſe inſtrumenta quædam vicaria, nempe teſtium loco, ad probandam occultam, de quâ controuerſia eſſet, veritatem. Si autem vocati teſtes in iudicio non adſint, poſſe alios ſubſtitui. Quare pari iure pugnatori loco teli,

a *Honorat. Bonnet, in Arbor. Pugn.*

quod non aduerſarij virtute aut induſtriâ, ſed caſu amiſerit, aliud eſſe reddendum. Inter hæc arbitri Cæſarem adierant, à quibus rogatus, vt morti eriperet ſtrenuiſſimum adoleſcentem, fortunâ, non virtute cedentem, ſeruaretque magno vſui futurum aduerſus Saxones rebelles, conceſſit facultatem colloquij, quo pax inter pugnatores componeretur. Inſperata gratia, vbi per arbitros renunciata eſt, maximâ affecit populum lætitiâ. At Godefredus nouo, atque inaudito facinore omnes in ſtuporem repentè conuertit. Auditâ pacis propoſitione vultuoſus, ac turbidus pudore, tanquam victus crederetur, exarſit animo, nenegauitque ſuam fortunam eo loco eſſe, quam Cæſar miſerari deberet. Se ſatis armatum, dum dextera ſupereſſet. Tum abrupto ſermone ſpeculare tegmen galeæ deprimit, concuſſiſque armis *a* in aduerſarium proſilit, ſpectatoribus omnibus præ admiratione torpentibus. Quem irruentem, & capulo, qui ſupererat, minantem excepit Albertus fiduciâ victoriæ tumidus, & velut eludens ferociam adoleſcentis deſperabundi, & perire feſtinantis. Hunc ferro inceſſit, hunc repetitis alijs ſuper alios ictibus obruere properat. Quos Godefredus, quâ poteſt arte, vel declinat, vel ſuſtinet circumacto clypeo tectus. At ſpectatoribus quantò perſpectior, tantò miſerabilior erat fortitudo infelix, quam neceſſe eſſet tandem ſuccumbere. Iam velut in limine fati poſitus ab illacrymantibus ſpectabatur, cùm ipſe ſpeculatus

a *Tyr.*

gmentum ſemipede longum in manu ſuperfuit. Ingemuere optimi ſpectatorum, animaduerſo adoleſcentis tanto diſcrimine. Neque enim ſpes ſalutis affulgebat vel ab eius virtute, qui iam inermis contra armatum, valentemque conſiſteret, vel à gratiâ Cæſaris, qui ſciebatur infenſus. Cæterùm arbitri proceres iniquitatem pugnæ miſerati tantiſper ceſſationem imperant, Cæſaremque conueniunt. Dato reſpirandi ſpatio pugnatores galeæ tegmen ſuſtulerant. Intuebatur Henricus Godefredum, qui non periculo expalluerat, non circumſpexerat fugam, ſed perſtiterat in gradu pariter & ardore certaminis. Geſtus acer, atque athleticus, pectus intrepidum, & cùm deeſſet conſilium, audacia non deerat. Exporrecta frons, os viuidum, atque ab æſtu formoſius. Genis primâ lanugine vix dum nitentibus, adhuc Adelaidam ſororem referebat, cuius excellentem pulchritudinem prædicari audierat Cæſar, & in eius amorem, ex aſpectu fratris, fortè iam animum inflexerat. Interim magnâ contentione inter ſpectatores renouata erat *a* celebris eâ tempeſtate quæſtio, an non pugnatori eiuſmodi, cuius fractum eſſet telum, deberet aliud reddi. Cui rei argumentum hoc dicebant, tela in pugnâ tali eſſe inſtrumenta quædam vicaria, nempe teſtium loco, ad probandam occultam, de quâ controuerſia eſſet, veritatem. Si autem vocati teſtes in iudicio non adſint, poſſe alios ſubſtitui. Quare pari iure pugnatori loco teli,

a Honorat. Bonnet, in Arbor. Pugn.

quod non aduerſarij virtute aut induſtriâ, ſed caſu amiſerit, aliud eſſe reddendum. Inter hæc arbitri Cæſarem adierant, à quibus rogatus, vt morti eriperet ſtrenuiſſimum adoleſcentem, fortunâ, non virtute cedentem, ſeruaretque magno vſui futurum aduerſus Saxones rebelles, conceſſit facultatem colloquij, quo pax inter pugnatores componeretur. Inſperata gratia, vbi per arbitros renunciata eſt, maximâ affecit populum lætitiâ. At Godefredus nouo, atque inaudito facinore omnes in ſtuporem repentè conuertit. Auditâ pacis propoſitione vultuoſus, ac turbidus pudore, tanquam victus crederetur, exarſit animo, nenegauitque ſuam fortunam eo loco eſſe, quam Cæſar miſerari deberet. Se ſatis armatum, dum dextera ſupereſſet. Tum abrupto ſermone ſpeculare tegmen galeæ deprimit, concuſſiſque armis *a* in aduerſarium proſilit, ſpectatoribus omnibus præ admiratione torpentibus. Quem irruentem, & capulo, qui ſupererat, minantem excepit Albertus fiduciâ victoriæ tumidus, & velut eludens ferociam adoleſcentis deſperabundi, & perire feſtinantis. Hunc ferro inceſſit, hunc repetitis alijs ſuper alios ictibus obruere properat. Quos Godefredus, quà poteſt arte, vel declinat, vel ſuſtinet circumacto clypeo tectus. At ſpectatoribus quantò perſpectior, tantò miſerabilior erat fortitudo infelix, quam neceſſe eſſet tandem ſuccumbere. Iam velut in limine fati poſitus ab illacrymantibus ſpectabatur, cùm ipſe ſpeculatus

a *Tyr.*

ruentem in ſe incautiùs aduerſarium, prorupit ſubitò, collectiſque cum irâ viribus tam validè læuo eius tempori *a* capulum ſuum impegit, vt ictu attonitum, animoque deficientem in arenâ porrexerit. Labentem ſuper mox ſequitur, complexuque implicat, & eiecto dextrâ capulo extorquet ſemianimi gladium, & mox caſſidem. Omnes admirabilis rerum conuerſio defixerat. Cùm elatus victoris manu fulſit integer gladius, expectabant, vt nudo iacentis iugulo defigeret. At Godefredus expectatione vt fortunâ ſuperior, poſtquam aduerſarium, ſeipſum vicit. Vt Albertum vlciſceretur, mouerat eius in prouocando ferocia, & in impugnando etiam inermi proterua feritas: verùm cùm & Chriſtianum, & conſanguineum cogitaſſet, proſtratumque cerneret, obſequi animo indecorum cenſuit. Genus vindictæ pulchrius viſum eſt miſereri. Non modò parcere ipſe ſtatuit, ſed etiam operam dare, vt à iudice parceretur. Victum manebat ignominioſa mors, aut turpior morte vita. Quibus vt eriperet Albertum, conuerſus ad proceres arbitros etiam atque etiam orauit, vt pacificationem, quam ipſe recuſarat causâ ſuâ, nunc aduerſarij gratiâ procurarent. Admirantibus illis adoleſcentis magnitudinem animi & lenitatem, non tenuit ſe populus, quin acclamaret victori referenti geminam de hoſte gloriam. Cæſar vtcumque violento, & alieno in eum animo, tamen hoc præcellentis indolis ſpecimine tangi cœpit. In victorem conce-

a *Tyr.*

pit beneuolentiæ aliquid. Ergo adoleſcenti nec quidquid petebat, neç nihil dandum cenſuit. *a* Acer ille, & impiger ad rem militarem tiro metuendus viſus eſt, ſiue nimiâ potentiâ augeretur, ſiue indonatus, & quaſi ſpretus abiret. Præfecturam regni Lotharienſis, quæ prenſabatur, contulit, non Godefredo, ſed Conrado ſuo, (filium tunc appellabat) Godefredum verò Antuerpiæ Marchionem dixit. Nouus Marchio prælato ſibi innocenti, & amabiliſſimo tunc puero ſuccenſere non potuit, qualitercumque fuerit affectus in Cæſarem. Cæterùm mox ab aulâ diſcedendum fuit, in quâ nihil admodum erat, quod ei placeret præter Conradum; cum quo ei diu ſumma amicitia fuit, quoad ille nempe fidem præſtitit. Cæſar *b* ſeu beneuolentiæ diſſimulatione, ſeu odij ſpecie Godefredi aduerſarijs animum facere pergebat ad ditionem eius inuadendam. Pro Bulliono, & Viroduni Comitatu graue, diuturnumque bellum ei gerendum fuit in propinquos. Ferociſſimus aduerſariorum hic vt antè, conſanguineus Namurci Comes Albertus. Is ad Bullionum, quod iure materno deberi ſibi pugnabat, intercipiendum cum copijs mouet. At præuertit Godefredus, arcemque ingreſſus, tantâ virtute repreſſit hoſtem, vt ab obſidione repulerit. Atque hac imprimis victoriâ ſibi Bullioni poſſeſſionem aſſeruit, fecitque celebre apud populares Godefredi Bullionij nomen. Hinc infeſtior Albertus pòſt paulò bellum inſtaurauit ad *c* Virodunum. At

a *Lamb. Sch.* b *Vuaſſeb.* c *Io. Leod.*

Godefredus priuſquam pro hoc vindicando pugnaret, [Cæſaris ſigna ſecutus eſt,] *a* Idâ matre hortante, & ne ſpem adipiſcendæ Lotharienſis Regni Præfecturæ deponeret, animos faciente. Paruit ille, cæterùm nec opum cupiditate tractus, nec licentiæ militaris ſtudio; tibique, Regina, tunc addictior, quàm Henrico. Antequam ad caſtra Henriciana tranſiret, noſti quanti ille cùm alias tuas virtutes, tum excellentem pudicitiam fecerit, quantiſque laudibus prædicare ſit ſolitus. Neque tunc ignoraſti pro tuâ de eo exiſtimatione, quàm pudoris amans, & alienus à voluptatibus vixerit. Quo nomine tibi etiam carior erat. Tuarum veneratio, atque admiratio virtutum animum eius ſic afficiebat, vt earum pulchritudine perſtrictus ad alias formas non aduerteret. Nec deerant cauſæ variæ, quæ iuuenem auerterent à ſequendis Henricianis caſtris. Vſus erat Cæſare adhuc minimè fauente, aut quo, pluſque timendum ab eo videbatur, quàm ſperandum. Neutiquam tutum erat, præſertim initio, venire in conſpectum Cæſaris, & agnoſci priùs, quàm operâ aliquâ militari conciliaſſet eius animum. Quin Henrici beneuolentiam timebat, defugiebatque familiaritatem; ne vitijs eius cogeretur, non dicam adulari, ſed conniuere ſaltem. Cæterùm ad caſtra eius tunc de imperio dimicantis tractus ſpecie officij, & caritate in miſerum Principem, eiuſque heredem (vt id temporis habebatur) inſontem Conradum, eoſdem illic mores,

a *Malmeſb.*

idem caſtimoniæ ſtudium tuo exemplo natum. & confirmatum obtinuit inter armorum licentiam, & exempla Cæſaris voluptatibus dediti. Idem quoque iudicium illi perpetuum de tuâ eximiâ probitate fuit, quoad id grauiſſima fama commouit; quamquam nulla commouere debuit. Spargitur primùm ſermo te cum Hildebrando conſueſcere pluſquam neceſſe eſſet probæ. Indignari Godefredus principiò, Gregorij non dubiâ, tuâ virtute compertâ. At rumor increbreſcere, argumenta afferri, affectatio in itineribus, domi familiaritas, litterarum inter abſentes commercium, poſſeſſionum donatio, mutua in omnibus veſtra conſenſio notari. Nondum hæc mouebant iuuenis animum tibi addictum ſatiſque gnarum cuncta hæc officia poſſe conſtare inter pudicos & ſanctos, quos liuor, & maledicentia primos inceſſat; & digniſſima laudibus carpat. At miſerum iuuenem tranſuerſum egit auctoritas, non iam vulgi, ſed tot Principum, non profani ſolùm, ſed & ſacri ordinis, Gregorio tibique aduerſantium. Obruit eum ſententia Brixinæ habiti conuentus, in quo damnatus, abdicatuſque gradu Gregorius. Quis deinde hominum de te ſenſus, quod priuatim Godefredi iudicium, quando inauditâ per totum Romanum Imperium nouitate Epiſcopi, & Principes alij Gregorio rebellarent, tu obedires ſola? Nempe apud longè plurimos id tibi ſummo dedecori fuit, quod apud omnes ſummæ gloriæ eſſe debuerat. Singularis vel improbitatis, vel amentiæ damnata es, cùm

ſola ſaperes. Publicâ deceptione inuolutus Aquiliſer priuato dolore torqueri cœpit eò acriùs, quò maior eius ſuerat de te exiſtimatio, atque in te amor. Quos gemitus dederit, quo doloris, atque iracundiæ æſtu famam illam tuam exceperit, æſtimare ac metiri potes ex animi tui affectu illo, quo accepiſti eum, tibi aduerſari. Vterque veſtrum iudicabat alterum prauè, ſe rectè ſentire. Tu eum decipi cogitabas, ille non modò falli te, ſed etiam turpitudine maculari audiebat. Quæ fama, vt iniquior, ita pudico iuueni, tuique amanti erat ad ſenſum doloris acerbior. Quid multa? Genus pietatis viſum eſt mouere in Rudolphum primùm, deinde in te, & Gregorium, vltricibuſque armis vobis, atque ignominiæ Romam eripere. Eâ captâ victor infelix victoriæ pœnas dedit, ſed ſalubres. Virulentâ febre affixus lecto, ſubductuſque à tumultu, & bello vacuus, belli cauſam expendit attentiùs. Pars ſanitatis fuit ægrotare. Opportunè tunc tractabatur de pace Gregorium inter & Henricum, habitis vltrò citroque delectorum congreſſibus. Romani interrogati de Gregorij moribus, non ſolùm probos teſtati, ſed etiam ſanctos, & Apoſtolicos. Idem comprobabant eius ad te litteræ, & ab Anſelmo Lucenſi Epiſcopo vulgatum opus. His, atque huiuſmodi quà audiendis, qua legendis Belga lucem in tantis tenebris ſenſim vidit, & quantumuis Gibertinis nebulas offundere conatis veritatem *a* quàm citiſſimè potuit, Numine

a *Fiſen.*

fauente, hauſit animo. Dolebat ei ſua de Rudolpho Rege victoria, qui tam pulchris vulneribus occubuerat, quàm pulchrâ causâ dimicauerat, dignus vincere, licet fortiùs pugnaſſet Godefredus. Sed longè plurimùm afficiebatur animo, cùm reputaret ſe par caſtiſſimorum Principum, Gregorium & Mathildem, armis perſecutum eſſe. Iam intelligebat te, Domina, non modò innocentem, ſed maiori quàm priùs veneratione, atque omnium amore digniſſimam, ſe verò omnium odio. Sed quo pœnitentiæ ſenſu! quo pudore! Quis animi dolor aggrauauit languorem corporis! Hæc in patriam relatum ad extrema deduxere, ſed ſenſim. Interdum meliuſculè habere videbatur, ſed eâdem occultâ febre macilentos artus exedente, nouiſque identidem exorientibus doloris cauſis. Illud animo inſederat decretum, vt, ſi vnquam ſatis conualeſceret ad operam bello nauandam, partes impias Henrici Gibertique deſereret, Quos *a* vt honeſtiùs, probabiliuſque declinaret, profectionem Hieroſolymitanam meditari cœpit, ſed minimè vulgari, conſuetove obeundam modo. Res maximè ardua quâ occaſione, ac ratione inueni ægro, ſed ſemper magnanimo in mentem venerit, ſi pro tuâ clementiâ audire perges, aperiam. Conſanguineus Lucemburgi Comes Conradus & ipſe priùs Henricianarum partium, profectus erat in Palæſtinam, venerationis & pœnitentiæ ergo loca ſacra viſurus. Exemplum mouit Godefredum ad

a Baron.

Hieroſolymam quoque petendam, ſi per valetudinem aliquando fas eſſet. At illud veniebat in mentem egregiè pio, fortiſſimoque iuueni, quantò ſatiùs, & Principe Chriſtiano digniùs foret eò proficiſci non inermem, vt vulgò, ſed cum exercitu ad exterminandos barbaros Terræ ſanctæ vſurpatores; & loca illa Dei Sanguine conſecrata non ſolùm luſtrare oculis, & obire pedibus, ſed armatis dexteris vindicare ab impiorum iugo. Incaluit magnanimus iuuenis eâ cogitatione, & quantumcunque ardua expeditio foret, aggredi eam decreuit vel ideo, vt ab impijs Henrici caſtris abſiſteret. Hæc cogitanti,& cum Idâ matre compertæ tibi ſanctimoniæ feminâ conferenti triſtis caſus ægritudinis cumulum addidit, mors Euſtachij patris viri eximij. Et illud permoleſtum accidit, atque intempeſtivum: Albertus Namurci Comes *a* Bulliono pulſus nuper, inſtaurauit bellum in Viroduni finibus, quam vrbem pro Epiſcopo regebat. Idem armis obſtiterat ne Godefredus poſſeſſionem adiret Comitatus Virodunenſis, quem occuparat Epiſcopus. Bullionius munitionem excitandam curarat Sathanaci, vnde infeſtaretur Virodunenſis ager. Albertus occaſionem ſpeculatus præſidij hoſtilis exſcindendi, copias contrahit, & cum Epiſcopo Sathanacum obſidet. Sciebat enim Godefredum aſſiduâ febri laborare, Euſtachium parentem nuper obijſſe, Godefredi fratres Balduinum & Euſtachium peregrè profectos. Cæterùm Sathanacenſibus ſuis non deſuit Bullionus. Licet febri,

a *Io. Leod. Vuaſſeb.*

ſebri, vt ſemper, vexatus, improuisò aduehitur ad hoſtes cum paruâ, ſed ſtrenuâ manu. Coortâ pugnâ ingreſſu a arcis prohiberi non potuit. At hoſtes in obſidione perſeuerarunt, animis, robore, ac præſertim numero valentes. Arctâ obſidione clauſus Godefredus deſertus & æger periclitabatur de rerum ſummâ, ac ſalute. Ecce autem agmen egregiæ iuuentutis in propinquo conſpicitur, cui præibant ductores duo, corporum & armorum ſpecie, & in Godefredum caritate præſtantes. Quinam hi, & quantis viribus eſſent, cùm exploraſſet Albertus, atque Epiſcopo retuliſſet, territus hic Alberto fremente ſoluit obſidionem. Eximios duos auxiliatores, qui ita in tempore aduenerant, excepit in vrbem hilaris Godefredus, & ambos fratres agnouit. Balduinus & Euſtachius cognito fratris periculo contractis copijs, & amicorum auxilijs aduolarant, ille ex Franciâ, hic ex Germaniâ. Suauiſſimè inter ſe complexi mutuis fruuntur colloquijs, & narratione rerum præclarè à ſe geſtarum. Itum ſubinde ad proximas arces, primùm Bullionum, tum Montem Acutum ad Idam matrem cariſſimam, ac ſorores Adelaidam, & Idam, quarum illa tunc innupta, hæc Montacuto Comiti Cunoni nupſerat. Ibi Godefredus fratribus conſilium ſuum de ſacrâ expeditione aperuit. Quibus ſtupentibus primùm rei ipſius viſa eſt ſibi obſtare magnitudo. Deinde facultatum non ſatis eſſe dicebant, & eas ipſas, quas nunc poſſideant, nondum ſatis tutas, nempe quibus inhient inimici

a *An.* 1088. G

è propinquo, iam quidem armis pulſi, nondum animis domiti. Denique expeditionem non modò arduam, & ſuo ipſam molimine grauem, ſed omnino ſupra Godefredi vires ac valetudinem eſſe. Iam inde ab obſidione vrbis Romæ continente febri debilitatum ipſum. Non vt in tertianâ quartanâque, quarum certus circuitus eſt, interiectâ quiete recreatum corpus, ſed perpetuâ vi morbi magis magiſque defeciſſe. Priùs febrim depellendam, reparandaſque vires, quàm tanta res tentetur, vix à valentibus, iiſque potentiſſimis vnquam perpetranda. Digreſſi ſub hæc fratres, Balduinus in Normanniam, Euſtachius cum matre in Angliam tendit ad cernendam ibi paternæ hereditatis partem. Iuuenes moribus, atque indole præſtantes ibi in aulis apud Reges procereſque & feminas principes gratioſi rebus ſcitè fortiterque gerendis claruere. Godefredus quantumuis aduersâ valetudine non deſperabat ſe bellum ſacrum cum eis eſſe geſturum. Sed profanum, & importunum rurſus exortum eſt. Namurcenſis Albertus caſtrum Mireuartum munire parat, futuram belli arcem. Maius priori incendium veritus Leodienſium Pontifex Henricus Godefredi propinquus ſuſcepit reſtinguendum. Primùm anteuertit Namurcenſi, caſtrumque Mireuartum, quod ille operibus communire inſtituerat, pretio comparat, atque euertit. Pacis deinde conſilia, quæ agitabat, exequi cœpit, & colloquijs nouam odiorum ſementem opprimere. Sed parum proceſſit res, quoad a

a 1089.

ſub id tempus aucta improuisò Godefredi potentia ac dignitas hoſtes deterruit. Cæſar *a* eius ſororem Adelaidam duxit, fratremque iuſſit Lotharienſis regni Præfectum. Pax inde facta. Ceſſit item Godefredo Proregi Virodunenſis tandem Comitatus. Gauiſus æger ſuâ ſororiſque fortunâ, non ex auaritiâ opum aut gloriæ, ſed pietate. Acceſſione facultatum videbat ſe paratiorem expeditioni ſacræ, & ſorore ad Cæſaris torum & ſummum honoris euectâ ſpem nactus erat per eam blanditijs vxoriis quolibet impelli poſſe, & ad meliora traduci Cæſarem amantem, deducique à te, Regina, perſequendâ bello. Neque Adelaida, iam dicta Praxedis, aut fraterno aut ſuo in te ſtudio defuit. Res *b* memorabilis eodem anno (hoc eſt ſæculi vndenonageſimo) iuuenis ægri animum ad expeditionem ſacram erexit magis, atque inflammauit. Fortè recreaturus vires venatum ierat in ſiluam Quetenam, comitabatur eum miles probus Hezelo; qui deinde labore fatigatus, & ſolutus in ſomnum viſus eſt ſibi procul transferri in Orientem, montemque Sinam, Ducis Hebræorum Moyſis ieiunio, prodigijſque celebratum. Vbi vidiſſe ſe referebat Godefredum Ducem placido vultu, & religioſâ corporis compoſitione ſpectabilem facili veſtigio in cacumen montis euadere: huic duos albatos Pontificali habitu ire obuiam, ac bene precari in hæc verba: Quibus Moyſen Hebræi populi ductorem cæleſtibus beneficijs auxit Deus, ijſdem ab eo

G 2

a *Dodechin. Order.* b *Alb. Aquen.*

cumuleris, a DVX, ET PRÆCEPTOR FVTVRVS POPVLI CHRISTIANI. Quæ vbi ex Hezelone cognouit Prorex, ſeque ad munus Ducis, ac præceptoris Chriſtiani agminis deſtinatum interpretatus eſt, inflammatiore animo ſuſpiria ducere, deſiderium ſuum & conſilium denuo aperire familiaribus, ſingulos appellare, hortari alios, alios tentare. Omnibus res admirabilis, & nimium quàm ardua videri. At ille magna præmia expeditionis dicere, Chriſtianæ rei decus, ſalutem Chriſtianorum in Oriente gementium, Barbarorum excidium. Spem ſuam non deſtituturos ſuperos, qui eam feciſſent. Interim Auguſta ſoror, ſuo, fratriſque voto, Cæſarem ad meliorem mentem frugemque reuocare ſtudebat. Primùm occultè eius animum tentare, ac diſponere. Dein ſatis explorato tempore & affectu dehortari nunc ab alienis, quibus implicabatur, amoribus, nunc ab odio in te. Sed ſpem ſucceſſus diſturbauit Gibertus, quando nefariâ illâ, quâ præpollet, auctoritate, Cæſarem in Italiam reuocauit. Recrudaere Godefredi dolores, cùm vidit aduerſus te, atque Eccleſiam rurſus Henricum mouere, nec poſſe deduci ab impiâ mente. Quando verò ſe quoque ad ſequendum cum copijs à Cæſare vocari audijt, nec fremitum nec gemitus tenuit. Vel ideo ſibi in Oriente ſuſcipiendum, feſtinandumque pium bellum cenſuit, vt ne implicaretur impio. Quas opes cum Lotharienſi Præfecturâ à Cæſare accepiſſet,

a *Aquen.*

optimè in Palæſtinâ, peſſimè in Italiâ impenſum iri. Ergo immemor valetudinis ſummo ſtudio copias, per ſpeciem belli Italici, re ipsâ ad ſacram expeditionem contrahere cœpit. Verùm anxium & connitentem ad hæc præcelſa animum corpus denique deſtituit, & ad extrema deduxit. Te quoque, Domina, tunc Guelfoni nupſiſſe, nec ſine admiratione, nec ſine gemitu cognouit: nempe intellexit non viſum tibi cum Godefredo conuenire in manum, quâ te, & Romam oppugnaſſet. Hîc ſuſpirium ducens Tiro pauliſper moratus; deinde, hoſtis ille tuus, inquit, tandem eſſe deſijt, ô Regina, nunquam ampliùs nociturus. Ægritudine præſenti non magis quàm pœnitentiâ priùs geſti in te belli oppreſſus, ſenſim ad fatalem horam deuênit. Iacebat circumfuſus carorum turbâ lacrymante, deſperatus à medicis, defectuſque viribus omnibus, niſi iudicij & amoris. Mathildem cum ſuſpirijs & Eccleſiam appellabat, iunctis earum nominibus, quas & ſciebat coniunctiſſimas, & vnà à ſe dolebat offenſas. Miſeram, inquiebat, mortem meam, quam non citiùs obierim, ne ſic militarem. Heu malè impenſæ iuuentus, vires, victoriæ, quibus mihi laudes, ſed apud malos peperi, & magnum nomen, ſed malum. Funeſta Aquiliferi fortitudo, quâ Mathildis iram merui, & Eccleſiæ fulmen. Non mortem, ô Deus, à me deprecor, quâ dignus ſum: ſed vtinam oppetere licuiſſet pugnanti in hoſtes Eccleſiæ, illataque ei ac Mathildi damna reſarcire impendio facultatum, & vitæ. Verùm

quando id non licet, ſit ſaltem aliquis è vobis, amici, qui Mathildi militatum eat, nuncietque me eo animo mori, quo vixiſſe debueram. Inter eiuſmodi affectus, violentoſque conſcij pectoris ſtimulos & pœnitentiæ impetus, magis magiſque defecit, nec vllâ medicorum arte, aut naturæ vi mortem euadere potuit. Ita deſijt eſſe, quem odiſſes, ô Domina, nunquam ampliùs nociturus. Abrupit Tironis ſermonem Mathildis gemitibus, & eiuſmodi verbis: Ergone ille mortuus! & ita mortuus factorum pœnitens, cum viuere decebat! Care, atque infortunate Princeps! Hîc conticuit querelis abſtinens. At in animo verſabat cogitationes eiuſmodi: hæcne erant, quæ non ſolùm ſomniarat Hezelo, ſed de eo vaticinata erat mater, cum futurum Ducem, & inter Reges inclytum prædixerat! Et verò Ducis titulum conſecutus eſt: ſed illene Dux inter Reges inclytus, qui poſtquam deceptus ab Henrico Gibertoque, ætatem, ac facinora perdidit, vbi deinde ſe fraudibus explicuit, vitamque incœpit vaticinio dignam, continuò ſubductus eſt morte? O quæ tua, Deus, quàm occulta conſilia, quæ venerari nos fas eſt. Cùm hæc poſtrema verba triſti voce protuliſſet Mathildis, Belga Tiro ſubiecit, ſi Deus, inquit, hoſtem illum tuum viuere paſſus eſſet, an pœnitentem placato animo videre ſuſtinuiſſes? Si tibi nunc vivum reſtituerent ſuperi, quo eum vultu exciperes? Cùm Mathildis ad hæc tacita hæreret, & tanquam incredibilia triſti geſtu auerſaretur; certè, inquit exporrectiore vultu Tiro, prodi-

giorum effector Deus Ducem Godefredum morte liberauit: nec prima pars narrationis meæ cum hac ſupremâ pugnat. Et Mathilde magis ſtupente ſermonem pertexens, aderat, inquit, vt dixi, fatalis hora, iacebatque depoſitus à medicis Dux. Qui ſpem *a* cùm in hominibus iam non poſſet, in Deo locauit. Morti proximus voto ſe obſtrinxit maximè ardui, prçteritaque omnia longè ſuperantis operis, nempe belli ſacri, ſi Deus reſtitueret valetudinem. Quo religiosè promiſſo ſtatim conualuit, nullâ, vt ſuprà narrabam, medicorum arte aut naturæ vi, ſed mirandâ Dei virtute ſeruatus. Sic, Regina, quemadmodum etiam dicebam, ille hoſtis tuus eſſe deſijt, ſed viuere pergit, amicus iam, & defenſor. Mathildem inter hæc vix ſe præ ſtupore, & gaudio capientem vt omni dubitatione exolueret, bonâ eius veniâ illum ignotum ducem nuperrimè ad Canuſium victorem euocatum iuit. Qui clàm adductus eleganter & cum veneratione ſe inferens, en ipſe adſum, inquit, teſtis illius diuini beneficij, quo viuo, vt Deo, tibique, Domina, impoſterum obſequar. Quo dicto galeâ penitùs apertâ & toto ore exporrecto Godefredus Prorex apparuit, Mathildemque cumulo lætitiæ & ſtuporis impleuit. Quæ licet vultu immutatum per ſpatium annorum plurium, quibus eum non viderat niſi nuper in luce ſubluſtri, agnouit planè ex lineamentis oris, quæ altè impreſſerat menti. Hæſere primùm pauliſper alter alterius contemplatione defixi. Diſſidij, & errorum diſ-

a *Malmeſb. Antonin. M. Chron. Belg.*

cuſsâ nube,noua lux oborta animis mutua vtrique decora objecerat. Intuebatur Mathildis iuuenem per omnia prodigioſum, à pueritiâ vaticinio deſtinatum ad ſumma, deinde factis mirandum; modò diuinitus à morte ſeruatum & quaſi rediuiuum, vt Praxedem vlciſceretur, & Mathildem; nunc animo complexum opus ſuper omnia priora maximè arduum, ac ſtupendum. Viciſſim Prorex in Mathilde fixus admirabatur ſexu delicatam, ſed animi robore infractam Principem tot viris bellatoribus, totique Cæſaris potentiæ, tot annis, per tot pericula, proditiones, & aduerſos caſus reſtitiſſe. Ad extrema nuper redactam, tamen pro aris & ſanctâ Sede bellum paci, mortem vitæ prætuliſſe, incomparabili virtute præſtantem priſcis heroïnis, atque adeo heroïbus. Vbi ſe paulùm collegere, Godefredus mœrorem ore præferens, ignoſce, inquit, Domina, ſi non eo vultu adſum, quem parta de tuis hoſtibus victoria, iucundiſſimuſque tuus conſpectus exigerent. Felicitate tantâ me frui luctus expertem non ſinit Cæſar immanitate iniuriæ, quâ ſororem meam, meque affecit. Praxedem, quam amauit, quam tori atque imperij conſortem eſſe voluit, eò celſiùs videtur extuliſſe, vt infamiâ grauiore deprimeret. Tum ſubjecit repudiatam Praxedem & carceri incluſam ab Henrico; ſed hanc eſſe partem iniuriæ tantùm, eamque leuiſſimam. Addidit Henrici furias, Conradi dubium & genus & animum, ſororiſque Praxedis infame ludibrium. Deinde ego, inquit, vbi ſororis ſortem comperi, pro

eo ac debui, commotus, totus in dolorem & in iuſtam iram exarſi. Cùm primùm cæleſti ope conſanui, miſeram vlturus, & ſi fieri queat, liberaturus accurri. At vbi locorum illa detineatur, atque etiam an viuat, nullâdum exploratorum diligentiâ cognoſcere potui. Interim latitandum mihi duxi, ne à Cæſarianis cognito aduentu meo ſoror, ſi in carcere ſupereſt, cuſtodiatur arctiùs, & contumelioſiùs habeatur. Ego te quoque, Domina, ac tuos adhuc latere volui: hos quidem, ne per eorum aliquem (inter quos audio proditores non ſemel inuentos) innoteſcerem Cæſari; te vero, vt pœntientiam meam, ac fidem priùs factis probarem, quàm verbis, & antequam agnoſcerer, operâ aliquâ non pœnitendâ partem commiſſorum abſtergerem. Mathildis iterum gratijs actis, ego verò, inquit, tibi pro collatis tantis in me officiis illum ſaltem non iniucundum repono nuncium: viuit Auguſta ſoror, & Veronæ degit. Inde vt nobis libera reſtituatur, per fidiſſimos meorum ſatago; ſperoque Dei benignitate rem ſucceſſuram. Ex Auguſtâ verò intelligemus quid ſit de Conradi fide & genere ſentiendum. Nec vanâ ſpe lactabat Mathildis Godefredum. Sed de eo Heroë quæ modò narrauimus, quæque ſubdemus huiuſmodi, ſicut nouitatis gratiâ non carent, ita plus admirationis habitura ſunt, quàm fidei, niſi prolatâ identidem à nobis auctoritate firmentur. Teſtatur Malmesberienſis Godefrednm Româ expugnatâ proſtratum ſeu æſtu peſtifero, ſeu hauſto veneno: verùm vtro,

relinquit ambiguum. Quòd relatus in patriam æger non ſolùm ſtatuerit Orientem barbaroſque bello petere, ſed etiam hoc conſilium ſuum heroïcum Idæ matri aperuerit diu priuſquam Bellum ſacrum in concilio Claromontano ediceretur, ſolitamque poſtea id narrare Idam, locuples auctor eſt æqualis eorum temporum Nouigentinus præſul Guibertus. Iam Malmesberienſis addit Godefredum ab contractâ Romæ valetudine ſemper laboraſſe febri, eâque aſſiduâ, donec incenſus ſtudio & famâ expeditionis Hieroſolymitanæ (quam ſcilicet exciti ab eo populares parabant) obſtrinxit ſe admirabili voto belli ſacri, ſi conualeſceret. Id autem, diuo Antonino teſte, vouit morbi vi adductus ad extremum vitæ diſcrimen. Cælum religioſo promiſſo manifeſtè fauiſſe, eiuſque nuncupati reo Heroï reſtitutam extemplò valetudinem, & refloruiſſe vires, iidem affirmant. A Godefredo autem ſororis vlciſcendæ causâ Cæſarem armis petitum, fuſumque ac fugatum, conſtat ex Orderico. Quam victoriam ad Canuſium eſſe relatam oportet, propterea quòd ea nec potuerit contingere citiùs quàm poſt annum ſæculi vndenonageſimum, quo nupſit Henrico ſoror Bullionij; nec ſeriùs quàm ad Canuſium anno nonageſimo ſecundo, quia à nuptijs ſororis vſque ad fratris profectionem in Syriam, Cæſarem nec aliàs, nec alibi fuſum fugatumque legimus, quàm ad Canuſium. Igitur Mathildis lætiſſima cum eo victore ſocijſque proceribus è campo regreſſa *a* Canuſium non ſine trium-

a *Domnizo.*

phali quâdam ſupplicationis pompâ captam aquilam Cæſaream ad Diui Apollonij fanum deferendam curauit; quo loco fixa victoriæ monumentum permanſit ad poſteros. Anachoreta Ioannes Mathildi, & proceribus victoribus applauſit, & plauſum ipſe ob prædictionis fidem tulit. Haud multò pòſt adfuit Veronâ redux militum Mathildanorum vnus, qui nuncium optatiſſimum attulit *a* coniuratos ſecum furtim vrbem ingreſſos tantâ dexteritate cum Veronenſibus conſilij participibus rem geſſiſſe, vt Praxedis deluſis cuſtodibus carcere educta ſit, paratoque vehiculo impoſita, & nullo obſiſtente adducta Canuſium verſus, cui iam appropinquet. Mathildis exhilarata promptiore, quàm expectarat, rei ſucceſſu, iuſſit ſuos illico in equis, & ſplendido apparatu adeſſe, vt quantâ maximâ poſſet magnificentiâ, & amoris teſtificatione Auguſtam ſibi quondam in Belgicâ familiarem exciperet. Deinde in occurſum cum egregio procerum, militum, oppidanorum agmine effunditur, fratre quoque Godefredo comitante, ſed adhuc latente in habitu alieno. Auguſta (vt canit, qui interfuit pompæ, *b* Domnizo) reuerenter, ac ſplendidè excepta Canuſium perducitur. Quæ vbi cum Mathilde venit in locum arbitris vacantem, ambæ liberiùs indulſere affectibus. Praxedi agenti grates de acceptâ libertate, reſpondit Mathildis debuiſſe ſe id officij patronæ ſuæ Auguſtæ, quæ ob ipſam defenſam fuiſſet ab iniquo iudice in cuſtodiam data.

a *Domniz. Florent.* b *Idem Domn.*

Dein, tibi, inquit, eiũs patrocinij præmium illud non ingratum offero, fratrem Proregem viuum ac valentem, nec non Henrici Gibertique victorem. Tum flexo ad accedenrem Godefredum vultu, tibi verò, Godefrede, pro acceptâ per te victoriâ ſororem Auguſtam ergaſtulo liberatam reſtituo. Hîc ſtupere ad conſpectum fratris ſoror, ruere in amplexum, & ex recordatione recentium malorum ſenſuque præſentis felicitatis in lacrymas ſolui. Godefredus & ipſe nullam mutui vel gaudij, vel amoris teſtificationem omiſit. Deinde cum breuiter rationem recuperatæ à ſe valetudinis, ac vitæ aperuiſſet ſorori, viciſſimque illa ſermonem intuliſſet de Henrico & Conrado, Prorex ad Conradi nomen fremitum non tenuit, nec vocem ſuſpicionum indicem. Id animaduertit Auguſta, & caue, inquit, de caſtiſſimo iuuenum perperam cogites. Nemo Henrico Patre, (niſi Gibertus) improbior; nemo probior filio. Haud dubiè enim Conradus Henrici filius eſt, dignus omnino qui ſit Cæſare, ſed alio, genitus. Quamquam ex patre nihil præter ſanguinis nobilitatem contraxit. Tum narrare aggreſſa, quàm ſæpe Conradus cum ipſa clàm queſtus eſſet de Giberto impoſtore, de Cæſaris decepti infelicitate, de virtute in Mathilde oppugnatâ, quámque is eximiâ indole iuuenis doluiſſet de ſe in cuſtodiam datâ, ſubiecit eum fuiſſe ſollicitatum à patre, negante ſe patrem vt filio perſuaderet flagitium. Exhorruit, inquit, pudiciſſimus iuuenis ad tantum nefas, atque ad atrocem contumeliam ſibi, ac memo-

riæ dulciſſimæ matris illatam, quando hæc adultera, ipſe ſpurius notabatur. At grauiſſimè licet commotus, tamen potens ſui, ita paſſus eſt à patre tantam iniuriam, vt videretur non ſenſiſſe. Vel eo virtutis ſpecimine probauit ſe Cæſareo genere, quod negabatur, natum. Non maiorem contumeliæ, quàm naturæ intus admonentis rationem habuit, & virtute prorſus auguſtâ non tam iniuriam, quàm iniuriæ auctorem cogitans, animum celauit in præſens, & dolore, patriſque, licet indigni, reuerentiâ tacitus hæſit. At non deſtitit Henricus à mente furioſâ. Conradus veritus, ne incenſus repulsâ pater grauiora in me deſignaret, venit ad me in carcerem. Ego vbi primùm patefactâ portâ vidi aliquem ingredientem virili habitu, nihil morata quis eſſet, vitam pudori poſthabui. Exclamo ad accedentem, Godefredi me ſororem eſſe: ſi fratris amicus ſit, calamitatem meam ne augeat, ſed vindicet; ſin hoſtis eius, ferro in me vtatur. Magis me pudere ſententiæ Henrici. quàm timere vitæ meæ. Honeſtæ feminæ in periculo pudicitiæ nihil ſpiritu vilius eſſe, quem vtcumque expellere feſtinaret, ſerò me morituram ludibrio verecundiæ ſuperſtitem. Inter hæc acceſſerat ad me Conradus, ſed perſuſus lacrymis, quales, frater, ipſe ſudiſſes. Aſſerit ſe immortali amicitiâ tibi coniunctum venire eâ mente, vt mihi quocumque modo poſſit, conſulat. At quâ ratione rem aggrederemur, minimè expeditum erat. Iuxtà mecum videbat ſe vnum non ſufficere mihi liberandæ. Aiebat

autem ſibi non eſſe homines, quibus fidere poſſet. Patrem armatâ manu aggredi, tam impium, quàm ad libertatem meam ſuperuacaneum fore. Iam Godefredum fratrem procul in Belgicâ incertæ non modò valetudinis eſſe, ſed etiam vitæ. Propinquos reliquos itidem procul abeſſe. Conuertit denique ſimul mentem, ſimul ſpem ad te, inclyta Mathildis, licet hoſtem; auctorque mihi fuit *a* vt tuum pijſſimę Principis auxilium implorarem: quod non niſi ſerò exequi licuit. Sub hoc colloquium longè *b* diuellimur. Ego Veronam deportor, ille iam patri ſuſpectus ad Allobroges abire cum copijs iubetur, ibique conſanguineum tibi Principem Ludouicum armis inuadere. Verùm Conradus, ſi re verâ militum illorum dux eſt, non captivus, nec tibi, nec tuis quidquam noxæ patietur inferri. Potiùs, quod fertur iam feciſſe, deſeruerit impias partes patris, eximiâ atque incorruptâ probitate Princeps. Vtinam verecundiæ ſuæ imitatores apud me reliquiſſet. Sub hæc Auguſta ex infamiæ recordatione lacrymis perfuſa conticuit. Mathildis inſtitit conſolari mœrentem: obtigiſſe ei caſum Diuarum non paucarum Virginum, quibus corpus violatum ſit inſonte animo: ſed vnde conſilium abfuerit, culpam abeſſe. Godefredo pergratum erat quòd ſoror non modò liberata eſſet, ſed etiam liberaſſet ſuſpicione Conradum. Et verò Conradus opinionem, ſpemque Praxedis non dicam æquauit, ſed longè vicit. Mirâ quidem erat in Pa-

a Florent. *b Idem.*

trem obſeruantiâ. *a* De vitijs eius nec libens audiebat, nec loquebatur vnquam, nedum moliri aliquid aduerſus eum ſuſtinebat, legis diuinæ memor pariter & obſeruans, quâ liberis parentum veneratio præſcribitur. At Patri tamen moribus diſſimillimus, Gibertoque infenſus, iam ab aliquo tempore optarat orbi patefacere, quo animo eſſet in Eccleſiam ac Mathildem. Doluerat ſe in ijs caſtris detineri, vnde videbat pudicitiam, & omnia iuuentutis decora cum Godefredo receſſiſſe. Deinde commotior ſuis atque Auguſtæ contumelijs profectus ex paternis caſtris per ſpeciem expeditionis Sabaudiæ ſtatuit eâ occaſione, cùm primùm poſſet, deſerere exercitum parteſque patris, vt Praxedi animique ſui religioni conſuleret. Denique *b* gregali cultu cum vno famulorum, cui ſoli fidebat, per tenebras ſeſe ſubduxit. Neque parum eo facto contulit ad Canuſinam Godefredi victoriam: ſeceſſio enim eius cùm *c* nunciata eſſet in caſtris ad Canuſium Henrico ſub tempus, quo Godefredus ex vrbe in Henricianos eruptionem fecit, patri mœrorem attulit, turbationem militi. Ipſe Conradus pòſt paulò *d* ſuperatis viæ periculis eo, quo dixi, habitu Canuſium venit. Vndevicennis erat, animi ornamentis, & corporis apprimè decorus. Significatur Mathildi iuuenem in vili veſte, ſed formâ egregiâ adeſſe cum ſocio. Ambos eſſe ferro accinctos. Petere illum loqui Mathildi remotis arbitris, aſſerentem afferre ſe, quod

a. *Vrſperg.* b *Dodech. Bert. Domniz.*
c *Sabell.* d *An.* 1093.

illius magnopere intereſſet. Mathildi inter tot ſuborientes domi foriſque motus, non videbatur tutum recedere à ſuis. Mota tamen ſimul ſpecie iuuenis externi, ſimul magnitudine rei, quam promittebat, receſſit paululùm ad eos Amazon, nullâ aliâ re magis armata, quàm ſeipsâ. Conradus elegantem in modum veneratus eſt Amazonem. Quæ vbi ex eius verbis atque ex vultu Principem Sueuiæ referente agnouit quis eſſet, obſtupuit, causâque aduentus auditâ, non dubitans, quin vera diceret, ingenti lætitiâ exultans, latentem in eo ſchemate filium Cæſaris, & heredem imperij viciſſim veneratur, mirantibus qui eminus ſpectabant, quid iuuenem plebeium Regina ſic coleret. Impatiens moræ Canuſina officiosè prehenſum manu Conradum introducit ad Auguſtam & fratrem, certa pariter hos, pariter nouum hoſpitem ſtupore, & inſperato gaudio impletum iri. Protinus agnoſcentes inter ſe principes illi tres reſtitere velut attoniti. Praxedis & Godefredus videbant in gregali veſte iuuenem Cæſareæ purpuræ natum; hic Auguſtam in libertatem aſſertam, eiuſque fratrem, opinione mortuum, iam vitæ reſtitutum. Poſtquam mutuâ admiratione mutuiſque officijs inter ſe certarunt, Conradus ita orſus dicere: Quæ te, Auguſta, cauſa impulit, vt à viro abeſſe velles, eadem fecit, vt à patre abſcederem. Quibus ſit ille moribus, quid attinet dicere? Tacere me eos decet, & quoad licet, pium eſſe. Diu arbitratus ſum officij mei eſſe mores eius tam æquo animo

pati, quàm patiebar imperium. Verùm vbi à me non tantùm ſui venerationem, ſed etiam imitationem exegit, neceſſe habui Deo potiùs morem gerere, quam patri, & ad vos non tam piâ quàm neceſſariâ ſeceſſione tranſiui. Laudatum Conradi conſilium: inde, poſt officioſos alios ſermones, illata mentio eſt de belli ſtatu. Secundis iam rebus, quando & Auguſta, & Conradus in tuto eſſent, viſum eſt Mathildi, & Godefredo, non latendum diutius, ſed prodeundum ad hoſtium terrorem. Ergo Auguſta, Conradus, Mathildis, Godefredus, Guelfo, cum proceribus alijs celeberrimâ pompâ per vrbem & vicinas arces vecti omnium oculis gratiſſimum ſpectaculum præbuere. Auguſtiores ſolito viſi Principes, ſplendido cultu, florente ætate, nouâ fortunæ luce conſpicui. Nullus dudum dies ciuibus illuſtrior, atque adeo vniuerſæ Italiæ auſpicatior illuxerat. Neque verò lætitia, quę Canuſinos ceperat adiuncto partibus Conrado, ſe Canuſij continuit, ſed peruagata, lateque diffuſa mirabiles excitauit animorum motus per Italiam. Conradi ducis exemplo tracti milites, atque adeo *a* agmina ipſa, & totæ vrbes deficiebant ab Henrico. Mediolanum, Cremona, Lauda, Placentia contra hunc in viginti annos coniurarunt, & Conrado paruerunt fide conſtanti. Tranſitus quoque Alpium interclusus, ne ſectatores Henrici ad eum ex Germaniâ poſſent peruenire. Interim Henricus nunc Veronæ, nunc Argenti cum Giberto degens multiplici

a *Sigeb. Bertol.*

dolore afflictatus non capiebat ſeſe. Fugatus ipſe Canuſio erat, coniux liberata, filius ad hoſtem defecerat, Mathildis victrix & Regina volitabat, deſertor Godefredus pro hac vincebat cum Belgis, Itali rebellabant paſſim: ſi qui ſauebant adhuc Germani, procul arcebantur. Ægrum animo & conſternatum Imperatorem Gibertus ſolari, ſed fruſtra, conabatur. Cùm æſtuaret maximè Henricus in filium, ſpem fecit Gibertus transfugam illum circumueniri, & dolo intercipi poſſe; quam in rem omnem aſtutiæ vim, omnes artes intendit. Parte aliâ Conradus, Canuſinique proceres, quid porrò facto opus eſſet rei Chriſtianæ gratiâ, in commune conſulebant. Prorex Godefredus ijs expoſuerat, quod votum recuperandæ valetudinis causâ nuncupaſſet, immenſumque, quod moliebatur, opus. Quo audito Praxedis, Conradus, amicique Itali proceres, vt antè Mathildis, obſtupuerant, & immenſis, vt dignum erat, extulerant laudibus. Verùm priuſquam id aggrederetur, neceſſe viſum eſt Italiam liberare ſupremis Henrici, Gibertique conatibus. Eam in rem confluebant in dies ſub Mathildis ſigna milites gentium etiam remotarum. Aderant præter Italos Godefredum ſecuti Lotharienſes, item Friſij, Franci, Aruerni, Saxones, Britanni, vtque canit Domnizo,

OMNIBVS EX ISTIS EQVITES HABET ALTA MATHILDIS.

Quippe illa pro Reginâ colebatur. Verùm regius is honor præbuit Amazoni materiam

adjiciendi eximium laudibus ſuis cumulum, edendique ſpecimen ingens modeſtiſſimi & vacui omni ambitione animi. Conuocatis proceribus talem orationem habuit: Reginæ appellationem ab Italis mihi delatam magis non prohibui, quàm approbaui; permiſique veriùs, quàm admiſi. E re Chriſtianâ eſſe tunc duxi non rejicere id nominis, dum non erat alius, qui ſuſtineret. Nunc quando adeſt Conradus, qui imperium iure ſuum capeſſat, hunc cenſeo ad maius religionis firmamentum, quàm citiſſimè fieri poterit, a coronandum Regem Italiæ. Tum ad eum Principem conuerſa, tibi, inquit, Conrade, cedo ac reſtituo regnum, precorque ſuperos, vt & vita diuturna ſit, & æterna maieſtas. Expreſſit modeſtia Mathildis meritam ab omnibus laudem, mirantibus vltrò relinquentem, quod ab alijs per gladios flammaſque petatur. Reſpondit Conradus vel ideo dignam coronâ, quâ cederet ſponte. Godefredus laudauit Mathildis non ſolùm modeſtiam, ſed & conſilium. Tum addidit Conradum inſtructum omnibus naturæ bonis, inſignem genere, corporiſque formâ & robore, ad munera à Deo accepta adieciſſe multa belli morumque decora. In Imperio Romano nunquam in eâ ætate tantam indolem tam maturæ virtutis fuiſſe. Eum eſſe iam nunc, cuius operâ Mathildanæ coniunctâ reſtitui poſſit religionis imperium. Dum Canuſij agitatur de Conrado propediem Mediolani coronando, Gibertus incumbebat in

a *Bertold.*

decretam fraudem, nec apud Mathildem deeſſent proditores. Res gratiſſima Gibertinis, Mathildanis longè acerbiſſima contigit. Quo caſu, quibus inſidijs, non proditur. Certè Gibertinis dolis appetitus *a* Conradus capitur, & ad Henricum vinctus trahitur. Pater in Principem ad ſe adductum ſic coram ſuis inuehitur: Si de gregario transfugâ ſupplicium ſumendum eſt, iſte præfectus copijs meis in Sabaudiam miſſis quid commeritus, etſi non eſſet ex me genitus? Iam ſi etiam filius eſt, ſi paternâ curâ, ſollicitudine, caritate educatus à teneris, ſi honoribus, atque omni beneficiorum genere cumulatus, & imperij in ſpem non tantùm natus, ſed propè iam conſors, quod ſupplicij genus ſatis erit ingrato capiti? Semel, fateor, dicto non audientem, vt officij commonerem, verbulo negaui filium eſſe. Ille facto mox eſſe filius deſijt. Deficit ad hoſtes, imperium inuadere, quàm ſperare maluit, arma vertit in patrem, iam, niſi captivus eſſet, futurus parricida. Beneficium quoque hoc meum eſt, quòd vinctæ manus à ſummo illo ſcelerum arceantur. Denique vel eſt, vel non eſt ex me natus. Si etiam; in ingratum, tantiſque criminibus obſtrictum filium, eò ſeueriùs conſulendum eſt: ſi non; nihil paternum expectare transfuga debet à iudice, in cuius caput dextram armauit. Conradus ita poſtulatus maieſtatis, quòd patri flagitiorum particeps eſſe noluerat; habebat in promptu multa, quibus depelleret accuſationem. Verùm quia proferri non po-

a *Bertold.*

terant, niſi notaret coràm in os mores patris, in ipſo vitæ diſcrimine propoſitum obſeruantiæ tenuit. Os tacitum, deiecti in terram oculi, in vultu plurimum verecundiæ, ſed nihil pœnitentiæ, nec timoris. Henricus id ſilentium exclamauit eſſe contumaciam parricidæ, furenſque iuſſit eum in carcerem abripi. Mox de pœnâ capitali agitur. Cæterùm procerum non paucos mouerat nota indoles Conradi, dextraque ſpectata bello, & vinculis indigna. Adhæc tacentis in tanto periculo modeſtia, quam damnabat pater, apud alios ipſius ſilentij patrocinio veniam obtinuit. Orabant Cæſarem, vt culpam ætati, & temporibus, pœnam Imperij heredi, atque Imperio condonaret. Conſilium in dies cum ætate creſcere: ſeneſcente audaciâ alijſque vitijs matureſcere virtutes. Ad extremum ſi filium innocentem abſoluere non poſſet, nocentem inſigni paternæ pietatis exemplo ſeruaret, & ad meliora traduceret. Verùm fruſtra orabatur: nullus miſerandum Principem à crudelitate patris vindicare poſſe videbatur. At, ne vltra verba fureret, Mathildana fecit induſtria. Nunciatur Henrico Conradum, quàm felici arte captus fuerat, tam ſolerti *a* liberatum. Non potuiſſe agnoſci liberatores, ſed horum principem ac ducem haud dubiè Belgam Godefredum eſſe. Cæſar ad hæc, quò lætior modò fuerat, eò impotentior mentis æſtuare, furere, & in omnem partem ſe verſare. Incenſus & ipſe Gibertus non dolore ſolùm tantæ ad irritum

a *Idem Bert.*

cadentis rei, ſed etiam odio, atque irâ in liberatores. Attamen modis omnibus conatur Cæſaris æſtum ſedare. Dum multa pollicetur atque iſtud inter cætera, ſe denuo interceptu-rum non ſecus ac antè Conradum, triſtiores afferuntur nuncij, Conradum perductum à liberatoribus Mediolanum: ibi non modò ab Ottone Vicecomite vrbis principe, atque ab oppidanis magnificè exceptum, ſed vrgente Mathilde, Godefredo, Guelfone, totâque eorum factione Regem Italiæ conclamatum, mox ab vrbis Archiepiſcopo inſigni pompâ coronatum eſſe. Cedenti vltrò regno Mathildi ſuum decus ſuamque ſeruatam maieſtatem. Quin patrem Guelfonis, nuper principatu Boiorum ab Henrico abdicatum, ex Germaniâ veniſſe eo ipſo tempore, nouoque Regi fidum adhærere. Ita Conradum & decus poteſtatis & robur omne paterni exercitus obtinere in Longobardiâ. Hîc in vltimam deſperationem agitur Henricus. Veronæ agebat, vbi torquente memoriâ liberatæ vxoris, liberati filij, plenuſque ſpecie decorum eius, & dedecorum ſuorum omnium furebat. Os horridum, color exſanguis, exagitata mens conſcientiâ probrorum, & ſcelerum. Nullus, ne Gibertus quidem, mulcere furioſum vel poterat, vel audebat. Silentio defixus aliquantiſper in ſolio hæſit: tum repentè exilijt. Nunc grandibus ferri veſtigijs, nunc interſiſtere, manumque capulo admouere, denique ferrum diſtringere. Territi ſpectatores abſtiterant, &, quid acturus eſſet, expectabant. Ardentes oculos in

Gibertum cùm torſiſſet, percuſſurus videbatur; nec dolebant quidam iram Cæſaris redire in ſcelerum miniſtrum. Henricus mente voluens deſtitutum ſe à militibus, & maieſtate exutum à filio, quid, inquit, viuo, cui ex tantâ potentiâ, tantoque ſplendore fortuna nihil reliquum fecit, præter miſeram animam? Inde *a* inſtinctus furijs ferrum conuertit in pectus. At Gibertus, & miniſtri aduolant, brachium prehendunt, & nequidquam reluctanti gladium extorquent. Ille vociferari, & fortunæ remedium ferrum repoſcere: ſinerent ſe ſuâ manu finire vitam, & miniſterium filij inſidiantis occupare. Gibertus obſtare: ſatius eſſe alieno ſcelere, quàm ſuo perire: ſed ſibi curæ fore vitam eius, nec niſi per ſua, procerumque latera petitum iri. Ita ſenſim dato ſpatio furori eius, facultatem omnem atque induſtriam adhibuit ad animum à deſperatione reuocandum. Addebat, Henrico ſupereſſe heredem filium minorem Henricum, qui pro Conrado deſertore regnaret; ſibi autem pecuniam, quâ conduceret militem nouum. Et quamquam Gibertus ipſemet perculſus caſibus aduerſiſſimis tum in Longobardiâ, tum Romæ, vbi Vrbanus Pontifex prępollebat, tamen nec adeo deiectas res ſimulat, & reſtitui poſſe docet, vir malarum regnandi artium peritiſſimus. Id conſilij cum Henrico inijt, ſimulaturum ſe deſerere ius Pontificatus, ceterùm Romæ arcem præſidio retenturum aduerſus Vrbanum. Ad perturbandas autem Conradi, & Mathildis res daturum ſe operam,

a *Bertold.*

vt ab ijs duorum Guelfonum diſiungantur animi. Dum in eam alienationem clàm incumbit Gibertus, ſtupendum exitum habituram, interim Conradus incolumis Canuſij grates agebat liberatoribus ſuis, Mathildi, Godefredo, amiciſque proceribus. Eos præſtantes viros quos ad hoc bellum Italicum adduxerat ſocios Bullionius, appellare nominibus pro certo non poſſim. Velut quæ magno ex interuallo loci cernuntur, ſic illa vetuſtate, & ſcriptorum incuriâ quâdam in obſcuro ſunt. Domnizo rerum ſpectator ita in Mathildem intentus fuit, vt ne Guelfonis quidem, tametſi tunc mariti Amazonis, nedum externorum illorum procerum nominatim meminerit, contentus dixiſſe, proceres, atque in his Lotharienſes adfuiſſe, & extitiſſe victores. Ipſe Bullionius cùm aduerſus Cæſarem ex Belgicâ mouerat, id ipſum vulgò latere voluerat: vnde factum videri poteſt, quòd & nullus ſcriptorum bellum hoc ab eo geſtum eſſe niſi familiaris ipſi fratribuſque Ordericus prodiderit, & famâ ſparſum ſit Bullionium, cùm Italiam petijt, iam tum ad ſacram expeditionem in Syriam eſſe profectum. Quòd vtique in vulgus facilè perſuaſerunt tum eius nuperus belli ſacri conatus, atque apparatus, tum inſtitutum iter in Italiam, quod Syriæ petendæ erat accommodum. Hinc etiam videtur data occaſio, vt quidam *a* ſcriberent Godefredum cum exercitu bis in viam Palæſtinæ ſe dediſſe, ſed eò primâ profectione non pertendiſſe; alij autem ponerent

a *MS. Chron. Leod. Geneal. Lothar.*

rent vnam quidem illius profectionem, ſed *a* acceleratam, & quaſi antę concilium Claromontanum iam cœptam; traderentque in huius expeditionis Syriacæ initio quædam eueniſſe, quæ ad bellum Italicum ſpectant. Quale illud eſt, quod non vnus refert, Bullionio tunc fuiſſe Syriacæ expeditionis *b* ſocium Cæſaris Henrici filium, eumque bello captum; quod non niſi Conradi nuperæ in Italiâ captiuitati congruit. Præter eum ſocios Bullionio addunt, qui re verâ potuerunt eſſe illi ignoti proceres ad Canuſium victores; nempe *c* fratrem Henrici Louanienſium Comitis Godefredum, qui cum Cæſaris filio captus ab hoſtibus fuerit; Robertum Flandriæ Comitem *d*, qui cum Bullionio Pontificem Vrbanum de bello ſacro indicendo conuenerit; Tironem nobilem, *e* qui pluribus annis Bullionium ante bellum Syriacum comitatus ſit. Nunc, vt ad ſeriem narrationis redeam, Conradò Rege potiente rerum in Italiâ, Prorex Godefredus nihil antiquius, aut prius iam habebat, quàm petere Orientem, ſeque ſacri belli voto liberare. Quâ de re cùm ei colloquium eſſet in conclaui cum Conrado, Praxede, ac Mathilde (Guelſones eis rariùs aderant) expoſuit ſe ducere ſibi religioni, diutiùs differre, quod vouerat. Illi, vt iam aliàs, mirati arduum conſilium inauditâ voti religione, & recupetatâ diuinitus valetudine firmatum. Laudibus deinde extulere animum fortiſſimi iuuenis, qui ſacrum Bellum primus, priuatiſque ſuſcepiſſet viribus tunc cùm Prin-

H

a *V. Lipſ. in Louan.*
b *Molan.* c *Idem.* d *Ripam.* e *Helm.*

cipum aliorum carebat auxilio, ſicut carebat exemplo. Hoc eſſe niſu Herculeo velle Occidenti Orientem armis iungere, & Chriſtiano orbi orbem adjicere. Qui tantam rerum molem ſuſcepiſſet, dignum eſſe nomine Herculis Chriſtiani. Ad extremum opem polliciti ſpem fecerunt alios quoque proceres in ſocietatem præclaræ atque Argonauticâ maioris expeditionis venturos. Dum hæc agitant in conclaui Principes, Tiro ille Godefredo intimus de eodem heroïco ducis ſui conſilio agebat cum Mathildanis, Anachoretâ Ioanne, Lanfranco, Domnizone. Mirabantur & hi fortiſſimum Bullionium, qui ſe finibus Occidentis neutiquam concludi paſſus, quærendum in Oriente putaret, circa quod periculum ſui faceret. At ſciſcitabatur Ioannes, quas ad tantam expeditionem facultates, quos ſocios paratos Dux haberet. Reſpondit Tiro, licet impares eſſent tanto bello priuatæ vires & opes quantæcumque, tamen Godefredi parem animum eſſe. Cæterùm quos, inquit, immenſi operis ſocios, atque adiutores ſibi ab ineunte ætate, ac deinceps conciliarit, quorum hîc aliquos eum comitatos vides, altiùs, atque ex ordine repetam. *a*

Primo loco (ſubiecit Tiro Ioanni ſubridens) à me nominandus anachoreta. Eſt enim, quemadmodum ſuus Mathildi Ioannes, ita Godefredo ſuus eremicola Petrus, datus iam olim puero magiſter morum, litterarum, ar-

a PRIMORDIA *Petri Anachoretæ, Hugonis Franci, Roberti Flandri, &c.*

tiſque militaris. Patrem habuit Godefredus (vt ſcire vos arbitror) præſtantem domi bellique virum Euſtachium, Bononiæ Belgicæ Comitem, patruum autem cognominem habet Godefredum, Francici regni præfectum iuris, ſeu Cancellarium, Pariſiorumque Pontificem. Ad hunc forte venerat peregre ille, quem dixi, vir egregiâ virtute Petrus, gentilitio autem nomine, Anachoreta. Qui natus in Morinis nobili Anachoretarum domo, puerque litteris imbutus in patriâ, vt ſuperioribus diſciplinis, & peregrinis linguis excoleretur, in Italiam, Græciamque conceſſerat. Vbi ætas patiens laborum fuit, ad rem quoque militarem appulerat animum. Cùm Pariſijs ingenium, probitatem, & belli paciſque artes abunde probaſſet Cancellario Godefredo, mittitur ab hoc ad Comitem fratrem. Euſtachius perſpectâ Petri inſigni facultate cenſuit non poſſe aptiorem eligi, qui filiorum ſuorum pueritiam regeret, informaretque principalium artium præceptis. Ergo ducit Petrum ad coniugem Idam; cui commoratio erat plerumque apud fratrem Lothariæ Proregem Gothilonem Gibberum. In eâ Belgicæ regione, quæ Brabantiam complexa, *a* Lotharia & Lotharingia propriè nunc dicitur, *b* quæque Scaldi diſterminatur à Flandriâ, non longè ab amnis Diliæ fontibus caſtella duo inter ſe propinqua Gennapia, & Baſeium clarent. Gennapia prætorium Proregum Lothariæ *c* patrimonium

H 2

a *Lothier.* b *Chron. Fland. apud Cheſn.*
c *Butkens.*

Proregis Gibberi fuit, qui & eo loco plurimùm verſatus. Abeſt inde Baſeium paucis millibus paſſuum, qui locus imprimis nobilitatus domicilio fatidicæ Principis Idæ, & heroicis incunabilis filiorum. Hîc illa prope fraternam arcem degere amabat, & fratris vſu frui. *a* Ibidem nati & educati filij tres, Godefredus, Balduinus, & Euſtachius. Pueri ſummæ ſpei in oculis avunculi Proregis, atque in complexu matris educabantur Baſeij, cùm Petro traduntur optimis erudiendi diſciplinis. Qui ſummâ caritate complexus diſcipulos Principes toto animo incubuit in commiſſum munus. Ingentem expectationem concitarat tum puerorum excellens indoles, tum matris Idæ prædictio, quam minimè vanam fore, Petro perſuadebat indubitata virtus auctoris, inter Occidentis matronas ſanctimoniâ morum inſignis. Prædictionem maternam quędam oſtenta pręceſſerant non ignorata Petro. Idam, cùm primùm Euſtachio nupta eſt, fortè ſub noctem de cæleſtibus commentantem ſomnus oppreſſit. *b* Vidit in quiete ſpeciem ſolis è cælo delabentis in gremium ſuum, atque id ingenti fulgore complentis. Quo viſo præſignificatus ſplendor Heroicus filiorum eius, atq; imprimis Godefredi ſtirpis maximi, qui altero poſtmodum *c* oſtento viſus eſt in ſole ſublimis tanquam in ſolio conſidere. Naſci decebat inter prodigia eum, cuius vita perpetuum erat futura miraculum. Neque præterijt illud Petrum, ſub tempus, quo in lucem editus eſt Godefredus, commiſſam in Belgicâ prodigioſam

a *Chron. Niuell. & Rubeæ Vall.*

b *M. S. Vita Idæ.* c *Alb. Aquen.*

iuxtà ominoſamque inter feras animantes pugnam. Ad Neruiorum oppidum *a* allapſæ ingentes colubrorum copiæ, atque in vnum locum collectæ, mox bipertitò diſiunctæ, velut geminâ acie incurſarunt in ſeſe. Strepere, ſibilis iras acuere, infeſtis linguis, morſibus, venenis in ſe ſæuire. Multi vtrimque conuulnerati, ac perempti. Pars vna ſenſim cedens, tum profligata in cauam arborem ſe recepit. Altera inſecuta circumſtrepere, & quaſi obſidione cingere. Tenuitque oppugnatio, & ſpectatorum Belgarum admiratio, donec ab his circumiecto igne pars vtraque peruicacium ferarum abſumpta eſt. Quid illæ portenderint, tunc neſcitum, nec memoriæ proditum. At certè non obſcurâ ſimilitudine videntur exprimere duas illas barbaras gentes eodem veneno Mahometanæ ſuperſtitionis imbutas, Turcas, ac Saracenos, qui inter ſe in Oriente, non ſolùm in alios, armis graſſantur. Vtinam ambos ſuperueniens Belga Godefredus cum fratribus ac ſocijs, ferro ignique, velut Hercules multicipitem Hydram, domet. Eoſdem tres fratres, *b* trium ſiderum ſpecie ſubſtratis anguibus inſiſtentium à ſe viſos nonnemo narrauit. Nunc Idæ vaticinatio memorabilis de tribus filijs hæc exſtitit. Fuit *c* cùm in conſpectu matris luderent pueri fratres, laceſſentes ſe teneris manibus, & ad eius gremium recurrentes identidem. Fortè ſub maternam chlamydem ſeſe condiderant, ibique latitantes innocenti

a *Sig. A.* 1059. b *Geneal. Bonon.*
c *G. Tyr. Hiſt. Morin.*

manuum ac pedum agitatione ſtrepebant, cùm Euſtachius pater ſuperuenit. Blandè ſciſcitatur à coniuge, quid ſub eius veſte motitetur. Illa feriò, plenaque numine reſpondit tres magnos Principes eſſe, quorum primus Dux, ſecundus Rex, tertius Comes eſſet futurus. Addidit illi reſponſo indicationem, quâ Godefredum Ducem, Balduinum Regem, Euſtachium Comitem fore ſignificauit. Ita ſoli Balduino regiam dignitatem pollicita, effecit tamen deinde, vt intelligerent puerorum pater, avunculus, & moderator Petrus, maius aliquid latere ſub *a* cæteris verbis ſuis, innuitque Godefredum fore DVCEM, ſed INTER REGES INCLYTVM. Cùm hoc vaticinium narraret Tiro, lætati quidem, qui audiebant, Mathildani, ſed ancipitem videbant quaſi fatorum viam. Capere id non poterant, quomodo Godefredus futurus DVX eſſet, & tamen INTER REGES. Obiter addo quod rei admirabilitatem auxit, quodque Tironi tunc nondum erat notum. Etiam Godefredo, & cuique trium fratrum, quos fore MAGNOS prædixerat mater, *b* regium decus obuenturum auguratus eſt poſtea Petrus. At quia iſta aduerſantur priori matris prædictioni, ſic eam cum appendice Petri complecti breui carmine placuit.

VATICINIVM.

TRES MAGNI PROCERES, DUX, REX,
COMES: ATTAMEN HORVM
QVEMQVE MANET REGNVM, REGIA
VIRGO MANET.

a *Monum. Bouon.* b *M. S. Nic. Campis.*

SED VERSABIT AMOR SORTES: HOS REGIA QVAMVIS
IVRA MANENT, HI DUX, REXQVE, COMESQVE MANENT.

Ambigua hæc, & in ſpeciem pugnantia expediet & conciliabit euentus. Porrò narrationem inſtitutam ſic perſecutus eſt Tiro: Petrus, inquit, vt pueris diſcipulis animos faceret, varia pro eorum ætate captuque inculcabat, modò patriæ decora, modò nobilitatem & facta maiorum. Natale illis ſolum eſſe Galliam Belgicam, terrarum plagam minorem magnis, ſed comparandam optimis. Gallorum fortiſſimos Belgas Iulium Cæſarem & prædicaſſe, & expertum eſſe. Ex eâ regione excellentes pace belloque viros prodijſſe, ſed neminem, quem non deberent nobiliſſimi pueri olim vel æquare, vel vincere. Spectarent maiores ſuos, non genere magis, quàm virtutibus inclytos, & quidquid illi fuiſſent, à ſe nepotes exigerent. Addebat tenere famam, fuiſſe ipſis auctorem gentis Eliam mirificum equitem *a* cognomen ſortitum à Cygno, à quo etiam cymbâ eſſet adductus. Inde cum pueros interiectâ fabellæ illecebrâ feciſſet attentiores, ſubdebat famæ illi commentum aſpergi. Fortè equitis illius (ſi quis fuerat) *b* plumario caſſidis apici additam Cygni figuram, locum miraculo nominique feciſſe. Tum maiora orſus memorabat originem longè clariorem, nec à fabuloſo, ſed vero iuſtoque Heroë accerſendam. Genus paternum iuxtà maternumque eos ducere ab Auguſto illo Imperatore Carolo Magno,

a *G. Tyr.* b *Pigbius.*

cuius tanta magnitudo virtutis, & amplitudo imperij, tantaque in Eccleſiam merita fuerint, vt maximi quique Principum ſummæ ſibi gloriæ ducant poſſe ad eum referre originem. Iam ortos ipſos à tanto Heroë per Franciæ Reges, Proregeſque Lothariæ. Nam poſtremos ex Caroli Magni ſtirpe ſincerâ ac maſculâ fuiſſe Ludouicum Quintum Francorum Regem, patruumque eius Carolum Lotharienſium Proregem, & filium Caroli huius Ottonem. Tres eos fato conceſſiſſe, non aliâ prole ſuperſtite, quàm filiabus Caroli Proregis duabus, Gerbergâ, & Ermengarde. Gerbergam natu maiorem Francici regni hereditatem auito paternoque iure repetijſſe, ſed nihil eualuiſſe contra potentiam id occupantis Hugonis Capetij, genus ad Carolum Magnum aliâ referentis. Lotharienſis quoque regni præfecturam puellæ negatam à Cæſare, quòd Cæſar id eſſe virile beneficium imperij diceret; præfectumque ei regno eſſe Godefredum, & poſt hunc, fratrem Gothilonem Magnum Arduennæ Comitem. Iam Arduennatem hunc Lothariæ Proregem oriundum quoque à Carolo Magno, abavum eſſe matris ipſorum Idæ, Gerbergam autem illam abauiam Euſtachij, quo patre geniti ſint, illuſtres vtrimque regio Caroli Magni ſanguine. Temporis ſpatia ita diſpunxerat Petrus, vt diſcipuli Principes diei partem religionis officijs, partem diſciplinæ militari, partem ſtudijs pacatioribus inſumerent. Nec eos dumtaxat præceptis, ſed exemplis præſertim erudiebat, vir egregiè pius, litteratus, ac ſtrenuus,

Quàm docendo excelluerit, diſcipulorum peritia, virtuteſque mox, prout tulit cuiuſque ætas, oſtendêre. Godefredus, vt natu maximus, ita eximio virium robore, ac dexteritate anteijt, ſiue in palæſtrâ, ſiue in equeſtribus ludicris, ſiue ſerio certamine conſerendæ manus eſſent. Excito ſub id tempus Flandrico bello, notitia illi, atque amicitia eſt inita cum Hugone Francorum Regis Philippi fratre, alijſque adoleſcentibus egregijs, & pariter illis poſita militiæ rudimenta. Belli origo hæc fuerat. Coniugibus Balduino Inſulano Flandriæ Comite, & Adelâ (quorum hæc Philippi Regis, Hugoniſque fratris amita erat, ille eorundem pueritiam, ac Franciæ regnum ſummâ fide rexerat) natus eſt Balduinus Flandriæ heres. Duxit is Richildem heredem Hannoniæ, ex quâ ſuſcepit filios duos, Arnulphum, & Balduinum, quorum priori Flandriam, poſteriori Hannoniam attribuit. Pòſt paulò fato conceſſit, iacto funeſti belli ſemine. Tutelam enim filiorum, quam pater commiſerat Roberto Friſio fratri ſuo, Richildis mater arripuit. Ferocis animi femina, & cupida imperij verebatur, ne teneros liberos, per occaſionem tutelæ, ditione exueret patruus Robertus homo bellicoſi atque immodici ingenij, potentiâque metuendus: quippe qui ductâ Florentij Hollandiæ Comitis viduâ, ſubactiſque Friſijs, eius gentis principatum adeptus erat, & Friſij cognomentum. Offenſus repulsâ Friſius Richildem bello petit. Quæ Lutetiam Pariſiorum

a *Meyer. Ondeg. an.* 1070.

proſecta in ſocietatem armorum Regem allicit, tum duos clariſſimos bello duces Euſtachium Boloniæ Comitem, & ſororium eius Gibberum Lothariæ Proregem. Gibber protinus in ipsâ Hollandiâ Robertum inuadit, collatiſque ad Lugdunum ſignis, editâ magnâ ſtrage vincit, & Hollandiæ Friſiæque ditione potitur. Fugatus Friſius, at indomitus, primùm ad Saxonum Ducem, cuius duxerat filiam, perfugit, deinde vocatus à Flandris Gandam venit, Richildis Gibberique vlciſcendorum cupidus. Ibi ad eum Flandriæ Teutonicæ nobilitas confluit, quæ viro, non fœminæ, parere in animum induxerat. Contrà populi Flandriæ Gallicæ ſecuti Richildem. Ad quam Rex quoque Philippus, & Hugo frater cum magnis auxilijs venêre. Vires iunxit his Bononienſium Comes Euſtachius. Comitati patrem liberi, Godefredus, Balduinus, Euſtachius, vt à teneris militiæ aſſueſcerent. Eorum latus ſemper ſtipauit Petrus moderator. Hîc regius adoleſcens Hugo conſueſcere cum Godefredo cœpit, ſemenque iacere illius inſignis neceſſitudinis, quæ bello ſacro floreret. Sub radicibus editi montis, cui Caſletum oppidum impoſitum eſt, concurrêre acies. Locus Friſio opportunus, varia fortuna, dubiaque victoria fuit. Richildis, quæ maſculo mulier animo ſeſe pugnantibus miſcuerat, viua in Friſij manus venit. At Friſius ipſe, dum ſucceſſu calens hoſtibus inſtat, ab Euſtachio Bononienſi captus abducitur. Liberati vtrimque captiui, mox ad pugnam redierunt alio euentu. Adoleſcens Ar-

nulphus Flandriæ Comes cæſus in acie, captuſque Bononienſis Euſtachius à Friſio, & vnà Petrus, a qui eo prælio inſignem in diſcipulos pietatem non minùs, quàm fortitudinem probauit, cùm interpoſitu corporis ſui fecit, ne filij cum Euſtachio patre caperentur. Ita Friſius victor Flandriâ potitus eſt. Richildem altero filiorum amiſſo, altero paternâ hereditate pulſo geminus dolor magis accendit in Friſium. Ad inſtaurandum bellum hæc Regem Philippum extimulat. Nec abnuit ille, & Balduinum adoleſcentem balteo cinctum Flandriæ Comitem ſalutat. Cum eo iam mouentem dehortatus eſt ab armis Cancellarius Godefredus. Magna hunc inceſſerat cura, & cupido liberandi Euſtachij fratris, quem Friſius in cuſtodiâ detinebat. Cum hoc in eas leges conuentum, vt Cancellarius Regem cum copijs reduceret in Franciam, Euſtachium dimitteret Friſius. Stetit vterque pactis. Auctore quoque Cancellario Rex tunc, aut (vt quidam) priùs petijt coniugem, & obtinuit à vitrico ac tutore Friſio Bertam Florentij Hollandiæ Comitis filiam, ex quâ par inſigne liberorum Ludouicum, Conſtantiamque ſuſcepit. Liberatus Euſtachius, & cum eo Petrus, omnium periculorum & gloriæ particeps. Qui cùm ex data fide bello impoſterum abſtinerent, tiro Godefredus avunculi Proregis exinde ſigna ſecutus eſt, magnorum operum non ſpectator modò, ſed etiam adiutor. Richildis ſubmiſſâ Leodienſium Pontifici Hannoniâ, acceptâque

a *Hiſt. Morin.*

ab eo magnâ vi pecuniæ & militum, bellum inſtaurat. Tertio prælio decernitur. Adſtitit Richildi in acie filius Balduinus, & avunculo Proregi Godefredus, magni animi adoleſcentes. Pugnatum ad Hannoniæ vicum Brochoriam, debellatumque tantâ cæde, vt ab occiſorum multitudine Dumetum Mortis nomen loco manſerit. Godefredus ita virtutem vtrique parti probauit, vt *a* ſibi laudem egregij, & ad rem militarem impigri adoleſcentis iam tum pepererit. Vicit tamen Friſius, & partim eâ victoriâ, partim pacto, hereditarium Flandriæ imperium aſſeruit filio ſuo Roberto, Hannoniâ Balduino relictâ. Godefredus præter laudem id fortis operæ pretium fecit, vt notiſſimus eſſet non ſolum æqualibus ſuis Hugoni Franco, & Hannoni Balduino, ſed præſtantis, vt illi, indolis puero Roberto Flandro, cum quibus poſtea bello ſacro arctiſſima ei neceſſitudo foret. Verùm hæc ne tam citò cum Flandro coaleſceret, patris Friſij facinus, certè facinoris opinio, fecit. Proregis Gibberi avunculi percuſſor, vt conſtantior fama tulit, immiſſus erat à Friſio. At didicit Godefredus ignoſcere, tum inductus lenitate animi, tum ratione permotus, quando ſibi ipſi veniâ opus eſſe agnouit, partes Henricianas ſecuto. Friſio venerationis & pœnitentiæ ergò Hieroſolymam profecto filius Robertus, qui ab eo erat in partem Flandrici imperij cooptatus & appellatus Comes, Romam *b* venit ad Cæſarem. Romæ cognouit de Aquiliferi Cæſarei.

a *Lamb. Sch.* b *Oudeg.*

mirandis Saxonico Italicoque bello geſtis, deque eius valetudine tunc aduersâ. Inuiſit ægrum tantâ comitate, tantâ exceptus fuit, vt vel maxima inter eos iuuenes exinde neceſſitudo contracta ſit. Relatus in patriam æger Godefredus, Hieroſolymam & ipſe proficiſci ſtatuit, ſed armatus. Hæc agitantem alia interturbarunt cæleſti numine ita prouidente. Iniectæ enim expeditioni moræ (quis credat?) expeditionem promouêre, non proceſſuram, niſi retardaſſent. Quin ea rerum inopia, quam fortuna molita eſſe videbatur ad diſturbandum bellum ſacrum, contulit ad parandum. Godefredo enim deerant adiutores, opes, valetudo: at inter belli ſumptus & detrimenta nactus eſt opes, ex hoſtibus belli ſocios, valetudinem denique ex ipſo mortis diſcrimine. Quemadmodum bello Flandrico Robertum, ita Virodunenſi duos conſanguineos ſuos Tulli Leucorum Comitis filios, quos habuerat hoſtes, conciliauit ſibi virtutis operibus, ſecum in Orientem tracturus. Sed non alios bello illi ſacro opportuniores ſocios habuit, quàm egregiè ſibi auxiliatos ad Sathanacum fratres Balduinum, & Euſtachium, ſororiumque Montis Acuti Comitem Cunonem. Quod ad me attinet, quantuluſcumque ſum, à Ducis mei latere, cuius eſt in me ſingularis beneuolentia, nuſquam abſtitero. Petrus ille quondam trium fratrum moderator bello Virodunenſi in armis non adſuit. Quippe quem ceperat tædium rerum profanarum, & religioſioris vitæ deſiderium. Poſtquam bello Flan-

drico captus, liberatuſque fuerat, ac deinde vxorem è nobili gente Ruſſiacâ ductam extulerat breui, caſtitatis voto ſe obſtrinxit. Initiatuſque ſacerdotio curâ liberorum (duos ſuſceperat, Petrum, & Aleidem) propinquis demandatâ ſolitariam vitam ducere inſtituit loco *a* ſaltuoſo Eburonibus finitimo. Godefredus Petrum re iam, vt nomine, Anachoretam non rarò conueniebat, & omnis arbitrum vitæ nihil ſuarum rerum ſinebat latere. Cum eo ſæpè de conſilio ſacri belli contulerat, præſertim poſtquam ex Hezelonis miro ſomnio, quod anno *b* huius ſæculi vndenonageſimo contigit (quodque nuper à me Malthildi narratum, vobiſque iam perſpectum, non arbitror eſſe repetendum verbis pluribus) cognouit ſe Ducem & Præceptorem Chriſtiani agminis à Deo deſtinari. Quo anno etiam præfectura regni Lotharienſis ei collata à Cæſare, & redditus Viroduni Comitatus, vt ad bellum ſacrum opes ne deeſſent. Exinde itare frequentiùs ad Anachoretæ latibulum, gemere cum eo de Eccleſiâ in Oriente per Turcas ac Saracenos, in Occidente per Henricum, Gibertumque vexatâ: decretum ſibi eſſe, vt horum ſocietatem declinet, illos bello petere, ad quos vocetur diuinitus: orare vt ipſe pulcherrimæ rei ſocius, & adiutor eſſe velit. Sacrum hominem ſacra arma non dedecere. Petrus animum fortiſſimi iuuenis meritis laudibus tulit, & verò ſe tanto operi non defuturum ſpopondit. Id in præſens agendum, vt quàm plurimi,

a *Doutrem*, b *An.* 1089.

potentiſſimique alij comitentur, ac primùm omnium vt conualeſcat ipſe. Spem collocandam ſecundùm Deum in cæleſti auxiliatrice Virgine Matre, quæ ſe eſſe non modò ſalutis corporum, ſed & bellicæ opis, & victoriæ mirandam effectricem probarit nuperrimè in PrincipeGodefredi conſanguineo a, Tungrenſi Hectore. Res poſt homines natos inaudita inciderat, quam vos ex me audijſſe non pœnitebit. Tungri Hannonum vicus eſt amœnior ſitu, quàm ædificijs ſplendidior. Salubris temperies cæli, ager frumenti fertilis, aquæ ſcaturigines prata interluunt. Locus Hectori domino, viro illuſtri, Alberti Namurcenſium Comitis fratri ſic arriſit, vt in eo, licet nobiliora ſuppeterent, domicilium fixerit. Sed tenuit eum imprimis quod loco acceſſerat ornamentum è cælo. Anno ſæculi huius altero, & octogeſimo intempeſtæ noctis ſilentio geniorum manibus cæleſti quâdam pompâ in hortum Hectoris allata erat perelegans Virginis Matris ſignum bipedali haud maius, è ligno gypſato, venuſteque coloribus picto. Faciei color ad caſtaneum vergens, oculi ſuauitatem intuentibus aſpirantes, tota corporis ſpecies dignitatis plena. Genij quà baiuli, quà comites locum admirabili lumine, concentu, odorumque fragrantiâ impleuere, tenuitque ea pompa ſeſquihoram. Exciti incolæ frequentes aduolant, Virginemque hoſpitem ſupplices venerantur. Omnes miſta religioſo ſtupori lætitia inceſſerat. In primis adfuit Toparcha

a *Ex Tabul. Tung. Seruius.*

Hector, vt indole & genere, ita religione princeps. Sed vir cætera illuſtris, caſſus erat oculorum lumine, quod ab annis tribus morbi vis extinxerat. Quomodo medicam Virginis hoſpitis manum ſit meritus, accipite. Primùm iuſſit transferri iconem in locum celebriorem, ratus id magis ex Virginis honore futurum. Verùm prodigio addita prodigia. Quam in horto elegerat ſtationem icon, eandem nocte ſequenti repetit, cæleſti pompâ haud diſpari. Iterùm, tertiò, quartò exportata, toties rediit, miraculo ſtupentibus teſtibus, qui partim ex vicinis locis coierant, partim Cameraco ad rei fidem ab Epiſcopo miſſi erant. Lætitiâ exultans Hector, & gratulabundus, quòd hortum ſuum potiſſimùm elegiſſet Diua, precatur vt volens ac propitia initam ſedem teneat; hortum ei, & quidquid caſtelli ſeptis continebatur, dicat; ſe ac ſuos, ſuaque omnia fidei eiuſdem, ac tutelæ committit. Mox ibi ædes condita, & ſacrata Virgini. Quâ hoſpite gaudebant omnes, protinus multi ſoſpitam experti ſunt. Hectori vni, qui Diuam tanto ſtudio exceperat, clauſa videbatur ſalutiſera manus. Annis duodecim & ampliùs longa moleſtæ cæcitatis tædia tulit, ceterùm conſtanti ſemper in Virginem fiduciâ. Sed dilatum eſt nobile curationis prodigium, vt coram nobilioribus, & plurimis teſtibus ederetur. Exorto bello abhinc tribus annis *a* inter Philippum Francorum Regem, & Robertum Friſium Flandriæ Comitem, ecce nocte concubiâ Tungris Hector diuinitus monetur, vt arma induat, &

a *An* 1090. *Tab. Tung.*

Regi Philippo ſuppetias ducat. Hæſit Hector nuncio perculſus, quòd oculis captus iuberetur arma capere; & ducere copias ab alio ipſe ducendus. Iterum, ac tertiò commonitus, paret denique, contrahit numeroſum militem, & ad caſtra ducit, quæ Rex inter Tornacum & Inſulas metatus erat. A Philippo, Hugone fratre, & toto exercitu, ingenti honore pariter ac ſtupore accipitur cæcus dux, quem à Dei parente ſubſidio ſibi mitti audiebant. Poſtridie illius diei, cùm exercitus vterque iam iam conflicturus eſſet, petijt Hector conuerti ſe Tungros verſus, vt Tungrenſi Virgini ſupplex accideret, victoriamque, &, ſi ita expediret, exoraret lucis vſuram. Oranti coram Rege, regioque exercitu, oculorum lumen reſtituitur. Hîc vniuerſi clamorem, & manus ad cælum ſuſtulere: vniuerſi viſo tanto, tamque manifeſto prodigio de victoriâ bene ominati. Hector gratijs Diuæ actis ad pugnam cum cæteris ſe comparat, copias non iam alienis, ſed ſuis oculis luſtrat: hortatur omnes, vt meminerint ſe Virgine auſpice prælium inire, quæ quàm faueat, videre ipſos, atque ſe omnium maximè. Rex licet impar numero militum, victoriâ potitur. Inde ſtudio accenſus viſendæ, colendæque prodigioſæ iconis Tungros peruenire feſtinat comitante fratre Hugone, & magnâ parte exercitus. Ibi Virgini victoriam acceptam gratulabundi retulere. Rex caſtrenſe paludamentum, quo veſtitus in acie ſteterat, Virgini ſacrum appendit, aliaque donauit digna Rege victore. Recentiſſimum hoc, & non

vnum prodigium cùm Belgas omnes in admirationem, & cultum Virginis Tungrenſis rapuit, tum Godefredum Proregem iam antè Virgini addictiſſimum in ſpem ſummam cæleſtis opis erexit. Nuncupato belli ſacri voto, recreatuſque mox ex morbo diuinitus, ac damnatus voti, nil iam niſi ſacra loca, ſacra arma cogitabat: cùm ab incœpto retardatus eſt triſtiſſimo illo nuncio, quo ſororem Auguſtam turpiter ab Henrico repudiatam cognouit. Mox arma in Turcas parata vertit in Cæſarem, aduerſus quem operâ Mathildi non inutili vobiſcum hîc pugnauit ad Canuſium. Nec opinor ſine Numine, vt nempe otio Italiæ parto expeditiùs Terræ ſanctæ libertatem pariat. Dum hæc Tiro narraret ſtupentibus Mathildanis, Godefredus in conclaui Regem Conradum, Mathildemque ad bellum ſacrum maturandum vrgebat. Et Mathildi dudum eiuſmodi expeditio fuerat in votis. Sæpe eam à Pontifice Gregorio ſanctiſſimo magiſtro ſuo proponi audierat, & Cæſari Henrico, alijſque ſuaderi. Sæpe Alexium Græcorum Auguſtum opem aduerſus Turcas efflagitaſſe ab Henrico, & à ſeipsâ meminerat. Sed Gregorij mors, & exorta alia ex alijs in Italiâ bella, diſturbarant conſilium. Nunc rebus ſecundioribus Vrbanum ad idem ſtatuerunt impellere. Reputabant tamen rem Chriſtianam in libertatem quidem erectam, ſed ab hoſtibus nondum omnino tutam, Giberto machinas nouas moliente, nouamque Cæſari coniugem procurante, vt famâ celebritatis nuptialis niteretur allicere

proceres, & reparare vires. Cæterùm Bullionius quando in Italiâ otium quoddam ab annis eſſe iam videt, bonâ Conradi, Praxedis, ac Mathildis veniâ, obiter recurrit in Belgicam, ac Franciam, bellum ſacrum paraturus. Primùm Bullionum venit locum naturâ, operibuſque munitum, ab heroë domino conſecuturum immortalitatem nominis. Arx impoſita rupeculæ omni ex parte circumciſæ. Cingunt eam in orbem perpetua iuga editorum montium, niſi quà amnis præterfluit. Qui ad auerſam arcem bipertitò diuiſus, poſt quam eam, & modicam planitiem portæ prætentam circumluit, coiens rurſus euoluitur. Celebratus eſt Godefredi aduentus frequentiâ ciuium, & ſplendore procerum, etiam externorum. Apparet ex eius *a* diplomate, quod tunc ſubſcriptis nominibus confirmarunt Hugo, Amalricus Montefortius cum fratre, Arnulphus Chiniaci Comes cum Ottone filio, alijque viri nobiles, quorum multi Godefredum ſacro bello ſecuti. Legitur & in eis tabulis chirographum Gerardi, vt opinor, Aueſnatis, egregij Tironis, nullique ſecundi inter familiares Godefredi. Hic ſubinde digreditur ad ſiluam Anachoretæ ſui Petri: quem complexus hortatur ad belli ſacri ſtudium confirmandum, non ſine querelâ de morâ ſuis conatibus ab Henrico iniectâ. Petrus miratus Ducis cæleſtem inter perpetua impedimenta vel conſtantiam, vel fiduciam, precatuſque vt res feliciter denique cederet, aliquid in rem præter admirationem & preces conferre

a *Chart. Gorzien. An.* 1093.

aggreſſus eſt. Subierat animum cogitatio præcurrendi in Palæſtinam, & expeditioni ſacræ viam explorandi pariter, ac ſternendi. Quo conſilio ſuo cum Duce communicato, & ab hoc magnopere approbato impigrè profectus eſt. Godefredus Bullioni rurſus coëgit procerum cœtum, & ibidem *a* (vt priùs) obſignatis tabulis in religioſos viros beneficia contulit, atque ita expeditioni ſuæ conciliauit ſuperos. Inde excurrit in Franciam acturus imprimis cum ſuo ſodale fratre Regis Hugone, & cum regni Cancellario patruo ſuo, qui non in re modò ſacrâ, ſed & in profanâ, plurimùm apud Regem auctoritate pollebat. Pergratus aduenit in aulam Godefredus, commendatus omnibus elegantiâ morum, formæ dignitate, & ingenti opinione virtutis. Non abibat dies, quin diceret, aut faceret aliquid, quo probaret magis eximias animi corporiſque dotes. Ita non ſolùm ſibi Hugonem arctiore neceſſitudine deuinxit, & alios amicos, atque imprimis Monteſortios fratres, ſed & mirè arriſit regiæ virgini Conſtantiæ, regioque gynæceo. Erat in omnium ore, nec in paucarum amoribus, actumque eſt de deſpondendâ ei aliquâ puellarum Principum. Quin vulgatum *b* nupturam aut etiam iam nupſiſſe illi Sibyllam, filiam Fulconis Rechini Andium Comitis illius, à quo ſeiunctam *c* toro Bertradam Monteſortiam Rex Philippus tunc in delicijs, & pro Reginâ habebat, coniuge Bertâ per cauſam conſanguinitatis dimiſsâ. Verùm Sibyllam ſub id

a *Ex Chart. An.* 1094. *V. Miræum.* b *Stemm. Loth.* c *An.* 1093.

tempus mortuam legimus. Cum Hugone neceſſitudo tanta erat Godeſredo, vt & intimum amicorum profiteretur, nec alij mallet deſponderi Conſtantiam Regis filiam ex Reginâ Bertâ ſuſceptam. At Godeſredi animum tunc ita occupabat belli ſacri apparatio, vt aliud nihil in præſens moliri videretur. Nec doluit Hugoni amicum differre tantiſper coniugij voluntatem, donec & pacatior eſſet aula, & Conſtantia, tunc vndecennis, adoleuiſſet, quam apparebat formâ, vt genere, præſtantem fore; quamque obtinere à Rege coniugem is poſſet, ſubnixus amici Hugonis gratiâ, & patrui Cancellarij auctoritate, ſactorumque imprimis ſuorum gloriâ, quâ maximè Conſtantiæ animus mouendus videbatur. Nec prætereundi fratres Montefortij Godeſredo amiciſſimi, qui plurimùm eius causâ poſſent apud ſororem Bertradam, & hæc omnia apud amantem Regem. Sub hæc Godeſredus redire feſtinat in Italiam ad Mathildem, eandem ſacram expeditionem huius maximè operâ promoturus. Interim Gibertus nullam partem quietis capiebat, ſollicitus de dignitate non Cęſaris, ſed ſuâ, ad quam ſtimulante ambitione referebat omnia. Eo auctore Henricus ex Italiâ Moguntiacum a excurrerat pro repudiatâ Praxede ducturus aliam coniugem, famâque celebritatis nuptiarum allecturus ad ſe proceres Germanos, vt per eos repararet bellicas vires. Qui mox reuerſus ad Gibertum reduxit quidem nouam nuptam filiam Regis Ruſſorum (quæ

a *Chron. Turing.*

Moſcuæ gens eſt) ſed copias nullas ad bellum. Hac ſpe deturbatus Gibertus aliò artes intendit impenſiùs. Quemadmodum ante Cæſari pollicitus erat, omnem dedit operam, vt à Mathilde abalienaret Guelſonum animos. Atque vt Cæſari animos faceret, aſſeruit fortunam iam ſe dare, & fauere conſilio. Eſſe Canuſij milites mercede conductos, quibus omnia venalia ſint, etiam animus. Scire ſe ex proditoribus Canuſinis, Guelſonem Mathildis virum plerumque, quidquid diſſimulet, præferre triſtitiæ notas, ſolum identidem agere, ac ſuſpiria ducere. Cum Mathilde verſari reuerenter magis, quàm licentiâ, & familiaritate coniugali. Nempe ex quo Godefredus adſit, videri ſe minùs amari, quàm illum, nec æquo animo ferre; certè aliquid ei negotij minùs læti eſſe cum Mathilde. Nutantem minimo momento perpelli poſſe ad defectionem. Si Cæſar Guelſoni patri ſpem faciat recuperandi Boici principatus, eum cum filio à Mathilde facilè deſciturum. Ita horum copijs reparatum iri vires Cæſaris, & turbatum iri res Mathildis. Dum nefaria hæc à Giberto agitantur, ignara eorum Mathildis conſilia belli ſacri cum Godefredo agitabat. Vrbanum Pontificem Romam iam reuerſum ſtatuit orare, vt Canuſium ad ſe, atque in Longobardiam veniret, ad vltimum incutiendum Henrico Gibertoque terrorem, ne ſacrum Bellum morarentur. Cùm Pontifice præſente actùram ſe de eo conflando pollicita eſt Godefredo. Atque *a* id reverà

a *Pigna.*

præſtitit poſtea. Nunc, quem ad Pontificem ſuo nomine orandum mitteret, neminem inuenire potuit aptiorem ipſo Godefredo. Auctorem habeo, *a* qui prodat Bullionium tunc adjiſſe, & ad ſacrum bellum indicendum hortatum eſſe Pontificem. Sub tempus, quo Vrbanus Româ tetendit Piſas, venere ad eum eiuſdem belli ſuadendi causâ tum Alexij Græcorum Auguſti Legatus, tum Patriarchæ Hieroſolymitani auſpicatus orator. Læto Godefredo, ſciſcitantique de hoc oratore imprimis, quid hominis eſſet, & cuius facultatis ad conficiendam rem tantam, reſponſum eſt à Pontificijs miniſtris, ſenem eſſe, vili quidem habitu, ſed longè alium pectore, atque ingenio, quàm cuius ſimulationem induerit, virum eximiâ religione, acri inſignique facundiâ, non veriùs à Patriarchâ, quàm à Deo miſſum; verbo, cæli legatum. Studio eius alloquendi cùm flagraret Bullionius, inuênit hominem, agnouitque non alium eſſe, quàm cariſſimum educatorem olim ſuum, Anachoretam Petrum, ex Oriente reducem. Ad quem vt procurrit, complexus eum Petrus lachrymas non tenuit, & aliquantò pòſt ſuſpiciens in cælum, grates egit rerum conditori, quòd huic Principi cæleſte conſilium ſacræ expeditionis inieciſſet. Gratulanti viciſſim reditum ſelicem Bullionio, percunctantique, quo loco res in Oriente, & apud Pontificem eſſet, poſt alia quædam ita locutus Anachoreta: Hoc vili cultu profectus in Orientem ſperaui me contemptu tutum fore. Et

a *Ripamont.*

verò cùm Barbaris vbique eſſem deſpectui magis, quàm metui, inobſeruatus omnia potui obſeruare. Regionum itinera, gentium mores, munimenta vrbium exploraui, notitiamque collegi non pœnitendam, nec ad expeditionem tuam nulli vſui futuram. Illud (prô dolor) paſſim aduerti, loca ſancta impiorum iugo premi, ſceleribuſque pollui, & atrocia vbique edi in Chriſtianos exempla. Cùm Hieroſolymam perueniſſem, referremque Patriarchæ Simeoni, quæ videram, audiui ex eo homine, dierum, hoc eſt luctuum pleno, quæ in tranſcurſu & paucis diebus ſpectata mihi aduenæ non toleranda viſa eſſent, pijs incolis etiam in vrbe Hieroſolymâ quotidie perpetienda eſſe, quaſi vrbs quotidie caperetur. Foreque perpetuas eas ærumnas, niſi procurarem miſeris opem. Ego ex animo miſertus, operamque meam omnem, tuamque pollicitus, accepi à Patriarchâ litteras Vrbano Pontifici reddendas, quibus tum Pontifex, tum Reges, ac Principes Europæi, tuque a nominatim, rogamini, vt Chriſtianæ rei, tam miſerandum in modum in Palęſtinâ peſſundatæ ſubueniatis. Mihi magis extimulando cæleſte viſum (neque enim te celauerim) acceſſit. Cùm in æde Chriſto Reſurgenti ſacrâ ſub precationem indormiiſſem, ab ipſo Seruatore aſpectabili iuſſus ſum in Europam reuerti, & Chriſtianis omnibus animos accendere ad Terram ſanctam, ſanguine Diuino ſacratam, à barbarorum vindicandam iugo. Inde ferentibus ventis vſus,

a *Fulco apud Sirm.*

vſus, & appulſus in Apuliam, commodùm Romam atque huc veni ſub tempus, quo Græcus Auguſtus legatum ad Pontificem eâdem de re orandum miſerat. Vrbanus viſis Patriarchæ litteris, collaudato mihi prolixè annuens poteſtatem fecit Chriſtianos omnes vbique gentium ad bellum ſacrum cohortandi, pollicitus ſe ipſum mox indicto Placentiæ, & Claromonte Concilio hortatorem eiuſdem ſanctiſſimi operis fore. Anachoretâ ſub hæc tradente Hieroſolymitani Patriarchæ epiſtolam Godefredo de nomine ſcriptam, *a* non tenuit hic lacrymas, ſuperûm manifeſto fauore attonitus ſimul ac lætitiâ diffluens. Precatuſque Deum, ac Dei Matrem, vt tam feliciter cœpta euenire feliciſſimè iuberent, dimittit belli ſacri præconem. Qui inde fauſtiſſimis excitatus auſpicijs digreditur in Italiæ vicos & oppida. Circuire plebem, inferre ſe circulis ac templis, ſermones tempori aptos ſerere, quin Principum *b* omnium Occidentis ſingillatim aulas obire, & dicendi vehementiâ mirabiles vbique ciere motus animorum. Bullionium ad ſe venientem Pontifex iam famâ virtutis notum, noxarum veniâ, conſilij laudatione, hortatu, ac fauſtâ precatione proſecutus remiſit ad Mathildem, mox ſe pollicitus ſecuturum. Godefredus recurrens Canuſium Conradum ac Mathildem lætiſſimâ rerum narratione implet; & ad opem ſibi ferendam, quàm maximam, poterunt, iam ſponte currentes ſtimulat. Ipſe plenus immenſæ expeditionis imagine mox reditum parat in

I

a *Fulco.* b *Guib. Abb.*

Belgicam, vt operam det copijs contrahendis. Sub diſceſſum, in conclaui Auguſtæ Praxedis congreſſi Godefredus, Conradus, ac Mathildis, colloquium miſcuere teneritudine affectuum, & omnibus mutuorum ſtudiorum argumentis ſpectabile. Guelfo, vt plerumque aliàs, non adfuit. Primùm Auguſtæ ſorori valedicit Bullionius, eamque Conrado, ac Mathildi, pignus amoris ſui relinquit, & quantâ maximâ poteſt animi teſtificatione commendat. Deinde de Conradi Principatu, ac matrimonio actum. Ad rei Chriſtianæ firmamentum fore dicebat Mathildis, ſi duceret potentis & opulenti alicuius Principis filiam. Talem videri Iolantam, egregiam virginem, natam Rogerio Siciliæ celebratiſſimo Principe, patruo Buamundi. Idem Godefredus ſuadebat. Conradus Rex modeſtiâ & pudicitiæ ſtudio ſingulari iuuenis, reſpondit Godefredum ſibi ſuadere, quod ipſe non faciat. Se verò minùs verbis, quàm exemplo moueri. Subridens Bullionius ſubiecit præijſſe exemplo Mathildem, cui ſimili de causâ Pontifex Vrbanus nuptiarum cum Guelfone fuerit auctor. Poſſe Conradum eiuſmodi matrimonio magnas opes parare ad imperij tutelam, bellique apparatum. Et tibi, inquit Conradus, quantumuis opulento, non obfuerit amplificare opes, tantam expeditionem molienti. Quin ergo animum adjicis ad iungendam tibi Regiam aliquam virginem, cuius dote augearis? Quænam non amabit tantum bellatorem? Eſt imprimis in aulâ Francorum Regis (vt audio)

Conſtantia iam ætate nubilis, apud quam & Hugonis amici gratiâ, & Cancellarij patrui auctoritate, & tuis meritis plutimùm vales. Ad hæc Godefredus ſubridens Mathildem intuitus, reſpondit ſe apparatu bellico implicitum carere otio ad Regem conciliandum neceſſario, & debere nunc arma præhabere amoribus. Cùm non conueniret res inter eos Principes, id denique decretum, vt in belli exitum eam de matrimonio tractationem vterque differret. Ante diſceſſum Bullionio arcanum fuit cum Mathilde colloquium de Guelfone, quem ille perſpicaci oculo deprehenderat minùs cum Mathilde conuenire, & neſcioquid occultum agitare in animo. Alia quoque inter eos clàm de ſuis ipſorum rebus tractata, quæ nonniſi poſt reſcita ſunt. Palàm deinde valedicens Conrado, ſorori, ac Mathildi, ſe ab eis magnæ Dei Matri commendari poſtulauit, teſtatus eius auſpicijs ac manifeſto numine bellum ſe ſuſcipere, & cæleſtis huius Imperatricis ductum ſequi. Mathilde pro ſuo in magnam Virginem ſtudio gratulante, & optima quæque ab eâ ſperare iubente, pollicenteque ſe vires Godefredo mox iuncturam, ſic erectior ille diſceſſit. Dum repetitâ Belgica ſatagit rerum, præco belli Anachoreta percurſâ Italiâ transgreſſus Alpes in Franciam ſe pari ardore infert, multoſque, & imprimis Hugonem permouet ad ſacrum bellum cum amico Bullionio capeſſendum. Inde pergit in Angliam. Eum frequentibus vbique concionibus robuſto quodam ac ſuaui eloquentiæ genere nobilem

miratæ exteræ regiones ingenti ſemper ſecuto animorum motu : ſed nuſquam ille aut contentione maiòre dixit, aut promptioribus animis auditus eſt, quàm in patriâ Belgicâ, vbi plurimos traxit. Bullionius incenſus deſiderio Terræ Sanctæ vindicandæ, ſe, & fratres, & ſua lætus impendit. Quò belli ſumptus ſuſtineret, poſſeſſiones diſtrahere pretio ſtatuit. Bullionum caſtrum Oberto Leodienſium Epiſcopo *a* vendidit auri ſelebris tribus, argentique puriſſimi mille & trecentis. Venditioni adiuncta conditio, vt Bullionum in perpetuum Epiſcopi Leodienſis eſſet, niſi ante præſtitutum tempus vel Godefredus ipſe pretium repræſentaret, vel trium, quos deſignabat, ſucceſſorum vnus. Qui illi tres, infrà dicetur. Balduino fratri Comitatum Virodunenſem addixit. Quem lætus ille Virodunenſi Epiſcopo vendidit, deinceps iure poſt veteres controuerſias poſſidendum, & acceptâ pecuniâ profectionem adornauit. Godefredum fratrem comitari ſtatuit per Germaniam ; Euſtachius verò per Italiam tendere, de rebus Guelfonis & Mathildis relaturus ad fratres. His & alijs ad bellum ſacrum properantibus non eſt prætermittendum, quod *b* vetus ſcriptor de cæleſti Imperatrice teſtatur. *Iſta*, inquit, *expeditio fuit Virginis Dei parentis, quæ pugnatores ſuos mirandum in modum duxit ac reduxit, quemadmodum obiectâ diuinitus ſpecie oſtenſum eſt.* Cæleſte illud viſum quodnam fuerit, non proditur ab eo auctore : nos id infrà, certè non vnum eiuſmodi proferemus.

a Æg. *Aureæ Vall.* b *In Faſcic. Temp.*

LABORUM HERCULIS CHRISTIANI

LIBER TERTIUS.

GODEFREDVM heroëm ad maiora rerum initia ducente Virgine, commodiſſimè acciderat, vt per id tempus Alexius Græcorum Auguſtus oratores ad opem ab Vrbano & Mathilde aduerſus Turcas flagitandam mitteret. Nempe ab his barbaris non iam è loco longinquo, ſed proximo, ac velut cominus armis petebatur. Impia gens non ſolùm Hieroſolymam, ac Terram ſanctam, ſed quidquid in Aſiâ Græcorum ditionis fuerat ad vſque Boſphorum Thracium, hoc eſt ad Conſtantinopolis vſque muros, in poteſtatem redegerant. Hinc ſollicitus Græcorum Auguſtus timebat, vt imploratum ſæpius à Latinis auxilium nunc ſaltem obtineret. Quare auidè cum totâ aulâ, quid renunciaretur ex Italiâ, expectabat. Et primùm periucunda Conſtantinopolim ad eum allata ſunt, proſperè accidiſſe, vt Pontifex Vrbanus eodem tempore ſollicitaretur ad bellum ſacrum

indicendum tum legatione ipſius, tum litteris Hieroſolymitani Patriarchæ, tum precibus Mathildis. Vrbanum ab hâc euocatum, cum eâdem Canuſio tetendiſſe Placentiam. Ibi celebratum maximo concurſu conuentum, atque in eo legationem Græcam imprimis auditam, Pontificemque ad opem Græcis ferendam ita hortatum multitudinem, vt multi etiam iureiurando militiam ſacram profeſſi ſint. Placentiâ digreſſum Vrbanum in Galliam ad concilium Claromonte indictum, ibi haud impari ſucceſſu rem acturum. Ita ad validiſſimam opem Orienti ferendam Occidentem comparari. Nec Conradi Regis, Mathildis Reginæ, aliorumque fortiſſimorum Principum animos, nec pecuniæ vim, nec equos terreſtri bello defuturos, nec nauali claſſes, quando è ditione Mathildis, quæ Tuſciæ Liguriæque domina ſit, Piſani ac Genuenſes multùm terrâ, plurimùm mari polleant. His primis nunciis exhilaratus Alexius, ſecundis deinde vehementer indoluit. Rurſus turbatam audiebat Italiam à Guelfone Mathildis coniuge, ſi coniux erat appellandus. Hunc Mathilde palàm deſertâ ad Henricum cum patre Duce & exercitu defeciſſe, & Giberti reſtituiſſe partes. Iam Italiam bello rurſus arſuram, remoramque expeditioni in Turcas iniectam. Nihilominus Nouembri menſe anni ſupra milleſimum nonageſimi quinti fama repentè vulgata eſt, copias innumerabiles toto Occidente confluere, & profectioni in Orientem accingi. Nec longæ auxilij moræ fuere, primum agmen ex Italiâ maximam par-

tem Longobardi ac Ligures haud dubio miſſu Conradi & Mathildis Conſtantinopolim aduehere. Lætus Alexius his iuſſit diſtrahi annonam, eo pretio, quo in vrbe vendebatur. Interrogati de ſecuturis, narrabant ſe nunc paucos ex Italiâ nondum pacatâ profectos; non procul abeſſe aliud agmen ex Gallis & Germanis: ſed nihil id eſſe ad innumerabilem multitudinem virorum, & mulierum armatarum, quæ diuiſa in maiora agmina ſub clariſſimis ducibus terrâ marique ſequeretur. Quæſijt Alexius an cum cæteris belli proceribus affuturus eſſet Buamundus notiſſimæ virtutis, & militaris ſcientiæ dux. Cumque reſpondiſſent non videri, teſtatus eſt id ſibi valde dolere vafer Græcus, cùm maximè gauderet. Quippe qui Buamundum illum veterem hoſtem vel maximè timeret. Sciſciratus eſt deinde cuinam Principum Latinorum ſumma imperij ac belli tanti delata eſſet; ſed non erat qui doceret. Singulorum maiorum agminum ductores famâ noti erant. Verum quis præeſſet vniuerſis, latebat. Inter hæc de incognito illo ſummo Duce mira quædam fama vulgauit. Inſolens illud atque inauditum percrebuit, *a* Auguſtum Carolum Magnum ab annis ferè trecentis vitâ functum reuixiſſe, armatum procedere, datumque diuinitus exercitui Latino ducem in barbaros ire. Quod cùm alij verum, alij vanum haberent, certè noſcendi eius, quiſquis erat, vulgo cupidinem auxit. Neque id ſine arcanâ veri ſpecie emanaſſe euentus oſtendit, vt vaticinij obſcuri

a *Vrſperg.*

quiddam habuiſſe videatur. Imprimis Græcus Auguſtus perſtudioſus erat ſciendi, quis præeſſet Latinis vniuerſis, haud ignarus quantum ſibi Græcoque Imperio vir tantus cum tantis copijs prodeſſe, quantùm, ſi vellet, nocere poſſet. Ergo ſtatuit cùm cæteros agminum ductores, tum maximè belli imperatorem ſibi modis omnibus deuincire, atque obnoxium facere. Hinc nomina eorum ſciſcitari: lætari quòd inter proceres venturos non nominaretur Buamundus: ſingulis pretioſa parare dona: ſummo Duci, quiſquis futurus erat, ornando ampliſſimum quoddam excogitare dignitatis genus, in promptu habere voluptates, quibus oblectari & capi poſſe videretur, circumſpicere in Auguſtæ gynæceo, quam ei, ſi in rem foret, ſponſam offerret. Ecce autem Calendis Auguſti ad Conſtantinopolim adſunt Germanorum peditum quinquaginta quatuor millia. Tantum agmen ducebat Anachoreta, de quo magna in aulam Alexij fama præceſſerat. Iuſſus exercitus caſtra procul à muris ponere: ductor euocatus ad Alexium cupientem alloqui hominem, atque æſtimare, an famæ reſponderet. Anachoreta intrepidè coram Auguſto ſtetit. Cultus corporis propior horrido, quàm nitenti munditijs. Promiſſam impexamque canitiem premebat galea plumarij apicis expers. Ceruicem cucullata cinxerat chlamys, quæ à collo circumfuſa loricæ, defluebat genuum tenus. Solitus agmini præire non pedeſter modò, ſed & pedibus nudis; niſi cùm aliud à ductore res poſceret. Habitus ac vitæ

ratio ſeueritatis antiquæ ſtudium præferebat. Pane nonniſi rarò, carnibus nunquam veſcebatur: piſce tantùm & modico vino vtens abſtinentiam habebat in delicijs. Siqua dona coactus acceperat, in militem egenum erogabat. Breuis homini ſtatura, nec venuſta facies, ſed acre & perelegans ingenium, ac molliſſima eloquentiæ vis. Sermonem à Chriſti nomine auſpicatus ſalutauit Auguſtum Alexium, dixitque ſcire ſe huic ſacræ in barbaros expeditioni & adeſſe Deum, & procerum Latinorum non defuturam virtutem. Vrbanum Romanum Pontificem magno ſucceſſu comitijs Placentiæ actis profectum in Galliam cum Piſano Archiepiſcopo Theoberto Claromontem veniſſe. Eam vrbem in Aruernis eſſe, locum accommodum tali concilio, nempe velut in confinio Italiæ, Hiſpaniæ, Galliæ, Germaniæque poſitum. Inde, inquit, bellicum Pontifex gentibus vniuerſis cecinit, quàm latè imperij Chriſtiani extenduntur fines. Longè celeberrimus conuentus fuit, ad quem innumeri mortales omnis ordinis confluxere ex omnibus terris Occidentis. Præſules a ad quadringentos adfuere. Multitudinem cùm nullum ædificium capere poſſet, prodijt Pontifex in ſpacioſum ſub dio locum. Ibi ex ſuggeſtu primùm recitari iuſſis Hieroſolymitani Patriarchæ litteris, tum me, quantum potui, deſertiſſimis verbis executo, quàm pudendam nomini Chriſtiano calamitatem meis oculis vidiſſem in Palæſtinâ, Vrbanus ſubiecit pro eâ, quâ valet

a *Robert. Monach.*

dicendi vi, orationem ad incendendos animos aptiſſimam. Sub hanc omnibus qui ſacrum bellum ſuſciperent bene precatus noxarum in Deum veniam plenam condonauit, dignum eâ militiâ ſtipendium. Eo hortatu, & ſanctitate cauſæ permota tot auditorum millia ſoluta in lacrymas. Inde vocem omnes vno ore ſuſtuliſſe crederes: ita pariter totâ concione conclamatum eſt Deum hoc velle. Viſa Pontifici vox felicis ominis, & non ſine numine edita. Qui erectis in cælum oculis, gratiiſque Deo actis, ſilentio indicto, macti animis, inquit, viri Chriſtiani. Quæ vox non temerè vobis excidit, eſto in gerendo bello teſſera, ſolemniſque pugnantibus clamor, DEVS HOC VVLT. Decreuit deinde, vt, qui ſacræ expeditioni nomina darent, rubram crucem geſtarent humero dextro aſſutam, vnde fluxit in eos cruce ſignatorum appellatio. Inclyta ibi virtus Anicienſis Epiſcopi Ademari fuit, qui primus ſpectantibus vniuerſis ad pedes Vrbani aduoluitur, rogatque vt ſibi crucem, atque arma induere pro religione liceat. Imitati mox incredibili ardore alij plurimi idem efflagitauere. Pontifex ampliſſimis verbis collaudatos voti compotes fecit. Percontanti deinde Alexio de ſummo belli illius Duce, atque de origine famæ illius, quâ ferebatur Carolus Magnus Imperator rediuiuus præire copijs Occidentis, in hunc maximè modum reſpondit Anachoreta: certè quidem, Auguſte, inquit, verum eſt illud, inter tot Occidentis proceres affuturum Carolum Magnum alterum, iuuenem ſtirpis regiæ, ex

vtroque parente nobiliſſimum Caroli Magni ſanguinem. Atque is vulgari opinione mortuus, & ſubito inſperatoque prodigio velut ab inferis reuocatus ad vitam tantus aduenit, vt in eo videatur ſpirare rediuiuus magnus ille progenitor. Adhæc Caroli Magni veſtigijs ipſis inſiſtens, cùm alij procerum aliam, ipſe viam capeſſit expeditioni Hieroſolymitanæ olim à Carolo Magno deſignatam. Profectus enim ex Galliâ Belgicâ ipſe Belga, quemadmodum Carolus, per Auſtriam atque Hungariam, cum ingentibus copijs mouet Conſtantinopolim. Cuius ego quondam moderator pueri, nunc præſtantiſſimi ducis miles, atque anteſignanus adſum. Tantæ indolis iuuenem, Auguſte, faciliùs, opinor, ex magnitudine rerum geſtarum, quàm ex nomine agnoueris. Ille eſt inclytus quondam Henrici Cæſaris Aquilifer. Interpellans Alexius, quid? inquit: illene eques inuictus, qui Rudolphum Regem aquilæ haſtili confecit? ille vrbis Romæ expugnator, qui veneno iſtic ſublatus ferebatur? Affirmauit Anachoreta Petrus illum ipſum eſſe Godefredum Bullionium, tunc Marchionem Antuerpiæ, nunc Lothariæ Proregem, ſeu Ducem. Eius deinde moribundi votum mirabile, & ſacræ expeditionis originem retulit. Tum ſociorum primores recenſuit, atque in his plures Regum fratres, Regiaſque Heroïdes. De belli imperatore quid reſponderit, antequam dicam, pauca mihi ſunt in eam rem exponenda: *a* Altero Concilij Claromon-

a Rob. Mon.

tani die deliberauit Pontifex, quem cum ſummo imperio multitudini ſacrorum militum pręficeret. Nondum vllus maiorum Principum aderat, vt teſtis oculatus ſcribit Robertus Monachus. Cæterum Vrbano noti illi erant, imprimis celebratiſſimus bello Dux Godefredus. *a* Auctorem quidem habeo, qui ſcribat Pontificem hortatum circumfuſos vt belli ſacri imperium deferrent illi virtute & ſcientiâ militari laudatiſſimo duci; eumque ibi electum, & habitum deinde imperatorem. Aſſentiuntur ſcriptores recentiores plerique. Verùm alij negant id niti vllo veterum teſtimonio: ex quibus colligere ſe aiunt nullum fuiſſe ſacri belli imperatorem, ſed ſingulorum agminum ductores. Certè quidem *b* Viterbienſis ſcribit Vrbanum Claromonte collectis centum millibus armatorum præfeciſſe Ducem Lothariæ Godefredum Bullionium, Comitem Sancti Ægidij Raymundum, Robertum Comitem Flandriæ, & Hugonem Philippi Francorum Regis fratrem; omnium autem curam Epiſcopo Anicienſi Ademaro commiſiſſe. Atque hunc antiſtitem exercitui toti præfuiſſe in rebus ſacris conſtat: verùm, quis in militaribus præfuerit, celebris controuerſia eſt, alijs docentibus Godefredum toto expeditionis tempore duxiſſe, alijs nullum. Vtroque auctores trahunt. Verùm cenſuerim mediam inter eas duas ineundam opinionem, cuius explicatio probatioque tempori referuetur. Cæterùm reſpondit Anachoreta Petrus Alexio, nondum toti exercitui præeſſe

a *Vuaſſeb.* b *Godef. Viterb.*

quemquam. Ipſimet Alexio ſummum belli imperium delatum iri, ſi ducere in Barbaros non grauetur. Addidit, ſoluto concilio Claromontano Chriſtianum orbem mox in belli ſacri apparatu totum fuiſſe: ſe reuerſum in Belgicam retuliſſe Godefredo Duci ſuo rem Claromonte feliciſſimè eueniſſe, recitaſſe nomina procerum ſacram militiam profeſſorum, cenſaque militum centum millia: ſed his innumeros haud dubiè acceſſuros. Mox Godefredum, Hugonem Regis Francorum fratrem, aliosque duces partim coràm, partim nuncijs vltro citroque miſſis gratulatos inuicem de ſocietate armorum, de profectionis tempore viâque contuliſſe. Et quia tantis copijs vno agmine iter facientibus ægrè commeatus ſuppeditari poterat, tum ne tantæ vires amicis Principibus, per quorum fines tranſeundum erat, iuſtum metum incuterent, non eodem itinere, nec tempore ire placuiſſe. Iuſſum ſe præcedere cum parte copiarum, & præmiſſo Gualtero nobili Franco cum equitatu, ſe octauo idus Martias anni MXCVI cum quadraginta peditum millibus ſecutum. Godefredum Ducem mox in viam ſe dediſſe, ſeptuaginta armatorum millibus præeuntem. Finem fecit dicendi Petrus, antequam Auguſtus Græcus faceret attendendi. Proregis Lothariæ præclaram indolem doteſque miratus eſt, ſed potentiam non minùs veritus tanti viri, taliumque ſociorum. Illud ei maximè placuit, neque ab Anachoreta nominatum inter venturos proceres Buamundum, nomen longè ſupra alia omnia celebre in Græciâ, &

formidatum.a Anachoretam benignè habitum, & donis ornatum remiſit ad caſtra. Poſtquam ibi quiete corpora recreata, iuſſit Petrum cum Germanis ſuis & Italis deportari trans Boſphorum in vicinum Bithiniæ littus; monitum vt ad portum Citiuenſem metarentur caſtra, nec vltrà progrederentur ante aduentum reliquorum agminum, ne in Turcas inciderent. Legatos deinde miſit cum magnis donis ad Proregem Godefredum, qui prætergreſſus Hungariam, ſaltus Bulgariæ ſubierat. Cæterùm Alexius in tantâ ſpe auxilij timebat auxilium ipſum. Hinc & Anachoretam cum milite amouerat ab vrbe trans fretum, & negotium dederat præfectis copiarum ſuarum, vt militem ſub ſignis haberent, atque in vrbe principe, ac finibus imperij excubarent. Adiecitque alia occulta monita, ne quid detrimenti res publica caperet. Haud multò pòſt Conſtantinopolim totam murmur primùm impleuit, deinde concurſatio ex ſtudio ſpectandæ nouæ rei, & id temporis neutiquam exſpectatæ. Captiui adducebantur iuuenes exteri, armorum ſplendore, & ſpecie corporum inſignes, nec relinquebant dubium, quin generis & gradus eſſent non vulgaris. Vbique plateas, quà tranſibant, ædium fores, & feneſtras occuparat populus; ex palatio quoque Cæſareo tum alij proſpectabant, tum ipſæ feminæ principes Auguſti coniux Irene, filia Anna Comnena, nurus Pyriſca Hungara. Aderat item Normannici generis Helena nuper Cæſareis nuptijs deſtinata, dein vario fortunæ ludo iactata. Quæ intenta in

a *Scriptores belli Sacri.*

captiuos non ſolùm admirationis ſigna, vt aliæ, ſed & magnæ commiſerationis edebat. Ora ſingulorum inſpicere attentiùs, non ſine lachrymis contemplari, & aliquem in ijs vel noſcitare vel quærere. Erat hæc ſoror clari illius bellatoris Buamundi, & in captiuis fratrem, quem requirebat oculis, timebat inuenire. Procedebant iuuenes vultu habituque ſpectabiles. Galeis, loricis, & reliquis armis inſtructi erant, niſi quòd erepta eis tela geſtabant circumfuſi ſatellites. Præibat captiuis, qui inter eos eminebat, iuuenis claritate natalium, & eximiâ corporis magnitudine adeptus Magni cognomen. Caſſidem auratam & humeros inumbrabat eleganter plumarius apex: ſcutum præferebatur auro cyanoque teſſellatum, *a* vetus Principum Viromanduorum inſigne. Armatus reliquus item auro ſplendebat, niſi quà obſcurabatur ſuperiectis vinculis. Stipabat lalatus adoleſcens, corpore, vt ætate inferior Magno, ſed non diſſimilis aut venuſtate oris aut magnificentiâ cultus. Ibant omnes intrepidi, & in vinculis velut liberi. Diceres non adduci, ſed adducere captiuos; niſi vultus indignationem animi proderet. Perducti in aulam Cæſaream venêre in conſpectum Alexij, cui adſtabant hinc filius Calo-Ioannes, inde gener Cæſar Briennius, quorum hic Annam Comnenam ille, Mathilde Proreginâ non obtentâ, Pyriſcam Hungariæ Regis filiam duxerat. Magnus, ſimul dignitate corporis, ſimul ſermonis conſtantiâ regium, quo natus erat, genus præ ſe tulit. Nudâ rei geſtæ nar-

a *Dipl. apud Carpent.*

ratione ſe ſociosque purgabat. Erat is Godefredi Proregis familiaris intimus Hugo Magnus, Regis Francorum Philippi frater, Viromanduorum & Valeſiorum Comes. Qui in primis ſacrum bellum profeſſis ingreſſus iter, ſuperatis Alpibus tranſcurrerat Italiam. Ei ſe in Apuliâ comitem iunxerat adoleſcens ille, quem dixi, egregius, Odonis Boni Machionis Itali filius, Guilielmus nomine, Buamundi bellatoris ſorore natus. Cum hoc adoleſcente & exiguo comitatu Hugo mare tranſmiſerat. Dyrrhachium appulſus inter lætos clamores ad inſolens ſpectaculum exciuerat oppidanos. Nautæ vectoribus ſuis & Dyrrhachienſibus blandientes, operamque ſuam commendantes, magnis identidem vocibus ingeminabant aduectos à ſe Græciæ vindices; idque ita eſſe perſuaſerant. Ea vrbs nuper capta à Normannis, tunc in ius poteſtatemque redierat Augusti Græci. Exſcenſionem fecerat Hugo ſubſtiturus tantiſper Dyrrhachij, præſtolaturuſque ſequentes copias, nihil hoſtile aut ſiniſtrum ratus verendum à Græcis, qui & Chriſtianam profitebantur religionem, & Latinos ad ferendam ſibi opem euocarant. Vrbis præfectus homo Græcus, præmonitus à nauarcho de vectoribus exteris, mox decurrit ad portum cum pręſidiarijs, populumque ſubmonuit, in mediam cohortem excepturus hoſpites. Ad quem eleganti veſtigio progreſſus Hugo cum ſocijs, quanto ſtudio ducar, inquit, nauandæ Auguſto veſtro militaris operæ, argumento erit hæc feſtinatio mea, qui ad nauigandum nec clemen-

tiorem anni tempeſtatem, nec alios expeditionis ſocios expectauerim, nequis mihi anteiret vel teſtificatione animi, vel belli auſpicio. Cui præfectus renidens, non commiſſurum ſe reſpondit, vt tantæ indolis ſpecimen Auguſtum diu lateret. Præmiſſurum ſe Conſtantinopolim nuncium, curaturumque vt ſecuturis ipſis periti viæ duces, fidique corporum cuſtodes ne deeſſent. Quibus auditis Magnus ſuo & comitum nomine grates agere, populus hilariùs circumſtrepere, exultare nautæ, cumulumque ſperare mercedis. At Græci præſidiarij mutauere ſubitò rerum faciem. Simul ac vafer præfectus ſignum, quod conuenerat, dedit, infeſti telis propiùs circumfunduntur hoſpitibus: quos præfectus iam vultuoſus cùm iuſſiſſet arma ponere, Hugo ſtupore & indignatione flagrans, quid, inquit, arma ponemus allata Auguſti veſtri auxilio? immò ſtringemus in eius perfidos ciues. Simul manum capulo admouet ſocijs exemplum imitatis. Micante gladio & edito clamore terribilis ferociſſimum Græcorum à fronte inuadentem immedicabili vulnere proſtrauerat, niſi alius à tergo inuolans correptum furentis gladium tenuiſſet. Pariter tota cohors vndique affuſa Magnum ac ſocios obruit numero. Comprehenſis pars arma intentare; pars vincula, quæ condita ſub veſte attulerant, fruſtra reluctantibus injicere; denique omnibus tela iam inutilia extorquere. Vulgus ſubitâ rerum conuerſione attonitum obmutuerat. Trepidi nautæ fugâ lembum repetiere, veriti, ne pro ſperato mercedis cumulo

multarentur pœnis, qui pro Græciæ auxiliatoribus hoſtes aduexiſſe ſe iam crederent. At Magnus conſcius ſibi ſinceræ fidei, atque interritus præfectum interrogauit, quæ ſigna hoſtilis animi notaſſet in ijs, quos tractaret pro hoſtibus? An ſe Francorum Regis fratrem, ac ſocios proceres noſſet? Noui, inquit præfectus, quem alloquar Principem, necnon quâ de causâ cum ſocijs adſit. At noui itidem officium meum, quo bene, an ſecùs fungar, Auguſti Alexij iudicium eſto. Reſponſi perplexitas auxerat iuuenum & ſtuporem & iram. Prouocauit ad Alexium Magnus, ſeque confeſtim Conſtantinopolim cum ſocijs mitti poſtulauit. Nec diu moratus præfectus miſit, ſed vinctos omnes, cinctoſque caterua ſatellitum. Hos intuens Guilielmus cum acerbo riſu dixit eſſe, quos modò perfidus Grecus promiſerat, fidos viæ duces, corporumque cuſtodes. De his omnibus iniurijs Hugo retulit Alexio, & viriliter queſtus eſt. Alexius Principem blandè ſolatus, culpam, quæcumque erat; coniecit in præfectum inurbanum. Cumque Hugonem bono animo eſſe, & optima quæque à ſe ſperare iuſſiſſet, tamen detineri cum ſocijs in ſpecioſâ cuſtodiâ iuſſit, mente occultatâ atque ambiguâ. Erat Alexius vafri & verſatilis in omnem partem ingenij, ſolitus temporibus & cuiuis occaſioni ſcenæque ſeruire. In eo politicæ diſciplinæ ſummam ponebat, vt conſilia modis omnibus occultaret. Hinc quaſi ſe ipſe ſuis artibus inuolutum expedire non poſſet, cunctator, ne falleretur, etiam quod valde vo-

lebat, agitabat tam circumſpectè, vt exiſtimaretur nolle. Optabat omnino ſibi opem in Turcas à Latinis ferri, ſed nullo ſuo periculo, minimoque incommodo. Sancti, honeſtique non tanta cura, quantum ſtudium imperij vtilitatibus conſulendi. Palàm humanitatem profitebatur verbis, an tamen rem ex eius normâ, an ſecus gereret, nihil admodum penſi habebat, dum imperio caueret, quod aſſu atque armis vſurparat. Hugonem Magnum vinciendi attinendique hæc ex abdito cauſa fuerat. Cognouerat eum in Apuliâ familiariter verſatum cum hoſte Græciæ Buamundo, atque etiam fouendæ inuicem neceſſitudinis ergò in comitatu Hugonis adeſſe ſororis Buamundi filium Guilielmum. Quin Buamundum ipſum, qui antè negabatur venturus, nunc accingere ſe itineri in Græciam, præ Turcis ipſis formidandum. Hinc magnis anxius curis excepit quidem cum blanditijs Hugonem, atque etiam Guillelmum, at proſpiciendum ſibi eorum captiuitate cenſuit, donec Godefredus Prorex alijque Latini proceres adeſſent, vt ſi pro amicis hi ſe gererent, clientelamque ſibi, & opem aduerſus hoſtes quoſcumque iurarent, Hugonem eorum gratiâ ſoluiſſe videretur; ſin minùs, in perpetuo carcere teneret. Nocte inter eiuſmodi cogitationes magnam partem vigilatâ manè induebatur, cùm ingreſſa eſt cubiculum virgo formâ inſigni, vultu inter lętum & triſtem medio. Captiua erat Helena Buamundi ſoror, ſed quæ cum quâdam libertatis ſpecie habebatur. Id *a* ei muneris erat impoſi-

a *Order.*

tum, vt matutinis horis adeſſet, Auguſtique manibus aquam affunderet, & barbam pectine comeret. Virginis conſpectu & alloquio delectabatur Alexius, vt erat deliciarum ſtudioſior. Quam vbi venientem vidit, exporrecto ipſe vultu, non dubito, inquit, quin gaudeas vnà mecum de aduentante Occidentis exercitu. In hoc videbis populares tuos ac propinquos. Iam ſororis tuæ filius adeſt Guilielmus cum Hugone Franco, aduentatque Belga Dux Godefredus. Quanta nomina! An aderit quoque ille ſummus bello frater tuus Buamundus? Cùm ea ſe neſcire reſpondiſſet, omnino aderit, excepit Alexius. Id mihi iuxtà tecum lætandum eſt, cùm eo nullus ſit famâ fortitudinis clarior, aut opportunior Turcis profligandis. Videbis & alios qui placeant, nec deerit in his fortè aliquis, quem conciliante me ſponſum accipias. Godefredum imprimis extolli laudibus audio, perinde vt fratrem tuum. Ibis nunc ad hoſpites, & Hugonem Magnum ac Guilielmum à me ſalutabis. Non iniucunda Helenæ fuit oratio de aduentantibus proceribus, nec de ſponſo, quæ meminerat Godefredi aliquando ſibi in maritum deſtinati. Eas quoque nuptias probaturus erat Alexius, ſi modo ſibi per eas conciliare Godefredum poſſet & Buamundum. Interim timorem ſuum, & detenti Hugonis culpam beneuolentiæ ſimulationibus pergebat occulere. Non latuit facinus infidi Græci Proregem Godefredum, qui Philippopolim peruenerat. Ab eo mox oratores Conſtantinopolim miſſi. Primùm gratias

Proregis verbis egere Auguſto de miſſis ad ipſum egregijs donis. Deinde queſti Hugonem Regij generis iuuenem, & Proregis amicum ſingularem, vinctum à Dirrhachienſi præfecto, nunc ab Alexio ipſo captivum teneri, tanquam homicidij, aut latrocinij reum. Ad extremum orarunt vt eum ſociosque libertati reſtitueret, alioquin amicitiam cum Græcis non poſſe ſeruari. Hugonem, ſi iure fœderis recipi non poſſet, armis repetitum iri. Ad quæ Alexius cùm multa blandè, ſed perplexè pollicitus eſſet, nec tamen dimiſiſſet captiuos, Godefredus iuſtâ irâ motus, bellum, inquit, Alexius, quando pacem pati non poteſt, inueniet; nec impunè iniuriam nomini Latino, & amico Principi fecerit. Mox agrum circà euaſtandum militi permittit, magniſque itineribus infeſtus cum copijs Conſtantinopolim contendit. Nec diu hi motus ignorati Buamundo. Qui vbi comperit Hugonis captiuitatem, & Godefredi feſtinationem ad eum liberandum, vtraque res ei doluit. Non quin maximè cuperet confeſtim liberari Hugonem, ſed optaſſet id per ſeipſum fieri, minimè autem per Belgam Proregem, cui ſe ferebat riualem gloriæ & amorum. Locus admonuit, vt Buamundi genus, & indolem memorabilem exponam, cauſaſque certaminum, quæ ei cum Alexio primùm fuere, deinde cum Godefredo. *a*

Marcus Buamundus in Normannis loco nobili, ſed fortunâ humili natus, excelſis planè ſpiritibus ſortem natalium vicit. Patrem habuit &

a PRIMORDIA *Buamundi & Conſtantiæ.*

eundem ad magna ducem Robertum Guiſcardum, ab re familiari minimè inſtructum, nempe *a* ſecundarium in Normanniâ clientem, ſed vaſti animi virum. Normannorum nomen iam dudum Europæ cladibus nobile tantò nobilius per id tempus à Guiſcardo, filioque Buamundo redditum eſt. Ea gens in plagis Septentrionalibus (quod nomen ipſum declarat) origines habuit. Inde profecta Rhollone duce varijs tentatis littoribus, demum in Neuſtriâ littorali Galliæ regione conſtitit, quam de ſuo nomine Normanniam dixit. In hac *b* oppidum Conſtantia Caſtra quondam appellatum, in cuius agro municipium Altauillam tenuit Tancredus duodecim filiorum parens. Quorum vnus Robertus Guiſcardus reliquos, tametſi bellis Italicis claros, rerum geſtarum famâ longè ſuperauit. Is moleſtè ferens rem domi anguſtam, & nihil admodum expectans ex hereditate diuidendâ in capita duodecim, maius quoddam auſus eſt atque aggreſſus, quàm maiores ac Normanni omnes præſtitiſſent. Natali ſolo, incertum an pulſus, an graſſante fame exactus, in exteras regiones euagatur, vnde Guiſcardus cognomento dictus, quod erronem, aut (vt alij volunt) callidum ſonat. Socij omnino vndecim, quorum princeps filius Buamundus. Pòſt paulò ſecutus Rogerius Guiſcardi iunior frater, & ipſe audaciâ, conſilio, manuque promptus. At Buamundus, licet pueritiam vix dum egreſſus, longè ſupra ætatem & fortunam animum geſſit,

a *Friſing.* b *Gauf. Malater.*

gloriæ & potentiæ cupiditate, nec patri, nec patruo Rogerio, hoc eſt nulli ſecundus, callidi-tate autem facilè præceſſurus omnes mortales. Stimulos ſubdidit ipſa Buamundi appellatio. a Marcus, dum baptiſmate initiaretur, dictus fuerat: verùm pater, fortè auditâ ſuper menſam heroïcâ fabulâ de gigante Buamundo, idem puero nomen impoſuit, vt ad heroïca, & maxima quæque accenderet. Quibus patrandis dum Buamundus inclareſcit, id nominis ante in Occidente incognitùm alijs quoque indi, & toto orbe celebrari cœpit. Normanniâ egreſſi pedites, mox ſibi equos, & pecuniam, & magnas opes comparauere. In Italiâ vltimâ conſedêre, nacti occaſionem turbidarum eo tractu rerum. Indigenarum procerum diſſidia ſuam occaſionem rati, alijs contra alios iuuandis promouere ipſi rem ſuam. Prædones vndique contrahere, horum, & populariurn ſuorum agmen ducere, agros & caſtella crebris fatigare excurſionibus, virtute doloque vincere. Inde auctis viribus vrbes opulentas obſidere, atque ad deditionem compellere. Campaniam, Apuliam, Calabriam cùm victorijs prædationibuſque luſtraſſent, progreſſi in Siciliam, inde Saracenos domitos expulere. Haud alijs magis obſecundauit fortuna, quæ non pugnantes modò, ſed & ceſſantes ditauit. Mirificus caſus interuenit, felicitatis iuxtà teſtis & ſponſor. In Apuliæ agro b ſtatua erat marmorea, cuius caput cingebat circulus æreus his verbis circumſcriptus, CALENDIS MAII HABEBO CA-

a *Order.* b *Mart. Polon, Pandulph.*

PVT AVREVM. Erat Guiſcardo inter captiuos Saracenus ſolertis ingenij, & magicæ artis peritus. Intelligere ſe arbitratus homo quid arcanum programma ſignificaret, lætus, & in ſpem libertatis adductus, calendis Maij ſole oriente ac ſtatuam colluſtrante, terminum vmbræ notat. Inde obtentâ à Guiſcardo poteſtate illic fodiendi, immenſum reperit theſaurum, quem pretium libertatis pependit. Sed auſpicato illo circulo adumbrari, & portendi viſa eſt Normannis ſors amplior, quæ auro non ſolùm impleret manus, ſed & cingeret caput, theſauriſque coronas adjiceret. Iam Guiſcardus Dux Calabriæ & Apuliæ renuntiatus, ſecundâ vxore ductâ Sichelquadâ Salernitani Principis Guaimarij filiâ, potiebatur etiam Salerni Principatu; Siciliâ, quam communibus armis ſubegerant, Rogerio fratri relictâ. At Buamundus filius ex Alberadâ Normannâ natus, altiùs ſpes & coniugij & dominationis extulerat. Ardebat gloriæ potentiæque auaritiâ incredibili, & tanquam patri & patruo vel ceſſiſſe, vel parem eſſe dignitate probrum duceret, admiranda atque immoderata prenſabat. Circumſpiciens, quam peteret coniugem formâ, genere, & opibus florentem, non inferiorem Cæſareâ aut Regiâ virgine deſtinauit animo. Hæſit primùm in eâ, quâ nulla tunc clarior erat, Proreginâ Mathilde. Ea ſe non ſolùm eminus præclarorum operum famâ mirandam Buamundo præbuerat, ſed & coràm eximiâ indole, formâque ſpectandam. Cum Capua Romani iuris vrbs Norman-

Normannicis armis occupata eſſet, adfuit contrà validus ab Româ exercitus *a* duce Mathilde. Quam Capuæ expectare non auſus victor Richardus, ad tutiora ſe non procul Aquino recepit. Eò ſecuta eſt Mathildis. Richardo venere auxilio gentiles Guiſcardus & Buamundus. Pugnatum non ſemel, nec non fortiter ab Amazone, viſumque eſt Normannis cum eâ de pace conſultandum. In colloquio ſpectata atque audita virgo miraculo ſuit, tanquam virilis animus in corpore non ſuo habitans cerneretur. Concluſa pax, ſed quâ ſe excluſum ſenſit Buamundus hauſto Mathildis amore inquietus, ac ſecum ipſe pugnans. Perexigua fuit iuueni ſpes obtinendæ virginis, cùm Gibbero Proregi iam deſponſam audijt: nulla deinde, cum ei nuptam: at Gibbero paulò pòſt mortuo ſpes reuixit. Proreginam vt ſibi rerum geſtarum magnitudine, & partâ opulentiâ demereretur, nihil inferius Conſtantinopolitano imperio ambire, atque agitare animo cœpit. Hæc, quam ſubjiciam, vaſti illius conſilij fuit occaſio. Fama Guiſcardi & Normanni nominis non ſine creſcentis potentiæ metu peruaſerat Conſtantinopolim. Græcis tunc Auguſtus erat Michaël Ducas, litterarum amantior, quàm armorum. Is cum Guiſcardo non ſolùm fœdere iungi expetijt, ſed etiam filio ſuo Conſtantino puero deſponderi Guiſcardi filiam. Migrat Conſtantinopolim puella, Helenæque nomen accipit. At nouam ſponſam hîc excepit ſubita, nec vna rerum conuerſio. Ducam imperio exuit Nice-

a *Oſtien. Pandulph.*

phorus Botoniates, includitque cœnobio. Helena cuſtodiæ tradita, ſponſaliaque eius cum Cæſareo puero diſſoluta. Pater Guiſcardus miſſo ad Nicephorum oratore conqueritur de vtrâque irrogatâ filiæ iniuriâ: Alexium vero *a* tunc priuatum prætoremque Cæſarei exercitus conciliare ſibi miſſis muneribus conatur, atque allicere ad arma vnà ſecum inferenda Nicephoro. Verùm Alexius domo Comnenus, vir genere, vafritie, manu, & copijs potens, rerumque antè bello geſtarum ſucceſſu ferox, ſibi ipſi ſtuduit, & Nicephoro capto vſurpauit Imperium. Conſcius tamen malè quærendi principatus exemplum à ſe contra ſeipſum capi poſſe, vt hominum animos adiungeret ſibi, lenitatem, clementiamque præ ſe tulit. Helenam eduxit cuſtodiâ, ſpecieque libertatis donauit, retentam tamen in Auguſtæ gynçceo. Inter hæc venit in Italiam ad Guiſcardum ſenex ignotâ facie. Aſſeuerat *b* ſe Michaëlem Ducem Grçciæ Auguſtum eſſe, cœnobio, quo incluſus fuerat, elapſum: Guiſcardi & Buamundi opem implorat in tyrannum Alexium, à quo ſit ſolio pulſus hoc ſolo crimine obiecto, quòd filiam Normanni nuptui accepiſſet filio ſuo, pariturain ex genere externo dominaturos Græcis. Increuit vtrique Normanno animus datâ occaſione aggrediendi maiora, iniectaque ſpes eſt imperij, quod alij per ignauiam amiſerant, ſibi per induſtriam ac virtutem parandi. Inſtructâ claſſe in Græciam trajiciunt, & Dyrrhachium maritimam & munitiſſimam vrbem

a *Anna Comnen.* b *Gauſr. Malat.*

obſident. Ibi bellum auſpicatur Buamundus inſigni virtutis opere. Forte *a* cum quinquaginta militibus pabulatum ierat. Occurrit quingentis Græcis armatis, qui præibant exercitui Alexij ad Dyrrachienſium opem aduentantis. Simul inuicem aſpexere, arma corripiunt. Buamundi, tantò licet imparis numero, non ſuſtinuere impetum Græci, tergaque vertentes multas amisêre manubias. Quarum caput crux ærea fuit, *b* quam olim Conſtantinus Imperator contra Maxentium pugnaturus, ad exemplum viſi in cœlo ſigni fabricandam curarat. Id victoriarum omen tantâ filij virtute partum, Guiſcardo quàm lætum fuit, tam triſte Græcis, qui crucem amiſſam quantiuis redimere, ſed fruſtrà, laborarunt. Inde feroces auſpicijs Normanni congreſſum acie Alexium fundunt fugantque. Potitus caſtris Guiſcardus, vir tum factis magnificus, tum factorum oſtentator non minor, victi Alexij tabernaculum cum filio ſubit omni opulentiâ luxuque inſtructum. Ibi Cæſaris victores Cæſareis propemodum honoribus coluntur. Tunc, *c* & ſæpe aliàs, pater Buamundo Græciæ imperium, quod mox ſubacturi eſſent, conceſſurum pollicetur, ſibi vero Perſidis regnum deſtinat. Auaritia gloriæ, & inſatiabilis cupido famæ, nihil inuium, nihil remotum videri ſinebat. Cæterùm impelli ſe religionis ſtudio ad occupandam Perſidem addebat, vt Turcis inde expulſis aperiret viam Hieroſolymæ liberandæ. Sed alibi nobili illâ voluntate vſum eſt Numen. Inci-

a *Order.* b *Idem Order.* c *Gauf. Mal. Ptol. Luc.*

dit *a* occaſio facinoris longè præcedentibus clarioris, & ab ipſis barbaris prædicati. Cùm Dyrrhachium, vrbem tanti momenti ad reliquum bellum, ita premeret, vt nullis Græciæ viribus liberari poſſet, repentinis legationibus in Italiam reuocatur. Tempore magis alieno non poterat. Nunciabatur obſideri Romæ Gregorium Pontificem à Cæſare Henrico. Quorum vterque miſſis oratoribus Guiſcardum ſollicitabat, & ad partes ſuas conabatur allicere. Henricus Normannum inuitabat ad feriendum ſecum fœdus oblatâ affinitate Cæſareâ, petebatque vt alteram filiarum collocaret filio ſuo heredique Conrado, alteram Aquilifero Belgæ Godefredo, iuueni laudum omni genere cumulato: offerebat quoque amplam in Italiâ futuro ſocero Marchionis ditionem. Contrà Pontifex Guiſcardo ob oculos ponebat Chriſtiani Principis officium; nomen, quod nuper profeſſus eſſet, Clientis Eccleſiæ; decus ob eius tutelam obuenturum; notam denique incurrendam, ſi Mathildi propugnanti Eccleſiam iungi & particeps gloriæ vir tantus eſſe abnueret. Hæſere Normanni duo Principes ambigui, non vtri parti fauerent (protinus enim ſtuduere Pontifici) ſed an interim expugnationem Dyrrhachij, quæ nullam habebat dubitationem; ſimulque bellum Græcum, tantum illud, tantique ſumptus & ſpei, damno irreparabili omitterent, vt Eccleſiæ ſuccurrerent. Ad extremum decreuere rem maximè arduam, ſimul Romæ pro Pontifice arma capere,

a *Suger.*

ſimul Dyrrhachij obſidionem non ſoluere, hoc eſt eodem tempore aduerſus duos Cæſares, Latinum, & Græcum gerere bellum. Agitatum deinde vter, pater, an filius duceret in Henricum. Peroptabat Buamundus eam prouinciam vel ideo, vt præſentiori operâ Mathildem demereretur, & in oculis eius vires componeret cum hoſte Godefredo, celebrato illo famâ virtutis Aquilifero. Verùm obſtitit votis nouerca Sichelguada, vafra, ferox, & militaris ingenij femina, quæ virum bello comitabatur. De cuius artibus clandeſtiniſque cum Alexio conſilijs pòſt videbitur. Suſceperat ex hac Guiſcardus filium Rogerium, cognominaratque Crumenam, quòd delectari nummulis puerum aduerterat. Suaſit viro nouerca, vt cum Rogerio filio Romam peteret ipſe, relicto in caſtris ad Dyrrhachium Buamundo. Nempe ſiquid Romæ decoris aut commodi ſperabatur, id cupiebat Sichelguada obuenire filio; priuigno autem, quidquid timendum erat ad Dyrrhachium à Græcis, abſente Guiſcardo. Qui commiſſâ fortiſſimo iuueni obſidionis Græcique belli curâ, mare remenſus cum vxore & Rogerio mouit in Henricum. Senex magnanimus prætermittere noluit occaſionem in duos Auguſtos, Latinum, & Græcum, eodem tempore bellandi, ab eius maximè facti inſolentiâ appellandus in epitaphio Terror orbis. Ibat Romam lætus obtigiſſe parem animo ſuo hoſtem Aquiliferum Godefredum. Properabat experimentum ſumere, an is, de quo tam præclara prædicabantur, Marchio Belga, famæ

ſimilis eſſet, & ſe ſocero dignus aliquando futurus gener. Cùm appropinquaret Romæ, expectabat vt Aquilifer ſpecimine aliquo bellicam vel ſcientiam, vel virtutem probaret venienti. Verùm præmiſſis exploratoribus reſcijt Normannus Henricum Cæſarem cognito aduentu ſuo, omiſsâ caſtri Romani obſidione ſubitò receſſiſſe. Gauiſus quidem Guiſcardus, & gloriatus à ſe Latinum Cæſarem auerſum in fugam. Miratus eſt tamen vndenam tàm parum animi fuiſſet inclyto eius Aquilifero, vt & ipſe fugeret hoſte nondum viſo At cognouit deinde iuuenem, ſine quo Henricus nihil rei magnæ gerere poterat, periculosè tunc ex veneno hauſto laborare. Ipſe iunctus auxilijs Mathildanis progreditur Romam. Ibi Romanorum quidam Gibertinarum partium obſidioneGregorium in arce clauſum premebant. Portâ perruptâ Guiſcardus intrat, Pontificemque liberat. At Gibertini reſumptis animis ſubitò liberatorem inuadunt, Crumenâ filio, quòd nihil iam metuendum putarat, rus cum equitibus digreſſo. Audito patris periculo, reuolat magnanimus adoleſcens, & patri fortiter arma iungit. Sed nullo virtutis opere ſatis expediebant ſeſe, donec Guiſcardus ferro ignem iunxit, iniecto vicinis tectis incendio, quo fugati hoſtes, & vrbis magna pars hauſta eſt. Pontifex magnis honoribus à Guiſcardo cultus, & nequid Romæ in poſterum pateretur, ductus Salernum, vbi pòſt paulò Buamundum Græcorum victorem, ſed moribundum vidit. Perquam variâ fortunâ vſus erat Buamundus à diſceſſu patris.

Primùm minimè iucundum iuueni acciderat, quòd ad Dyrrhachium relictus nauare operam Romæ Pontifici Mathildique coràm non poſſet. Mox eum Græcus Auguſtus, vbi relictum in caſtris cum paucis cognouit, fiduciâ victoriæ improuisò aggreſſus eſt. Buamundus dum inter primos fortiſſimè dimicat, graue vulnus accepit. Milites & ducis vulnere, & hoſtium multitudine territi, fugam ſpectabant. Ille in re trepidâ imperterritus, inuocato Numine vultum exporrigit, inclamatque militibus, macti animis eſſent, vocem à ſe diuinitus auditam, quâ & fortiter pugnare, & bene ſperare iuberentur. Ita ſiue cæleſti hortatu, ſiue aſtu ducis confirmati fudere Alexium. Interim Guiſcardus & ipſe victor cum Rogerio filio & vxore Sichelguadâ repetebat claſſe Dyrrhachium. Veneti *a* Dominico Syluio Duce, multis nauibus aduecti obſtare conantur. At Guiſcardus partim ſuâ virtute, partim filij Buamundi, qui iuſtructâ acie patri pugnanti ad littus aſſiſtebat, ſuperior fuit. Magnam cepit animo voluptatem, cùm intellexit Buamundum rurſus collatis cum Alexio ſignis viciſſe: ſed magnopere doluit vulneratum eſſe. Contrà nouercæ attulit Buamundi gloria dolorem, vultus lætitiam, licet vultu alia omnia ſimularet. Pater mox iuuenem Salernum miſit, peritiſſimorum medicorum operâ curandum; Pontificis quoque Gregorij, qui iſtic ſubſtiterat, pijs ſolatijs recreandum. Ipſe Dyrrhachium oppugnare pergit. Cumque *b* oppidani fiduciâ murorum

a *Pandulph.* b *Malmeſb.*

iactarent vrbem ſuam Duraſſum vulgò vocari, quòd contra obſidiones omnes inuicta duraret, & ego, inquit Guiſcardus, Durandus vocor, & tamdiu in hac obſidione durabo, quoad vrbi nomen ademero. Normanni reſponſo & conſtantiâ territi Dyrrhachienſes deditionem fecere. Guiſcardus iam tutus à tergo cæteras vrbes Græciæ Theſſalonicam vſque leuiore negotio ſubegit. Ita victricibus armis Buamundo filio Grçciæ diadema quærebat, dum vtrique eorum parabatur veneno pernicies. Oderat Sichelguada priuignum Buamundum Rogerij filij causâ. Nempe metuebat ne per illum ætate ac robore valentiorem priuaretur Apuliæ & Calabriæ Principatu Rogerius, cui debebatur iure materno. Mulier audax, vaſra, quæque non tantùm arma tractare, ſed & venena miſcere noſſet, nondum erat ab hac arte nota Guiſcardo. Odio priuigni Buamundi flagrans, vt ars caſum ſimularet, potionem lethiferam conficit, & Buamundo propinandam mittit Salernum ad archiatrum ſuum. Qui dicto audiens, ægro iuueni, quem curandum ſuſceperat, mortiferum poculum præbet. Ita *a* plerique ſcriptorum tradunt; at nemo Rogerium filium matri participem, aut conſcium facinoris facit. Buamundus certam peſtem, licet lentam ſentiens, quo in diſcrimine verſetur, patri mox nunciat. Callidus Normannus vxoris ingenium, licet nondum pernoſſet, ſuſpectum habebat. Quam ad ſe vocatam, viuatne Buamundus, interrogat. Hac reſpon-

a *Order. Malmeſb.*

dente, id clam ſe eſſe, iuſſit pater afferri ſacrum Euangeliorum codicem, & gladium. Quem diſtrictum tenens voce efferatâ, audis, inquit, Sichelquada: per hæc ſacra monumenta iuro, ſi Buamundus veneno, quo potus eſt, occiderit, te hoc ferro caſuram. Conterrita coniux deteſtari, & abominari tantum nefas, pernegare ſe vllius culpæ affinem aut conſciam. Cæterùm apud ſe deinde multa voluens animo, licet viro priuignoque infeſta, tamen è veſtigio Salernum clanculum miſit antidotum medico facinoris participi, admonitumque periculi ſui iuſſit mederi Buamundo. Ille nouam potionem ægro prębendam diluit, ſed danda imprimis opera erat, vt eius leuaret animum; cuius plerumque ægritudines difficiliùs curantur quàm corporis. Peracerbum id iuueni acciderat; quòd Pontificis miniſtris interrogatis de Mathildis rebus, audierat Amazonem animum ad cælibem vitam obfirmaſſe, nunquam emolliendum. Nec verò, ſi forte emolliretur, vllius vnquam amore tangendum videri, niſi Godefredi, licet hoſtis. Ita deſperandum ſibi denique ſenſerat de Mathildis nuptijs, & grauius id vulnus fuerat, quàm quod in acie nuper acceperat. At commodùm per id tempus aduenere è Galliâ milites, qui eius patriſque ſigna ſequerentur. Cognouerat ex his Philippo Franciæ Regi filiam eſſe Conſtantiam, quæ licet ætate tenerrima, præſtantem indolem & miraculum formæ promitteret, ac iam præ ſe ferret. Quibus auditis mox Regiæ puellæ ſpecies Buamundi mentem impleuerat, à quâ

licet tanto locorum, ætatis, ac generis interuallo diſtaret, ſponſam ſperare auſus eſt, iuuenis animo maximus, qui ipsâ rerum altitudine ac difficultate, quâ deterrentur alij, traheretur. Medicus his intellectis bene ſperare de ægro cœpit, & vnà cum medicamentis gratos ſermones adhibere. Dum fomentis corpus, animum recreat victorijs paternis, & ſpe potiundi non solùm Græciæ imperio, ſed & ſponſalibus Regię virginis Conſtantiæ. Adhibebat & ſua ſolatia caro iuueni Gregorius. Nec deeſt *a* qui ſcribat hunc Pontificem pollicitum, ſe oratorem in Galliam, qui ei ſponſam Conſtantiam peteret, miſſurum, & verò miſiſſe Buamundo comitante: ſed hic non niſi pòſt, vbi per valetudinem nouaque fortunæ ludibria fas fuit, profectus. Diffuſo in venas medicamento breui ſalubritatis indicia percipi potuere. Conualeſcens ſenſim iam cogitabat reditum ad caſtra patris, vt non ſolùm paternis armis, ſed & ſuis partum Græcorum imperium gloriari poſſet in ambiendâ Conſtantiâ. At peregrina regna moliens ſubitò domeſticâ fortunâ dejicitur. *b* Accurrit Salernum trepidus miles noctu, placideque dormientem Buamundum, ſæpius nominatum, cùm voce non poſſet, tactu excitat. Miranti, adhibe, inquit, fidem perfido mihi, qui dominæ arcana prodo, vt te ſeruem. *c* Nouerca inſidiatur tibi: in vltimo fortunæ tuæ & vitæ verſaris: Sichelguadæ ſcelere perijt iam pater tuus: periiſti tu quoque, niſi iam iam te hinc

a *Io. Bouchet.* *b* *Orderic.* *c* *Idem.*

ejicis. Raptim deinde narrauit, nouercam poſtquam Buamundo remedium aduerſus propinatum à ſe toxicum miſerat, metu ſtimulante perpendiſſe, ſi ipſe ante aduentum nuncij ſui & hauſtum antidotum moreretur, ſe iuratum à Guiſcardo fatum non euaſuram. Ergo de anteuertendo, perdendoque marito deliberaſſe. Ad id partim metu eius impulſam, partim *a* donis promiſſiſque Alexij, qui ei etiam coniugium Cæſareum pactus eſſet, ſi virum ſuſtuliſſet de medio. Denique truculentam feminam toxico Guiſcardum interfeciſſe, virum eximium, Pontificiæ ditionis ac maieſtatis defenſorem, domitoremque Cæſarum. Tanto ſcelere perpetrato in caſtris Normannorum de ſuâ ſalute anxiam noctu cum fidiſſimis ſuorum fugiſſe ad portum, nauiumque optimam ſubjiſſe, incenſis reliquis, vt ne ipſam perſequi Normanni vltores poſſent. Cùm illa littus Apuliæ attigiſſet Buamundo tollendo imminens, miſertum ſe (addebat miles) fortiſſimi iuuenis præcucurriſſe Salernum, nuncium funeſtum, ſed ipſi ſalutarem, ſi nouercam non expectet. Buamundus narratione attonitus, ingentem edidit gemitum, & quamquam in rebus trepidis ac ſubitis, præſertim in quibus perfidia timetur, conſilia ſæpe deſunt, tamen, vt erat animo excelſo ac ſolerti, nihil cunctandum cenſuit. Licet ex veneni hauſtu pallidus, & nondum perſanatus, morâ nulla interpoſitâ clàm vrbe aufugit, inops rerum omnium & aſino vehens. Huc alti illi ſpiritus, ſpeſque

a Order. Malm. Guib. Abb. Gauf. Voſien.

imminentis Cæſareæ coronæ & coniugij regij, ſubito fortunæ ludo, reciderant. Hinc frendens fremenſque inter viam cogitabat, reuolutum ſe retro ad ſtirpem, & Normanniæ domeſticam inopiam. Sibi, qui modò propè à Conſtantinopolitano ſolio abſuerit, nihil nunc reſtare, quo emineat, præter viliſſimum pecus. Iam de Conſtantiæ ſponſalibus deſperandum niſi ex tanto lapſu confeſtim reſurgat. Adhæc pudebat Normannum, quòd mulieris aſtu pater oppreſſus, ipſe fugatus eſſet. Quin & veneficam obtigiſſe hoſtem, quam vlciſci armis pudeat. At eſſe illi filium Crumenam, eſſe amaſium Alexium, quos perdat, & cum illis Sichelguadam. Vicit ergo nos, inquiebat, Græcus toties victus? Sed vicit, quibus decebat armis, feminæ veneficio. Illud quoque ſolatio erit, quòd Græcus Tyrannus qui domum noſtram, quando aliter non poterat, femineo ſcelere obruit, peſtem illam ac furiam domo toroque recipiet. Nec diu hac deformitate fugæ meæ exultabunt, ſeque efferent. Vt mihi alia omnia iam deſint, non deeſt animus, quo fortunam fingam ac reſtituam, in nullam ſortem bonorum natus, niſi quam virtute fecero. Hæc animo agitans confugit Capuam exulis modo, & gentilium auxilia flagitat. Lentæ res erant, pleriſque, etiam popularium, ſpernentibus eum inopem, & deſtitutum iam auctoritate Gregorij Pontificis, qui nuper rebus humanis exceſſerat. Nouerca interim ingreſſa Salernum Buamundo elapſo vehementer indoluit. Cæterùm Rogerius filius

Apuliam, ac reliquam auitam ditionem recepit, ope patrui Rogerij Siciliæ Comitis. Qui licet ſollicitatus a Buamundo crimina nouercæ exaggerante, primùm non facilè ſibi perſuaderi paſſus eſt, deinde vel nulla putauit, vel condonauit matri; vt diſſimulatione culpæ, quæcumque erat, domeſticam tranquillitatem famamque redimeret. Indignatus Buamundus ſibi nec fidem haberi, nec quidquam relinqui paterni imperij, collecto, quanto potuit, exercitu mouet, & Oriam vrbem de fratre occupat. Commiſſum inde *a* prælium, acre magis, quàm cruentum. In ipſo pugnæ ardore cùm frater fratri inſtaret, primores ambarum partium, qui ſub Guiſcardo ſtipendia meruerant, clariſſimi parentis veneratione, & caritate filiorum, in id incubuere precibus atque interpoſitu corporum, vt ne manus fraterno ſanguine polluerent. Pax eâ conditione tunc impetrata, vt Rogerius Ducis Apuliæ titulum obtineret, Buamundus Tarento, & alijs quibuſdam locis frueretur. Qui tametſi his minimè contentus, acquieuit tamen in præſens, amoribus auocatus ab armis. Dediſſe ſe fortuna videbatur adeundæ & coram ambiendæ Conſtantiæ. Patruus Rogerius celebratiſſimus Siciliæ Princeps ex inopi, & ſecundario in Normanniâ cliente, eò iam euaſerat, vt potentiâ parem ſe Regibus ferret, opulentiâ ſuperiorem. Hinc, vt affinitates cum ſummis Principum iungeret, rogabatur ſæpiùs, quàm rogaret. Per id tempus Francorum *b* Rex

a *Pandulph.* b *Gauf. Malat. Cheſneus.*

Philippus miſſis oratoribus petijt, vt ſibi filiam Emmam nuptui daret, formâ, & ſpe gazæ dotalis inſignem. Conceſſit Rogerius, & nauibus apparatis præſtituto tempore virginem cum ſplendido comitatu, magniſque theſauris tranſmiſit maritimo itinere vſque ad S. Ægidij oram, quo Rex obuiam ſe ſponſæ venturum ſignificarat. Sperabat Rogerius fore, vt Sanctægidianus Comes Raymundus pro veteri ſecum neceſſitudine, & nuperâ affinitate Regi ſponſam cum pompâ conſignaret. Nam & Raymundo aliam Rogerius filiam in matrimonium collocarat. Nunc, ne quid ſplendoris deeſſet Regijs nuptijs, ſummo ſtudio prouiderat. Præter dotalem gazam mundumque muliebrem adiunxerat filiæ proceres Normannos, qui non tantùm ſplendore cultus, & vrbanitate certarent cum Francis in aulâ nuptiali, ſed etiam cum ijſdem in equeſtribus ludis de virium & dexteritatis laude contenderent. Ad eam rem non alius iuuentus vel aptior, vel propenſior Buamundo. Ibat is magnis animis, nec ſpe minori tum ſatisfaciendi patrui votis, tum potiundi ſuis. Opportunitas harum nuptiarum inflabat fiduciam obtinendæ à Philippo Rege Conſtantiæ. Cogitabat ſe procum adeſſe ſimul patrui opibus, ſimul Reginæ nouæ conſanguinitate, atque auctoritate fretum; nec verò ſuis ornamentis deſtitutum, quando Buamundi nomen afferebat, quo nullum eſſet partâ bello gloriâ notius. Verùm id occultandum principiò cenſebat, donec de ſuâ militari virtute credere non ſoli famæ Con-

ſtantia, ſed & ſuis oculis poſſet. Enimuero equeſtri ludicro probaturum ei ſe, quantum procis Francis Normannus anteeat. Non deſtitit Emmæ patrueli ſua vota commendare, quamdiu nauigatio tenuit. Quâ ſecundâ vſi ad Sanctægidianum Comitem læti peruenere. At Rex ad condictum diem non aderat. Quæ moræ cauſa eſſet, miſſi qui explorarent; quorum princeps tum ſtudio, tum calliditate Buamundus fuit. Nec priùs, aut ſtudioſiùs explorauit inter viam, quis Regis, quàm quis filiæ Conſtantiæ animus eſſet ad nuptias, quique riuales ſibi eſſent maximè metuendi. Audiebat regiam virginem in eâ ætatulâ nondum eiuſmodi affectum prodere. Non defuturos ſuo tempore iuuenes præſtantes, qui ſe procos ferrent. Interroganti, qui maximè gratiâ & auctoritate pollerent in regiâ, & quibus magis affici Conſtantia videretur: reſpondebatur plurimum apud virginem valituram famam fortitudinis, ac probitatis; hac autem laude neminem ſpei nuptiarum Conſtantiæ propiorem eſſe eo, qui abſit æger, Godefredo Prorege Lothariæ, ſi aliquando conualeſcat. Præſertim cum præter fortitudinis, & virtutum omnium opinionem, generis claritudine vix parem habeat, & in aulâ regiâ maximè gratiâ polleat: nempe qui & floreat amicitiâ dudum initâ cum inclyto Hugone Regis Philippi fratre, & nitatur neceſſitudine & dignatione patrui ſui, qui ſummæ ſit auctoritatis in Francia, Regni præfectus iuris, & vrbis regiæ Pontifex. Si res ad horum arbitrium conſiliumue referatur, haud

dubiè Godefredo Proregi pro virili ſuffragaturos. Permoleſtè tulit Buamundus tantum riualem ſibi fore. Quem cum ęgrum eſſe cogitaſſet, nec equeſtribus ludis interfuturum, id ipſum doluit, non poſſe ſe in oculis Regis patefacere armis, vter filiâ eius dignior eſſet. Id quoque non lubens audiebat, non videri à patre deſpondendam vlli, antequam nubiles annos attigiſſet. Verùm non deſperabat hanc rem ſibi confectum iri à nouâ Reginâ, quę amantem Regem poſſet quouis impellere. Occultatâ perſonâ profectus in regiam, dum ſpes ſuas propiùs explorat, ſtupore, ac velut monſtro attonitus hæſit. Quàm eum conſpecta forma Conſtantiæ delectauit, tam conſternauit audita mutatio Regiæ voluntatis. Philippus, *a* qui Bertam coniugem per cauſam conſanguinitatis relinquere, Emmamque ducere modò decreuerat, iam alia omnia cogitabat. Horrere Buamundus ad improuiſum fortunæ ludibrium: tanquam repulſam cum Emmâ paſſus fremere, ſpeſque ſuas peſſumdatas tantùm non deflere. Intellexit ſibi tempore illo importuno nihil petendum à Rege, id vnum acturo, vt nihil ageretur. Nec morandum illic ratus citato equo recurrit ad Sanctægidianum Comitem & Emmam, nuncius nulli triſtior, quàm ſibi. Conſilio habito inter Normannos proceres, rogatu Emmæ clanculum pecuniâ dotali in naues reportatâ, ſolutiſque mox ancoris ad Rogerium in Siciliam contendêre. Virgo apud ſororis maritum Raymundum relicta, deinde

a *Idem Gaufred, Cheſneus, &c.*

Comiti Claromontano nupſit, ſed tanto claritudinis interuallo, dum enupſit è regibus. Caſum puellæ leuiùs tulere Rogerij pater & patruelis, ab aduerſæ ſortis alienæ ſenſu auocati ſuâ lætiore. Patruelis dux Apuliæ duxerat Adam nuper Daniæ Reginam, viduam Canuti Regis, Roberti Flandrorum Comitis ſororem. Siciliæ vero Comes Emmæ pater mortuæ vxori ſubrogarat Adeliſiam, Mathildis regiæ Italorum Amazonis patruo Conrado natam. At Buamundus auditis his propinquorum claris connubijs eò grauiùs ferebat repulſam ſuam. Id imprimis vrebat animum, quòd frater natu minor opulento Principatu & Regio connubio frueretur. Cæterùm non deſperabat feliciorem in Gallias reditum. Verùm ad impetrandam Conſtantiam videbat ſibi non alienâ potentiâ, ſed ſuâ nitendum, nec Lutetiam nudum Buamundi referendum nomen. Ergo minimè contentus exiguâ illâ paterni imperij parte, quam conceſſerat frater, rurſus in huius agrum impetum facit, Melſinque occupat. Sed magnanimum iuuenem fortuna glorioſior manebat alibi, quò & paulò poſt vocauit. Obſidebat rebelles iam Melfitanos frater Dux Apulorum, cui venerat auxilio cum Siculis patruus Rogerius. Aderat & in obſidione Buamundus ſiue contra fratrem, ſiue iam pro fratre faceret. Nam vtroque ſcriptores trahunt. Aduolat ad eum nuncius, affertque ingentes armatorum copias è Gallia per Italiam aduentare. Inuſitatum eis eſſe cultum, moremque clamandi. Singulis in humero dextro rubere crucem,

Itentidem eos pro clamore militari in hanc vocem, DEVS HOC VVLT, erumpere. Duces ſingulis eſſe agminibus, nullum vniuerſis. Miranti Buamundo, explorantique quinam eſſent, & quid venirent; relatum, primo agmini præire Hugonem Magnum Regis Francorum germanum, ſecundo Robertum Ducem Normanniæ, tertio Robertum alterum Comitem Flandriæ. Suſpectus fuit Buamundo poſtremi huius aduentus, quòd eius ſororem haberet in matrimonio Rogerius frater. Sed audijt deinde proceres hos omnes ſacro in Turcas bello initiatos mouere Conſtantinopolim, ac deinde Hieroſolymam. Hîc *a* Buamundus rurſus animo infinita complexus cupiditatem potiundi Græci imperij reſumit occaſione belli ſacri. Spem item concipit fore vt ſacro exercitui, cui deſit dux, præficiatur ipſe. Gaudet quoque vel maximè Francum Hugonem adeſſe, quem comitari poſſit, & ſibi conciliare officijs, vt per eum deinde filiam fratris Regis demereatur. Sic excitatus concionem ſuorum aduocat, hortaturque vt ſe duce ſequantur proceres Hieroſolymam petentes. Cumque perſuaſiſſet, mox paludamentum puniceum in cruces diſcindit, quas, inſigne ſacræ expeditionis, diuidit in ſingulos. Exemplo horum, & Buamundi itidem hortatu, tracti plurimi militum vtriuſque Rogerij, iunxere ſe Buamundo. Ad viginti millia Apulæ Siculæque iuuentutis ſecuta. In his eminebant egregij duo fratres ex Buamundi ſorore & Odone Bono Marchio-

a *Gauf. Malat.*

ne Italico geniti, Tancredus & Guilielmus. Ille indole impiger, ardens, & bello acerrimus: hic præterquam quod itidem manu promptus, comitate, & ſolertiâ comparatus ad animos demerendos. Horum Tancredum Buamundus apud ſe retinet, Guilielmum ad Hugonem Magnum præmittit, qui ei ſua & auunculi officia, necnon ſacri belli ſocietatem offerat, ac Franci voluntatem vrbanâ dexteritate conciliare conetur. Id Guilielmus ſcitiſſimè auſpicatus, Francum omnibus deinde officijs colere, familiares affari, interrogare de rebus Domini, Regiſque fratris, deque filiæ Conſtantiæ procis: felicem illum dicere, cui denique nuberet Ex reſponſis cognouit non videri iam nupturam, mouentibus ad bellum ſacrum ſummis procerum. Virum illuſtrem Tricaſſinum Comitem Bleſenſis Comitis fratrem, ſe palàm & præ omnibus procum ferre. Sed ſanguinis propinquitatem nuptijs impedimento fore. Cæterùm Godefredum Bullionium illum ingenti famâ Ducem, ſi eius dotes ſpectentur & Hugonis amici ſtudium, prælatum iri. Eum nuper pro mortuo habitum, iam prodigio ſoſpitem & in Francicâ aulâ ſpectatum, in admirationem amoremque ſui omnes rapuiſſe. Moleſtè tulit Guilielmus tantum avunculo riualem reuixiſſe. Verùm dicebat eum denique dignum Conſtantiæ nuptijs fore, qui omnium maximè virtute excelleret; bello autem ſacro, quiſnam is eſſet, pateſactum iri. At quamprimum ſignificandum rerum ſtatum Buamundo cenſuit; qui mox venit ipſe ad

Magnum. Peramicè, & cum laude rerum bello Græco geſtarum exceptus eſt ab Hugone. Cui Normannus, præclaræ, inquit, aliorum res videri poſſunt, quamdiu tacentur tuæ. Vel hoc tuum quanti eſt, quod primum agmen ducis ſacræ militiæ: cuius ſuſceptæ decus primum refers, dum eam ſic auſpicaris. Hugo ſimpliciter ac generosè ad hæc, ſecundâ, inquit, laude contentus fuero: prima debetur immortalis nominis pari bellatorum, Godefredo Proregi Lothariæ, & Anachoretæ eius altori, quorum amborum amicitiâ meritò glorior. Apparebat Regium iuuenem ex animo loqui, nihilque libentiùs, quàm, quæ de vtroque dixerat, narratione docturum. Buamundus, licet æmulum vulgò non delectet æmuli laudatio; tamen, vt erat minimè vulgari excelſitate animi, magnifaciebat etiam in aduerſarijs virtutem, malebatque eorum præclara facinora ſuperare factis, quàm vel auribus reſpuere, vel obtrectare verbis. Ergo poſtulauit beneficij loco, vt Hugo ſacræ expeditionis originem, non grauaretur paucis narrare; id ſe quoque conſecuturum ratus, vt & Hugoni rem gratam faceret, & diſceret quo genere laudis ad eius amicitiam, & Conſtantiæ neceſſitudinem aſpirari poſſet. Magnus ſanè quàm libenter retulit Godefredi & Anachoretæ res præclaras, atque amborum ſecum familiaritatem, ſacrique belli originem. Addidit Duces cum copijs ſuis ſingulos Conſtantinopolim iter intendere. Godefredum præmiſſo Petro per Germaniam proficiſci; ſe cum reliquis per Ita-

liam. Hâc qui ſequantur, videri hiematuros in Apuliâ; ſe propediem traiecturum in Græciam. Buamundus properanti Hugoni comitem adiunxit illum filium ſororis ſuæ Guilielmum, ac ſeipſum fuiſſe comitaturum dixit, niſi ſibi & parandus eſſet inſtructus bellicus, & officij causâ expectandus ſalutanduſque Dominus ſuus Normanniæ Dux Robertus. Nec diu moratus in Apuliâ Hugo. Qui deinde, vt ſuprà memorauimus, traiecto mari captus Dyrrhachij, ductus Conſtantinopolim, & à Godefredo fruſtra repetitus per legatos. Ita Auguſtus Græcus Latinorum vires, quas ad opem acciuerat, in ſuam perniciem detento Hugone Magno & intempeſtiuâ calliditate conuertit. Mox Prorex Godefredus amicum Principem armatâ manu aſſerturus aduentat, & quacumque exercitum ducit, aut ducturus fertur, pauorem agris latè vulgat. Omnes paſſim vias impleuerant ruſticanorum virorum agmina, feminarum & puerorum turbæ, pecorumque greges, quos præ ſe agreſtes agebant. Subitò relinqui Thraciam crederes. Quæ fugientium ex agris multitudo maiorem, quàm attulerat, terrorem inferebat oppidis. Præcipuè Conſtantinopoli propè vt captæ tumultus fuit, cùm viſus ad muros accedere ingens exercitus Belgæ Proregis. Ibat ipſe ante ſigna ſpecie inſigni armorum & corporis, ſtipatus procerum familiarium globo. Primores horum erant frater Godefredi Balduinus, ſororius Cuno Montis Acuti ad Vrtam fluuium Comes, conſanguineus Balduinus Burgius Comes Caſtri Retexti ſeu Rhe-

thelenſis, alterque Balduinus, ille à puero Godefredi amicus, Comes Hannoniæ: conſanguinei item Proregis Tullenſes fratres, & Adalbero Lucemburgi Comitis frater. Nec tacendum nobile par amicorum Belgarum memorabili exitu magis nobilitandum Anſelmus Ribodimontius Comes Auſtrouandiæ & Engelramus Hugonis Comitis Sanpaulani (qui etiam aderat) filius. Sed inter omnes proceres nitore atque elegantiâ militaris cultus, ætatiſque flore maximè conſpicua ſe ferebant capita duo. Dixiſſes vel geminas Amazones, vel geminos tirones nobiles. Reipſa erat altera virili animo femina, alter virgineâ pulchritudine adoleſcens egregius. Hic erat Tiro ille ſtirpe & indole nobiliſſimus, de quo nobis ſuprà fuit & erit infrà multus ſermo, qui haud ſecus quàm filius diligebatur à Prorege. Amazon nomine Gundechildis nuper Balduino Proregis fratri nupſerat. In militibus non prætereundi ſilentio equites duodecim, quos magno habito nobilitatis & virtutis delectu ſub diſceſſum Antuerpiâ Bullionius Antuerpianus Marchio creauerat. Conſtantinopoli tanquam ſi protinus Godefredus mœnia aggreſſurus eſſet, ita ad arma conclamatum eſt. Portæ raptim clauſæ, armatique in muris diſpoſiti. Alexius vbi vidit non expediri à Latinis tela, ſed circum vrbem figi tentoria, reſpirare cœpit, cæterùm minimè ſecurus. Exercitus validus domi erat, ſed dux, quem Godefredo opponeret, deerat. Filiæ Annæ Comnenæ coniux Cæſar Briennius, etſi bello clarus, par vt eſſet illi Belgæ,

verendum erat. Æſtuare Alexius, aſtus nouos excogitare, verſareque omnia. At nihil artes aduerſus hæc arma profuturas, nihil denique cunctandum vidit. Ergo Hugonem Magnum cum Guilielmo ſororis Buamundi filio & ſocijs *a* cuſtodiâ emittit ad Proregem, ſuoſque ad eum oratores ſubſequi iubet. Vix Hugonem aduenire audierat Prorex, cùm è prætorio accurrit obuiam, gaudioque exultans excipit exlutantem. *b* Inter amiciſſimos Principes amplexus ex animo dati. Grates agere Hugo, officium Bullionij ſui prædicare, tanti fuiſſe capi ſe, vt liberatoris tanti experiretur fidem. Ei ſuam ipſe operam atque adeo vitam, ſiue bello, ſiue in fratris Philippi regiâ vtilis eſſe poſſet, addicere. Godefredus viciſſim ſibi gratulari fortunam, quòd Magnus Francicæ iuuentutis non genere modò, ſed & indole ac virtute princeps liberatus eſſet potiſſimùm ab ſe, quo nullus vnquam futurus potiore in ipſum animo. Sub hæc officiosè verſus ad Guilielmum ac ſocios, gratulatus itidem eſt ſibi, quòd ad tantorum virorum libertatem aliquid conferre potuerat. Mox Alexij oratores ſuperueniunt, rogantque eius verbis Proregem, Chriſtianiſſimum ducem appellantes, vt in palatium Cæſareum venire cum aliquot primoribus ne grauetur, ab Auguſto ornandus honoribus neutro eorum indignis. Vix legationem audierat Godefredus *c* cùm Franci quidam, quibus Conſtantinopoli domicilium erat, clàm adſunt, monentque magnopere Bullionium, vt Alexij

a *Aquenſis.* b *Rob. Monach.* c *Aquen.*

verſutias caueat ac dona, ſpecioſas nominatim veſtes, at veneno medicatas vſque adeo præſenti, vt induentem, honoris obtentu, pernicie certâ conficiant. Quibus auditis, ire diſtulit Godefredus. Alexius indignatus, Latino exercitui interdixit venalium foro. Viciſſim offenſus Latinus ad prædas & agrorum populationem conuertitur. Sub natalis Dominici ſollennes ferias datum id ſanctitati temporis, vt manus à vi vtrimque continerentur. Poſt a quatriduum Græci oratores denuo adſunt nunciantes Auguſtum ob brumæ incommoda metuentem ne amicus exercitus in tentorijs grauius aliquid à frigore atque imbribus pateretur, orare præſtantiſſimum Ducem, vt caſtra transferat vltra cornu Boſphori, militemque in commodis illic tectis refoueat. Vrbem Conſtantinopolim ſitu triquetram alluit anguſtus tractus maris, Boſphorus Thracius nomine, qui Aſiam Europamque limes interfluit. Proximè mœnia diuiſus bipertitò partim prolabitur in vicinam Propontidem, partim terræ infuſus ſupra vrbem ad Occidentem, ſinum facit & commodiſſimum vrbi portum. Boſphori cornu appellant. Vltra quod perpetua ſecundum littus ædificia turrita, ac magnifica porriguntur xxx. millium ſpatio. Godefredus actis Auguſto gratijs commigrat cum copijs in eas domos littorales, vbi copia annonæ maxima conceſſa. Continuò redeunt oratores Alexij, qui Proregem in vrbem inuitent. Ille non oblitus monitorum de fraudibus

a *Aquen. an.* 1097.

venenatiſque veſtibus cauendis, ne tamen Græci rurſus iram excitet, mittit ad eum Comites nobilitate & facundiâ inſignes ſororium Cunonem, & conſanguineum Balduinum Burgium, qui verbis ſuis Alexio fidem & obſequia offerant, dicantque venturum libenter ipſum & Græcæ aulæ ſplendorem viſurum, ſed, quod pace eius dicatur, retardari quibuſdam de eo nunciatis; neſcire tamen, an odio, inuidiàve confiƈta ſint. Purgabat ſe de his Alexius, non eſſe cur dux Chriſtianiſſimus, aut militum quiſquam à ſe dolum malum timeat. Habere ſe Latinos milites pro amicis, ducem pro filio culturum in aulâ, ſi venire non dubitet. Nec commiſſurum ſe, vt quidquam hoſtile aut inhoſpitale obueniat eis, quos ad opem euocarit aduerſus Turcas. Horum imperium euerti, nullius magis, quam ſuâ intereſſe. Quod acciderit Hugoni Magno venienti Dyrrachium, iniuſſu ſuo & præfeƈtorum imprudentiâ faƈtum. Cæterum in aulâ ſuâ retentum Hugonem non incommodè, nec inhonorè remiſſum Proregi. De venenatis veſtibus figmentum eſſe aduerſantium vtrique parti. At cùm Godefredus verbis fidendum non putaſſet, poſtquam Hugo faƈta contraria (vtcumque excuſarentur) eſſet expertus, ad arma res denique venit. Alexius interdiƈto Latinis rurſus venalium foro, manè dubiâ adhuc luce quingentos mittit milites ſuos, qui nauibus littoralem oram legant. Improuisò hi inceſſunt telis militem Latinum partim egreſſum ædibus annonæ emendæ gratiâ, partim ſpeƈtantem è feneſtris. Quod fa-

cinus vbi cognouit Ballionius, illico ſigna canere iubet, militem arma corripere, in ordines ire, atque ad muros vrbis caſtra reponere. Nempe iam patebat, cur Latinos Græcus trans portum miſiſſet, nimirum vt officij & honoris ſpecie amotos ab vrbe, inter gemini littoris anguſtias tanquam intra repagula coërceret, vnde non niſi per pontem vnicum reditus erat. Armati Latini domibus erumpere, imperata facere, & , quod non erat imperatum, tectis magnificis ignem iniicere, immenſo damno Græcorum. Vbi proximis tectis hæſit ignis, extemplo effuſa flamma pluribus ſparſa locis reluxit, dein ſerpens, continuaſque ædes amplexa, toto ſe paſſim littore diſſipauit, & vno omnia incendio hauſit. Matutinas tenebras citiùs, quàm pro tempore, diſpulerat horrenda lux. Littorales illæ domus ad ſex millia paſſuum, eoque ampliùs continuatâ peſte vſque ad portum vrbi proximum ardebant. Cadentium tectorum fragor, militum Latinorum vociferatio, Græcorum ambuſtorum aut igni afflatorum fuga, tubarum cantus Conſtantinopolitanos turbatos in mœnia exciuerat, non plus mille paſſibus (tot patebat ſinus) à flammarum vorticibus ſeparata. Vibrabat medijs in aquis terrificus fulgor, & repercuſsâ imagine horrorem ſpectaculi geminabat. Metus quoque erat ne ventorum flatibus tranſmiſſum incendium Conſtantinopolim corriperet. Mox & Conſtantinopolitani ad arma verſi. Procurrere ad portas, ſub ſignis ſtare, ductorem Cæſarem Brieannium præſtolari.

Quem Alexius, & vxor diſſimili precatione proſecuti. Orabat Alexius ne ſocerum, ne coniugem, patriamque externis prædam fieri ſineret, neu ijſdem flammis Conſtantinopolim, quibus ſuburbia conflagrarant, abſumi pateretur: magnis animis & præiret dux, & pugnaret. At coniux plena lacrymarum obteſtabatur, ſic armis patriam ac ſuos, vt & ſeipſum, ſeruaret. Pons erat per quem ſolum (vt modò dicebam) à citeriore portus littore reditus patebat Latinis ad muros vrbis. Quem Godefredus ne Græci occuparent, & Latinos tranſitu intercluderent, loricatos quingentos, qui præuertant, mittit. Ducebat eques ſpecie corporis eximius, qui toto capite ſocijs eminebat. Arma auro argentoque cælata corpus raræ dignitatis honeſtabant. Proceritati robur, & robori par animus erat, quantuſque decebat Bullionij germanum Balduinum. Qui ſocios cohortans paucis, videat, inquit, frater hodie quos milites habeat, Alexius quos hoſtes. Mox concitati calcaribus equi. Vix in ponte conſtiterat, cum dextrâ, ſiniſtrâ Græci nauigijs circumfuſi expeditis arcubus iuuenem tranſitu arcere conantur. Ille per medium ſagittarum nimbum *a* ſuperato ponte gradum in ripâ vlteriore figit. Sed hîc alia inſuper procella fuit ſuſtinenda. Briennius, dum inſtruit aciem, præmiſerat, qui Belgam à ponte ſubmouerent. Balduinus citatos videns accurrere nouos hoſtes, trepidamque ſuorum turbam, hortari, erigere animos, orare ſingulos, vt ſibi

a *Aquen.*

& duci adſint, vt toti exercitus ſequenti. Certè impetum omnium hoſtium ex amne ac terrâ ingruentium ſe, quantùm corpore vno obſiſti poiſet, excepturum. Stabat in capite pontis anceps ad Græcorum tela, inſigniſque ante ſuos, circumferebat ſcutum & minaces oculos, nunc prouocans hoſtium ferociſſimum quemque, nunc increpans. Illi clamore ſublato vndique in vnum tela conjiciunt, quæ in vno ſcuto pleraque cum hæſiſſent, non minùs obſtinatus Belga ingenti gradu pontem obtinuit. Ibi immobilis atque inſuperabilis perſtitit ab ortu ſolis penè ad occaſum, quoad traductis omnibus copijs ſtructiſque à Godefredo ordinibus proceſſit ad muros. In campo ad Blaquernas pugnatum. Principiò non pauci vtrimque cecidere. Deinde Græcus pedem referre cœpit, propinquitate vrbis & ad fugam pronior, & in fugâ tutior. Hærens in terga Balduinus multos ſauciare ac cædere, priuſquam portis inciderent. Ipſe ſupernè ex loricâ murorum telis & tormentorum iactu repelli. Iamque pudore & indignatione accenſi Græci in eo erant, vt iteratò portis erumperent; cùm Godefredus extremum cogens agmen ſuperuenit, & quia nox inſtabat, receptui cani iuſſit. Idem lætus Alexius fecit. Ingentem eâ die tulit laudem Balduini ſpectata virtus etiam apud hoſtem, non modò apud ſuos. Caſtris ad vrbem communitis rurſum miles pabulatum miſſus ad milliaria quinquaginta. Alexius clade ſuorum & agri populatione tactus, vt tuta conſilia ſpecioſis præferre ſolitus erat, oratores ad Gode-

ſredum remittit inuitandum ad aulam & fœdera. Iturum ſe reſpondit Bullionius, ſi tales darentur obſides, quibus de vitâ & ſalute ſuâ credere poſſet. Alexius de obſide mittendo filio ſuo Caloioanne agitabat, paxque coalitura putabatur, cùm oratores alij veniunt aliunde ad Proregem. Mittebat Buamundus, ille magnanimus æmulus. Reſcierat Hugonem Magnum à Bullionio liberatum. Non placuit per alium, quàm per ſe, id factum. Nempe ita ſibi anteuertiſſe riualem Belgam, & occupaſſe gratiam Franci ad conciliandas ſibi Regiæ virginis Conſtantiæ nuptias, quas deperibat. Cæterùm gauiſus eſt bellum à Prorege illatum Alexio, atque ita ſtatuit apud ſe, eò tendendum in præſens, vt ne pacem faceret cum Græco Belga. Qui ſi riualem ſe ferret, priuati certaminis rem illam poſtea fore. Nunc bellum Græcum, quantum fieri poſſet, fouendum eſſe, vnde ſibi ſpes affulgeret comparandi Imperij. Hâc de re mittebat ad Bullionium oratores. Litteris quoque laudabat eum de bello fortiter commiſſo, monebatque vt ne cum Alexio rediret in gratiam. Quam non ſincerâ fide is eſſet, oſtendiſſe in Hugone Magno capto, nec reſtituto, niſi metu adigente. Se quoque & ipſummet Proregem iam experientiâ ſuâ doctos, quâ indole ſit Græcus; nempe ei ſollemne eſſe ſemper fallere, & fraudibus, ſi hæ non ſufficiant, *a* venena adjicere. Ergo hiemaret Prorex in vicinis Conſtantinopoli vrbibus. Se Martio proximo cum vniuerſis copijs

a *Anna in Alex.*

& duci adſint, vt toti exercitus ſequenti. Certè impetum omnium hoſtium ex amne ac terrâ ingruentium ſe, quantùm corpore vno obſiſti poſſet, excepturum. Stabat in capite pontis anceps ad Græcorum tela, inſigniſque ante ſuos, circumferebat ſcutum & minaces oculos, nunc prouocans hoſtium ferociſſimum quemque, nunc increpans. Illi clamore ſublato vndique in vnum tela conjiciunt, quæ in vno ſcuto pleraque cum hæſiſſent, non minùs obſtinatus Belga ingenti gradu pontem obtinuit. Ibi immobilis atque inſuperabilis perſtitit ab ortu ſolis penè ad occaſum, quoad traductis omnibus copijs ſtructiſque à Godefredo ordinibus proceſſit ad muros. In campo ad Blaquernas pugnatum. Principiò non pauci vtrimque cecidere. Deinde Græcus pedem referre cœpit, propinquitate vrbis & ad fugam pronior, & in fugâ tutior. Hærens in terga Balduinus multos ſauciare ac cædere, priuſquam portis inciderent. Ipſe ſupernè ex loricâ murorum telis & tormentorum iactu repelli. Iamque pudore & indignatione accenſi Græci in eo erant, vt iteratò portis erumperent; cùm Godefredus extremum cogens agmen ſuperuenit, & quia nox inſtabat, receptui cani iuſſit. Idem lætus Alexius fecit. Ingentem eâ die tulit laudem Balduini ſpectata virtus etiam apud hoſtem, non modò apud ſuos. Caſtris ad vrbem communitis rurſum miles pabulatum miſſus ad milliaria quinquaginta. Alexius clade ſuorum & agri populatione tactus, vt tuta conſilia ſpecioſis præferre ſolitus erat, oratores ad Gode-

ſredum remittit inuitandum ad aulam & fœdera. Iturum ſe reſpondit Bullionius, ſi tales darentur obſides, quibus de vitâ & ſalute ſuâ credere poſſet. Alexius de obſide mittendo filio ſuo Caloioanne agitabat, paxque coalitura putabatur, cùm oratores alij veniunt aliunde ad Proregem. Mittebat Buamundus, ille magnanimus æmulus. Reſcierat Hugonem Magnum à Bullionio liberatum. Non placuit per alium, quàm per ſe, id factum. Nempe ita ſibi anteuertiſſe riualem Belgam, & occupaſſe gratiam Franci ad conciliandas ſibi Regiæ virginis Conſtantiæ nuptias, quas deperibat. Cæterùm gauiſus eſt bellum à Prorege illatum Alexio, atque ita ſtatuit apud ſe, eò tendendum in præſens, vt ne pacem faceret cum Græco Belga. Qui ſi riualem ſe ferret, priuati certaminis rem illam poſtea fore. Nunc bellum Græcum, quantum fieri poſſet, fouendum eſſe, vnde ſibi ſpes affulgeret comparandi Imperij. Hâc de re mittebat ad Bullionium oratores. Litteris quoque laudabat eum de bello fortiter commiſſo, monebatque vt ne cum Alexio rediret in gratiam. Quam non ſincerâ fide is eſſet, oſtendiſſe in Hugone Magno capto, nec reſtituto, niſi metu adigente. Se quoque & ipſummet Proregem iam experientiâ ſuâ doctos, quâ indole ſit Græcus; nempe ei ſollemne eſſe ſemper fallere, & fraudibus, ſi hæ non ſufficiant, *a* venena adjicere. Ergo hiemaret Prorex in vicinis Conſtantinopoli vrbibus. Se Martio proximo cum vniuerſis copijs

a *Anna in Alex.*

auxilio venturum, eiuſque ſigna *a* tanquam ducis & domini ſui ſecuturum, ad profligandum tyrannum Alexium, partoque per ſcelus Imperio exuendum. Quibus acceptis Bullionium angebat ea cura, quòd neque Alexium bello perſequendum cenſebat, ne quid non pro Chriſtiano egiſſe videretur, & verendum erat, ne ſi Buamundus repulsâ irritatus veniret, expeditioni ſacræ non opem, ſed moram afferret. Cæterùm ſumpto ad conſultandum ſpatio reſponſorias poſtridie oratoribus tradidit, quibus legendis obſtupuit Buamundus, cùm alia omnia quàm expectarat, acciperet. Scribebat Bullionius nullâ ferociæ ſpecie, ſed Chriſtiano animo, *b* ſe non quæſtus causâ veniſſe de patriâ procùl, nec ibi arma ſumpſiſſe in Alexium Chriſtiani nominis Principem, ſed in barbaros Eccleſiæ hoſtes. Quare videri Alexium Chriſtianis potiùs artibus, quàm armis vincendum; & fœdus cum eo, ſi quo modo poſſit, ſanciendum, vt ad Turcas tranſitus aperiatur, atque ad Hieroſolymam iugo liberandam. Hoc reſponſo intellexit Buamundus quanto animo eſſet Bullionius, quàm religioſo, minimeque cupido. At miratus magis eius continentiam, quam ratus imitandam contractis omnibus copijs dedit ſe in viam. Interim eius ad Godefredum legatio non latuerat Alexium, qui gnarus Buamundum ſpes verſare de Conſtantinopoli occupandâ, verituſque eius cum Bullionio coniunctionem, feſtinauit huic obſidem offerre filium ſuum Caloioannem. Se-

a *G. Tyr.* b *G. Tyr.*

rum id iam futurum videbatur, damnabantque Græcorum non pauci Alexium, qui cunctatione rem Græcam perditum îſſet. Cùm tamen oppidani, qui oppugnationem vrbis expectabant, reſciere Bullionio placere pacem, benignitas eius & fides in aulâ foroque celebrari cœpit. Idque tantò magis factum, cùm miſſi à Godefredo venere in conſpectum Montacutus & Burgius Comites Caloioannem oblatum obſidem excepturi. Ductus in caſtra egregius & minimè paterni ingenij Princeps obuio Godefredo ita loquitur: Cùm me obſidem, & fœdus nobiſcum admittis, victoriæ genus, cui nullus niſi malus inuideat, reportas. Nempe quo nihil victori pulchrius eſt, Græcos non magis acie, quàm humanitate vicisti. Proinde meritò tibi id tribuit pater Auguſtus, vt cenſeat ſe melius ſub tutelâ tuâ, quàm armis ſuis regnaturum. Cùm Bullionius humaniſſimis verbis reſpondiſſet, relicto ad eius & caſtrorum cuſtodiam Balduino fratre & Amazone Gundechilde, ipſe cum Hugone Magno, & reliquis proceribus ſuis magnifico cultu Conſtantinopolim nauigio per ſinum maris deuehitur. In hâc tantarum rerum mole tametſi obuerſabatur memoriæ Latinorum omnium denunciatum non ſemel inſidiarum & veneni periculum, tamen vir fortis ingreſſus eſt Auguſti Græci aulam metuendus magis, quàm metuens. Eminebat in ſolio Alexius procerum multitudine circumfuſus, quos magna cupido inceſſerat ſpectandi celebratiſſimi famâ Godefredi: ſed præſentis maior admiratio

cepit. Emicabat in eo dignitas formæ aliquantò humanâ amplioris, certans cum grauitate humanitas, & animus vel bello, vel paci paratus. Cui Alexium veneranti de genu, atque in id òfficij decorè compoſito Auguſtus dato oſculo fidem futuræ amicitiæ ſanxit. Deinde, ſalue, inquit, Princeps Chriſtianiſſime, quem famâ dudum noui excellentem bello virum, prudentiſſimum ducem, &, quæ rara virtus eſt, ſeruantiſſimum fidei. Nec ſum deceptus, quòd de his credidi famæ tuæ. Virum fortiſſimum expertus, video te non fortitudinem magis, quàm fidem colere. Quare te *a* adopto, habeoque impoſterum filij loco, & quidquid meæ ditionis eſt, in tuâ poteſtate ac tutelâ colloco, vt imperium meum à Latinorum præſentibus & ſecuturis copijs præſtes incolume. Tu fac vt ego non meliorem filium genuiſſe videar, quàm ſumpſiſſe. Sub hæc Auguſtus *b* magnificum ſuoque ſimillimum indumentum, quod aulici habebant in manibus, iuſſit admoueri. Prorex neque hîc trepidus recordatione intentatarum aliàs venenatarum veſtium, induitur Cæſareo cultu. Tum Alexio ſacramentum dixit, non modo ſe filium, ſed clientem manibus iunctis profeſſus. Græcus viciſſim pollicitus eſt ſe ei ſocia arma iuncturum, item venturis alijs proceribus, nominatim Buamundo, ſi ſacramentum ſimile dicerent. Admiſſi deinde ad oſculum Auguſti comites Proregis clientelam in eadem verba iurauere. Mox inter Græcos Latinoſque proceres

a *Aquen.* b *Idem.*

ſalutatio facta profitentes inter ſe hoc ſacro fœdere omne Græci Latinique diſcrimen excluſum. Inde itum ad Auguſtæ Gynæceum, quod Purpura dicitur. Eſt *a* id ædificium intra ſepta palatij Cæſarei, inſigne opere, & marmoris, quo conſtat, genere. Ab imo vſque ad tecti ſuggrundia conſtructum formâ quadratâ, exinde faſtigiatum in pyramidem deſinit. Totus locus marmore rubet, quo & ſola exedrarum conſtrata, & incruſtati parietes. Pretioſum lapidis genus colore purpureum, candidis punctis inſperſum eſt. Hinc ea pars domus Purpura dicta, Auguſtarum puerperijs addicta, vnde liberis nomen eſt Porphyrogenitis. Proſpectum amœnum habet ad mare, eum portus locum verſus, in quo inſigni opere fabricata viſuntur leonum boumque ſimulacra. Hîc Prorex exceptus ab Auguſtâ, cui aderant Pyriſca Caloioannis Principis coniux Hungara, & Anna Comnena Alexij filia, eademque hiſtoriæ rerum à patre geſtarum auctor, quam Alexiadem inſcripſit. Aderat & Helena ſoror Buamundi, multæque aliæ nobiles feminæ. Ibi Alexius, equidem, inquit, fili, tecum non modo amicitiam, ſed etiam affinitatem lubens iungerem, ſi mihi filia innupta ſupereſſet. Nunc in hoc gynæceo vide ſitne aliqua, quam tuo amore digneris. Certè nulla, eſt quin ſe eo beatam putarit, licet nonnulla ſit Cæſareis nuptijs digna. Hæc poſtrema verba cùm diceret, ad Helenam aſpexit, dixitque in aurem Godefredo, ſororem illam eſſe Buamundi priùs

L 5

a *Anna in Alex.*

Cæſari puero Conſtantino deſponſam. Ad hæc Godefredus ita vrbanus, vt à lenocinijs verborum alienus, ſic reſpondit, vt omnibus virginibus ſui vel amorem, vel venerationem crearit. Aperta deinde gaza Cæſarea. Proregi donata inæſtimabilis pretij munera, aurum, argentum, purpura. Addita raræ bonitatis iumenta. Verùm Prorex (vt erat ab auaritiæ, & cupiditatis labe prorſus alienus) omnia militibus ſtatim elargitus eſt, mirantibus Græcis viri quà liberalitatem, quà magnitudinem animi, aſpernantis ea, quæ alij vitæ periculo quærunt. In primis admirabatur in omnibus Ducem Helena, quod non ſemel ſororis filio Guilielmo teſtata eſt, nec ſine manifeſtis amoris indicijs. Et Guilielmus Buamundo tantum aduerſarium obtigiſſe non iam magis dolebat, quàm mirabatur. De eo ſcripſit ad auunculum in hæc verba: Bullionius ijs dotibus præditus eſt, vt amicus tibi eſſe mereatur, ſi aduerſari nolit. Vtcumque erit, cùm te virtus aduerſariorum adeo non deterreat, vt etiam delectet, non verebor memorare tibi, quantis ille honoribus & dignus & cultus ſit ab Alexio. Poſtquam narrauit deinde adoptionem eius, & iuratam ab eodem clientelam, & tutelam Græci Imperij, ſic clauſit epiſtolam; vides, auuncule, quantum Alexius conciliarit ſibi defenſorem. Ita fœdere iunctus eſt ei Godefredus, vt non poſſis iam alterum bello adoriri, quin alterum habeas hoſtem. Cæterùm ſiue Godefredum amicum voles, ſiue inimicum adorieris, parem animo tuo inueniſti. Bua-

mundus impauidus his moueri non potuit, vt ſpem conſequendi Græci Imperij deponeret, aut voluntatem Alexij vlciſcendi. Traiecto mari per Macedoniam contendit in Thraciam, haud ignarus non fidendum Alexio, quantumuis ſe Latinis omnibus profiteretur amicum. Ad flumen Bardarium in Illyrico ventum erat. Iamque Buamundus cum Tancredo Guilielmi fratre, & agminis parte tranſmiſerat amnem, cùm adſunt infeſti ad ripam Græci Tatino duce, & eam partem, quæ nondum tranſierat, prælio imparatam telis inceſſunt, cruentâque cæde afficiunt. Quo nunciato Tancredus *a* reuolat fulminis more, & cum equo deſilit in fluuium, multiſque licet ſuperincidentibus telis, in Græcos inuehitur ſequentibus duobus equitum millibus. Periculum ingens feruidi animi iuuenis diſcuſſit audaciâ. Multi hoſtium cæſi, capti non pauci, reliqui fœdam in fugam compulſi. Adducti ad Buamundum captiui interrogantur cur Græci Latinos nihil hoſtile gerentes infeſtent. Reſpondere ſe Auguſto ſuo militare, & officij ſui eſſe imperata facere. Inde Alexius non modò in ſuſpicionem doli mali vocatus, ſed inſimulatus perfidiæ manifeſtæ. Ad Conſtantinopolim cùm appropinquaret Buamundus, euocatur ad aulam ab Alexio amicitiam profitente. Ille abnuere, & nuperum eius facinus cauſari. Alexius, vt aliàs, culpam non ſuam, ſed præfectorum dicere, orare, vt veniam erroris illis imprudentibus daret. Reſpondit Normannus, præfectis ignoſ-

L 6

a Tudebod. G. Tyr.

ci poſſe, Alexio non poſſe, qui peccare ſuos vel non vetuiſſet, vel iuſſiſſet, fraudeſque ex fraudibus ſereret. Ceterùm Auguſtus miſit munera ad Buamundum. Cumque ſciret hunc timere à ſe venena, *a* miſit carnes & crudas & coctas, additâ excuſatione coquos Græcos neſcire, quibus condimentis Normanni delectentur. Quare ſi cocti cibi non arriderent palato, crudos ſuo arbitratu coquendos curaret. Et verò Buamundus his vſus, illis abſtinuit. Ita inter ſe calliditate certabant Græcus, & Normannus, vterque vaferrimus: ſed Alexio fides haberi non poterat: Buamundum conſtabat gloriæ velificantem, nihil magis quàm famam timere perfidiæ. Res ad vim, atque ad arma ſpectabat. Græcus à copijs erat inſtructior: Buamundus præpollebat animis. Pugnam depoſcebat Tancredus, præſertim eo tempore, cùm iam Godefredus diſceſſiſſet. Ita ſcripſerat Guilielmus frater, Alexium ineunte ieiunio verno, cum audijſſet Latinos aliorum agminum ductores in propinquo eſſe, veritum multitudinem, oraſſe Bullionium, vt cum copijs trajiceret Boſphorum, locumque faceret ſecuturis, ne Conſtantinopolitanus ager numero laboraret. Facilem Ducem annuiſſe, tranſmiſſoque Boſphoro iam in Chalcedonis campeſtribus, Aſiæ limine, metatum eſſe caſtra. Sed ecce improuisò fecialis Belga, qui Buamundo nunciat, in campo propinquo ſub eius caſtris *b* adeſſe Godefredum viginti delectis comitatum, qui eum ad colloquium vocet. Lo-

a *Anna in Alex.* b *Aquen.*

cum vndique conſpectum eſſe, nequid inſidiarum latereſpoſſit. Ducem ac ſocios enſibus ſolis armatos eſſe. Expectare Buamundum eodem inſtructu venturum. Ad inexpectatum nuncium mirabundus tantiſper hæſit Buamundus. Verùm intrepidus mox ad condictum locum pari comitatu armatuque proceſſit. Inter viam nondum admiratione vacuus conferebat cum Tancredo comitum fidiſſimo iuxtà fortiſſimoque, vnde improuisò Dux adeſſet, quem traieciſſe in Aſiam ſciebatur; & quænam eſſet cauſa tali loco atque inſtructu veniendi. Ceterùm ipſe, ſeu ad colloquium, ſeu ad pugnam vocaretur, nihil moratus peruenit ad campum. Vbi inuicem conſpicati eminus Buamundus & Bullionius, iuſſis conſiſtere pari ſpatio ſocijs, ipſi aduerſos concitant equos. Congreſſi alter alterius aſpectu pauliſper propè attoniti ſiluere. Coierant duo iuuenes non modò ſuæ ætatis maximi duces, ſed omnis memoriæ facilè principes. Nuper eodem tempore ex venenatâ potione ægri, perſanati deinde, & in eum diem ſeruati erant, neſcientes iam an non ad vitam inuicem ferro tentandam. Cerneres ambos in medio virium robore, quod plenius nitidiuſque poſt morbum velut renouatus flos iuuentæ faciebat. Normannus iam antè ex famâ & Hugonis Guilielmique narratione admiratus erat animum Godefredi; ſpeciem quoque corporis amplam & magnificam cogitatione præceperat. Creuit admiratio conſpectu Belgæ, quem, præterquam quod ori ſuapte naturâ multa maieſtas inerat, promiſſa

ſubflaua cæſaries, habituſque corporis rerum patientiâ durati, & virilis cultus honeſtabant. Non diſſimili animi motu ſpectabat Godefredus Normannum & ipſum magnitudine, & conformatione membrorum inſignem. Ex oris ſtatu & oculorum acie virum æſtimares, cui a pallor ex venenato hauſtu relictus, militare & toruum quiddam addiderat. Summus erat conſilijs dux, manu miles, calliditate Græcis ſuperior, odio Græcorum memorandus, at neminem fide in Græcos, neque fortitudine aduerſus ſe Godefredo parem inuenerat. Poſt aliquantum ſilentium ſermonem miſcuere lenem principiò, deinde acriorem, quod ex vtriuſque geſtibus poſſet intelligi. Semoti vtrimque ſocij, hinc Balduinus, indè Tancredus pugnaciſſimi amicorum, acres alter in alterum oculos eminus intenderant. Ambobus pares anni, & par adhuc laus bellica. Balduinus in ponte ad Conſtantinopolim, Tancredus in amne Bardario ſuperando claruerat. Hinc riuales gloriæ, & hoſtiles penè iam ſpiritus gerentes, optabant occaſionem ſibi præberi, quâ de excellentiâ decernerent. Neque verò ea defuit diu. Interim poſtquam duces militarem in modum conſalutarunt inter ſe, Godefredus, quo ſolebat virili candore, dixit, ſe ab Alexio reuocatum ex Aſiaticis caſtris, vt minantem ſibi fortiſſimum Normannum conetur verbis armiſve compeſcere. Orare ſe, vt præbeat animum à quietis Chriſtianiſque conſilijs non abhorrentem, nec parata in Turcas arma,

a *Order*.

minimè idoneo tempore, in ſe conuertat. Reſpondit Buamundus, nunquam ſe metu à propoſito auocatum. Neque, ſi bellum placeat, nunc primùm Normannis rem fore contra Græcum pariter ac Latinum, quos ambos nuper ad Dyrrhachium, & Romam eodem tempore vicerint. Tum (vt excelſiſſimos ſpiritus promptâ comitate temperare nouerat) ſubiecit ſibi quoque notum eſſe famâ fortitudinis Godefredum, ſed ſiue amicus, ſiue inimicus occurrat, ſe vel ſuâ virtute tutum, vel non formidatâ alienâ nobilem fore. Verùm orare ſe viciſſim, vt ipſe Alexium ſemel pernoſſet. Ab eo per ſcelus vſurpatum Græcorum Imperium. Eo auctore nouercam ſuam veneno fatum patri Guiſcardo conſciuiſſe; ſibi machinatam eſſe. Iam Hugoni Magno, & rurſum ſibi Conſtantinopolim venientibus quas illatas iniurias? Nempè ab illo Cæſare venefico, cui militatum venerint, pro ſtipendijs accepta vulnera & vincula. Ita fauere Auguſtum ſocijs, Imperatorem militibus. In tantum tyrannum, non illatâ vi, ſed lenitate peccatum iri. Quare Godefredus Buamundum vel iuuaret inferendo bello, vel pateretur violatæ Chriſtianæ maieſtatis vindicem eſſe. Hîc Belga dicendi vim, quâ valebat, explicuit. Dicebat, à ſe, non patrocinium Alexij, ſed Terræ ſanctæ liberationem eſſe ſuſceptam. Optimum futurum fuiſſe, ſi à Deo data eſſet ea mens Alexio, vt abſtineret iniurijs. Quamquam fortè plura de eo dici, quàm conſtare. Sed quidquid commeritus ſit Alexius, primùm præterita magis reprehendi,

quàm corrigi poſſe : deinde intempeſtiuam nunc eſſe vindictam. Expeditioni ſacræ mirandis modis & à Deo perſuaſæ, & à Chriſtianis proceribus ſuſceptæ ſi moram Buamundus objiciat iam bello Græco, nulli magis profuturum, quàm Turcis. Vteruis denique vincat, vtriuſque vires attritum iri, quæ integræ non nimiæ futuræ eſſent in Barbaros. Ita dimicationem finitum iri aut pœnitendâ fortunâ, aut pudendâ victoriâ. Atqui clariſſimum omnium eſſe victorem, qui non tam certamine, quàm certaminis causâ vincat. Quarè celebritatem nominis bello ſanctiore quæreret magni Guiſcardi parentis exemplo, qui non alio magis opere claruerit, quàm ſuſceptâ Eccleſiæ tutelâ, liberatoque Romæ Pontifice. Quam virtutem pater in Occidente probarit, filius in Oriente haud paulò patentiore campo repræſentet ac ſuperet. Buamundus eò placidiùs hæc audiuit, quòd Godefredum iam (ob fortunæ mutationem mox explicandam) pro riuali amorum habere deſierat. Cuius oratione piè victus ambitioſiſſimos ſpiritus & vindictę conſilia Chriſtianæ lenitati ſubiecit. Tum ad Godefredum, ſi ita cælo viſum eſt, inquit, vt, qui dudum Alexio bellum intuli, & nunc iniuriâ nouâ læſus ad Conſtantinopolis portas ſigna atque arma admoui, cum eo pacem facerem, id mihi iucundum accidit, potiſſimùm à Godefredo rogari. Concedo pacem Alexio, quòd per te, non quòd dignus petat. Belga conciliato Buamundo mirificè lætus, gratulatus eſt ſibi nonnullâ ſuâ operâ tantum

ducem expeditioni ſacræ acceſſiſſe. Datæ dexteræ & complexus in fidei pignus; aduocatique Balduinus, Tancredus, alijque ſocij ad idem officium. Inde Buamundus, quod & perſuaſerat Bullionius, cum eo petijt aulam Alexij, à quo ſplendidè exceptus eſt. De fœderis legibus deinde conuentum. Buamundus Auguſto clientelam profeſſus ſpopondit a nihil, quod poſthac bello partum eſſet de eius imperio, retenturum, niſi per eum liceret: omnia, quę reciperentur loca de Turcis, præter Hieroſolymam, Alexij futura. Pollicitus viciſſim Alexius fore vt Latinos milite & commeatu iuuaret præſens ipſe. In hæc verba vltrò citroque iuratum à præſentibus & deinceps à ſecutis Latinis proceribus omnibus, excepto Tancredo. Is & in aulam Alexij venire abnuit, negauitque ſe vlli Græco fiſurum, ſemel proditum ab Alexio. Siue eius animum acriùs irritauerat Græcorum ad Bardarium amnem incurſatio, ſiue Buamundus clàm ita iuſſerat, nullo promiſſo Græcis obſtrictus, proripuit ſe cum Normannicis copijs vltra Boſphorum in caſtra Godefredi. Hęc Auguſtum malè habuere, veritum ne in eo facto lateret fraus aliqua Buamundi. Cæterùm ſuſpiciones & animum de more diſſimulauit tacitus. Buamundus quid conſilij agitaret, vulgò prædicabatur magis, quàm ſciebatur. Palàm vultu præferebat non tantùm ſacri belli ſtudium, ſed & alacritatem & gaudium: quamquam, ſi diligentiùs ſpectares, latentis mœroris ſigna omnia celare non

a *Tudeb. Aquen.*

poterat. Officij cauſâ conuenerat Auguſtam in Gynæceo, vbi & inter alias matronas exporrecto vultu ſalutarat Helenam ſororem. At perſpicax illa mox priuatim in conclaui fratrem familiariter interrogauit de cauſâ ægritudinis, cuius quædam indicia obſeruaſſet. Tum Buamundus, vltro, inquit, tibi aperturus eram, ſoror, me ingentem dolorem animo premere. Perpetuâ fortunæ viciſſitudine iactatus ſum à puero: ſed non æquè omnibus meis aduerſis moueor. Priora illa, quæ noſti, de iacturâ opum, imperij, & tantùm non vitæ, animo ſi non æquo tuli, certè magno ſuperaui: at caſu vltimo, tibi adhuc ignoto, conficior. Nempe damnum fortunarum dignitatiſque induſtriâ & virtute reſarciri poteſt: at nullâ reparabilis eſt iactura Conſtantiæ. Subiecit hanc regiam virginem à ſe amatam, & verò ſperatam coniugem. Quam vt à Rege parente obtineret, ideò ſe armis in Græcos, & ad principatum eſſe graſſatum. Omnium riualium maximè ſibi metuendum meritò viſum Bullionium: eo ad bellum ſacrum profecto in Orientem, ſe minori in metu eſſe cœpiſſe, ratum illo campo quæſitum iri Conſtantiam à digniori; quam laudem ſibi non deſperandam putaſſet. Interim abſentibus fortibus viris procum alium eſſe prælatum. Tricaſſinum Comitem Hugonem nullâ bellicâ laude notum, genere quidem propinquum Conſtantiæ, ſed quo prohibendus eius nuptijs putabatur, virginem iam duxiſſe. Hîc cum gemitu ingenti ſermonem abrupit. Soror de acerbiſſimo fortunæ ictu que-

ri : fratris animum mulcere, atque erigere: viro fortiſſimo, nec opes in Aſia, quò tendat, nec aliam ſponſam regiam defuturam. Immò nec ipſam Conſtantiam penitus deſperandam, quandoquidem eius cum Tricaſſino conſanguineo matrimonium non conſiſteret, ſoluendumque aliquando eſſe videretur. Cæterùm id ſaltem Helenæ placuit, Godefredum omiſsâ Conſtantiâ, quam alteri nuptam ſciret, iam cogitaturum de aliâ ſibi coniungendâ. Omnino cupijſſet & Buamundus Helenam placere Bullionio cùm alijs de cauſis, tum vel ideo, ne eum riualem haberet, quamcumque amaturus poſthac eſſet. Et Alexius optaſſet gratiam inter eos iuuenes affinitate firmari, dicebatque identidem Helenæ, Godefredum & fratris amicitiâ, & ſororis amore eſſe digniſſimum. Ipſa ſalutanti per occaſionem Bullionio; gratias egit de reconciliato Græcis fratre, laudauitque humanitatem & beneficam indolem principis, vbique grates, laudes, & amores promerentis. Bullionius ſolitâ comitate ſine amatorijs delicijs ita reſpondit, vt magis magiſque amaretur. Ornabat ſummas iuuenis dotes vrbanitas eò gratior, quòd nihil illo ſimplicius, aut ſincerius; cùm plerique omnes, qui, vt ipſe, diu in aulis caſtriſque verſati ſunt, multum malitiæ vel nolentes condiſcant. Non ille vultu, aut ſermone ambiguus; in verbis omnia aperta, candida, & dicentis ori ſimillima. Interrogatus, quod inerat animo proferebat; ſi hoc vnum exciperes, quòd, quam virginum præhaberet ſponſamque cuperet,

ex illo ſciri non poterat. Anna Comnena Alexij filia, elegantis ingenij & raræ eruditionis matrona, in opere, quo res patris) Attico ſermone complexa eſt, quodque Alexiadem inſcripſit, de ſacri belli ducibus Latinis, quos familiariter nouit, quid ſenſerit, prodidit memoriæ. Ibi Buamundum tradit antejiſſe cæteris proceribus fortitudine, & aſtutiâ, item inopiâ: quippe cui vrbs nulla pareret. Godefredi autem elogium adſcribit eiuſmodi: Ducem opulentiſſimum, nulli generoſitate, nobilitate, fortitudine inferiorem, ſe duxiſſe. Alij tamen Buamundum à Tarenti dominio, quod adeptus erat, Tarentinum appellant. Sed breui erit, cùm calliditate atque induſtriâ magnas opes & titulos acquiret: fortibus autem factis, an ille, an Godefredus præſtet, campus docebit. Sub diſceſſum in Aſiam Alexius à proceribus Latinis rogatus, vt oblatum non ſemel belli ſacri imperium capeſſeret, & iam nunc duceret in Turcas. Verùm ille magna quædam Græciæ negotia excuſauit in præſens, ſecuturumque propediem dixit. Par heroüm Belga & Tarentinus traiecto Boſphoro in caſtra feſtinant, & ab amicis proceribus, vniuerſiſque copijs ſummò excipiuntur gaudio.

LABORUM HERCULIS CHRISTIANI

LIBER QUARTUS.

FAMA conflati belli illius, quod à religione bellatorum Sacrum, à fortitudine a Heroïcum appellatum eſt, non Europæ atque Aſiæ modò, ſed etiam Africæ arma commouerat. Ex ijs ſub ſigna confluxere tot gentes linguis ac religionibus diſſonæ, vt quod geſſere, ſi vllum, bellum humani generis dici poſſit. Non aliàs concurſum maioribus vel copijs vel animis, nec glorioſiùs vnquam de Terræ Sanctæ imperio decertatum. Tantæ expeditioni aduerſus formidabilem Imperatorum trium, Græci, Turcæ, & Saraceni potentiam pares ſe tulere noſtrates Heroës : cum quibus tantum operum geſſit Chriſtianus Hercules, vt hominis vnius hiſtoria videatur orbis eſſe totius. Bello Græco in Europâ (quemadmodum memorauimus) intra paucos dies concito & compreſſo, omnis terror, & belli moles in Aſiam Turcaſque

a *Bargæus.*

verſa. Comparatis rebus illuxit profectionis dies*: tympanorum crepitus, turbarum clangor, nihil prætereà, audiebantur. Equi, arma, tela, vbique in oculis erant. Cùm exercitus ordinati pompa viſu digniſſima eſſet, pauci tamen (vt in caſtris) ſpectatores, plurimi ſpectaculum erant. Tantus omnibus ardor vadendi in barbaros, vt non ad incerta belli viderentur ire, ſed ad certa victoriæ præmia. Duo præſertim duces Bullionius & Buamundus partim fortibus factis, partim ſuâpte fortunâ quâdam ad incrementa gloriæ celebrati conuerterant omnium animos. Vter vinceret, non dico Turcas armis (quod vtrumque facturum non dubitabatur) ſed alterum gloriâ, ingens expectatio erat. Vrbs Nicæa petebatur: quò procedentibus *a* acceſſit cum magnâ manu Flandriæ Comes Robertus, ille opibus & egregiâ virtute Princeps, Godefredo Duci olim bello Flandrico hoſtis, nunc amiciſſimus; merito ſuo conſecuturus in Oriente nobile filij Diui Georgij cognomentum. Comitabatur fratrem Amazon Flandra Gertrudis nuper Henrici Louanienſium & Brabantiæ Comitis fortiſſimi coniunx. Quo Tornaci in haſtarum ludicrâ incurſione perempto ipſa viri deſiderio non victa viriles animos ad bellum ſacrum afferebat. Salute inter proceres, duaſque heroïdes Gundechildem & Gertrudem datâ, quod rei Chriſtianæ benè verteret, vnà proceſſere. Accedentibus ad Nicomediam, vrbem illam natalibus & martyrio Diuæ Barbaræ, & aliorum

a Aquen.

Chriſti Athletarum celebrem, comparantibuſque antiqua tyrannorum tempora cum præſenti Turcarum ſæuitie, miſerabile agmen occurrit. Vir canitie venerabilis præibat exiguo militum Chriſtianorum manipulo; qui ex tantâ, quam adduxerat ille, multitudine ſupererant, Turcici furoris reliquiæ. Exceptus à Godefredo mœſtus ſenex, agnituſque eſt ſacræ expeditionis præco, ſed adhuc belli ſtudio, quàm euentu felicior, Anachoreta Petrus. Narrabat is pleroſque militum ſuorum, tranſmiſſo Boſphoro, licet à ſe monitos, ne ante ducis aduentum progrederentur vltra littoralem Aſiæ oram, neu ſe Turcis longè numero & locorum notitià ſuperioribus committerent, impatientes moræ & imperij, mouiſſe caſtra, præfecto ſibi homine imperito. De Turcis quidem caſtellum Exerogorgum cepiſſe: at eo ſucceſſu incautiores, barbarorum inſidijs circumuentos, & amiſſo caſtello magnâ ſtrage profligatos pluribus locis. Quanta illa (prô dolor) fuerit, Ducem in proximis campeſtribus triſti ſpectaculo cogniturum. Petri orationem excepere lamenta & fletus militum, quos comites & teſtes calamitatis habebat. Bullionius Anachoretam benignè complexus, ſolatuſque milites, lamentis parcere & ſequi ſtrenuè iubet, ſecum Turcis luctum viciſſim lacrymaſque laturos. Nicomediæ triduo recreata ſunt corpora. Vbi cum cognouiſſet iter ad interiora Bithyniæ ſaltuoſum, & iugis dumiſque impeditum, eſſe, præmiſit hominum millia quatuor, qui ad Nicæam vſque, viam & ſecuribus aperirent, & collocatis

ad diuerticula crucibus ligneis indicarent ſequentibus. Deinde paulùm progreſſus ipſe non potuit non vehementer commoueri tragicâ illâ, de quâ narrarat Petrus, ſpecie. Iacebant in campo vltra Nicomediam innumera Chriſtiani agminis cadauera. Quâ planitie mons funeſtior non procul Nicæâ *a* ſurgebat. Videre erat horrendam ſtruem, demeſſa capita, perfoſſas telis caluas, diſruptas vertebras, aliaque humanorum oſſium fragmina in cumulum immanem aggeſta. Turcicæ crudelitatis monumentum non magis id fuit, quàm irritamentum vindictæ Chriſtianę. Bello Heroïco initium dedit in Aſia Nicææ obſidio, *b* quæ ſita in amœnâ vberique planitie, montium iugis eminus ſurgentibus vndique cingebatur, muro duplici, editiſque turribus, & opere perquam ſolido munita. Vrbs Bithyniæ princeps, antiquitate atque Chriſtianâ religione quondam nobilis, tunc cùm ab Europæis obſeſſa eſt, ſedes erat regni, quod præpotens Turca Solimanus quæſierat ſibi, Chriſtianis gentibus à Tharſo Ciliciæ vſque ad Boſphorum Europæ limitem ſubactis. Ipſe loco & præſidiariorum ſuorum virtute fretus aberat, & trans proximos montes copias ingentes contrahebat, totis viribus caſtra hoſtium aggreſſurus. Ita bellum vtrimque ſummâ ope parabatur. Dux *c* Godefredus cum Franco & Flandro ab Oriente pro maiore vrbis portâ caſtra poſuerat, Buamundus à Septentrionibus. Ad Meridiem locus ſeruatus venturis, Sanctægidiano Comiti Raymundo, Robertoque Normanniæ Duci. Ad Occiden-

a *Anna in Alex.* b *Maio an.* 1097. c *Aquen.*

tem obſideri vrbs nequijt, eâ parte munita eximiæ magnitudinis lacu, qui muris ipſis vento incumbente illiditur. Aduexere & Græcæ copiæ ad quadraginta millia. Præerat Tatinus præciſæ naris dehoneſtamento notabilis, verùm prauitate mentis deformior; ab Alexio datus in ſpeciem dux peritus locorum, at reuera caſtrorum inſpector, & ſiniſter rerum interpres. Buamundo non probabatur aduentus Græcorum, ac minimè Tancredo, dicenti Alexium, cùm præſens Latinis prodeſſe nollet, Tatinum miſiſſe, vt abſens quoque noceret. At Godefredus auxilia ad hoc bellum ſine diſcrimine, Græci an Latini eſſent, admittenda cenſebat. Cupiebat quoque aduenire Alexium, & vniuerſis copijs imperare. Ita ſuâ ipſe virtute ſecurus, ſuæque dignationis negligens, vnicè Chriſtianæ rei ſtudebat in commune. Dum ad oppugnandam vrbem fabricantur machinæ, expectanturque reliqui proceres, vicina duo caſtella Exerogorgum & Amca, nequid hoſtile à tergo relinqueretur, obſeſſa. Exerogorgum, quod Nicæâ tertio lapide aberat, facili negotio in poteſtatem venit. At Amca & loci munimento, & Turcæ præfecti pertinaciâ reſiſtebat. Huc Godefredus ipſe diuertit è caſtris cum Anachoretâ Petro, & egregiæ iuuentutis globo, in quo Tiro, perpetuus ille Ducis comes, præ reliquis ſibi nomen fecit inſigne. *a*

Tradit facinus eius *b* Helmoldus, commen-

M

a PRIMORDIA *Tironis Gerardi Aueſnatis.*
b *In Chr. Sclau.*

daturus, (vt profitetur) fidem omni æuo memorabilem. Godefredus arcem oppugnare adortus caduceatorem præmiſit, qui denunciaret præfecto, ni dederet, vltima eſſe paſſurum. Ille per captivum Teutonem de muris hanc conditionem deditionis tulit, prodiret vtrinque in campum pugnator: ſi Turca vinceretur, excederent Arcâ Turcæ; ſin Chriſtianus, omitteretur obſidio. Placuit Duci ſingularis pugna oblata, tum vt ne viderentur Chriſtiani Turcis audaciâ aut virtute cedere, tum vt obſidionis moram abrumperet. Habebat in comitatu iuuenem magnitudine corporis & formâ elegantem Eliam. Quem miſit in arcem, vt pugnæ conſtitueretur dies. Conſpicatus Eliam præfectus eo membrorum habitu, cenſuit ſe non habere in præſidio viribus parem. Ergo ſollicitare iuuenis fidem cœpit, magna pollicitus. Sed nihil effeciſſet, niſi puellæ adieciſſet illecebras. Produxit in conſpectum filiam formâ inſigni, promiſitque iuueni coniugem, & ditionis ſuæ dimidium, ſi pro ſe deſcenderet in ſingulare certamen. Elias oculis pellectus annuit, puellámque ducit, & quod malorum caput, Chriſti ſacra eiurat. Mirabatur interim Dux quid is hæreret, & in vinculis detentum putabat. At poſt ſolemne turpium nuptiarum, rurſus clamatum è muro, cùm primùm paratus eſſet Chriſtianus ad pugnam, Turcam contrà prodíturum. Quo in caſtris audito mirabili alacritate quiſque iuuenum ſe Duci pugnatorem offerre: Petrus Anachoreta ſibi eas partes depoſcere: Dux ſeipſum pugna-

turum dicere. Verùm dehortari illi, & affirmare id infra tanti Principis dignitatem futurum; manus illi viritim non cum præfecto caſtelli, ſed cum Rege aut Imperatore Turcarum conferendas eſſe. In eo dehortantium numero fuit Tiro ille intimus Ducis, qui ætatis flore verbiſque blandus, cùm in ſe conuertiſſet omnium animos, ſic deinde loqui perrexit: En, inquit, magne Dux, tot annis, vt mea eſt ætas, operam nauo tibi deuotiſſimus à puero; nequedum tamen à te, quem liberaliſſimum ſcio, præmij quidquam petij. Per te liceat aliquid nunc poſt tot annos petere, & quod primum petam, impetrare. Cum annuiſſet Dux, orauit ſibi concedi ſingularis cum Turcâ pugnæ decus. Adoleſcentis ingenua, & in pulchro corpore gratior virtus, nec non egregij capitis pro omnibus deuotio rapuit & Ducis, & aliorum omnium animos. Quibus acclamantibus & ſuffragantibus hærebat incertus conſilij Godefredus. Obſtabat caritas ne adoleſcentem intimum, & cum annis, ſi non animi, certe virium incrementa capturum, protinus tanto periculo committeret. Verùm Numini, cuius res agebatur, mouenti confiſus, tandem votorum compotem fecit, & iuſſit armis accingi. Simul in equo conſpectus eſt galeâ, loricâ, & cætero inſtructu ſplendidus, lætitiâ commouit omnes primò; ſed deinde multis inceſſit pietas, non ſine metu & horrore quodam prouidentibus animo proceſſurum contrà mox Turcam mole membrorum ac robore inter ſuos principem, & cum eo comparantibus

tantulum Tironem ſuum. At Godefredus, præpotentem Deum, inquit, cuius auſpicijs militamus, pollicitum à ſe conceſſum iri quidquid nomine ſuo peteretur, oro quæſoque, tibi, Chriſtiane pugil, vt adſit, & quemadmodum adoleſcentem Dauidem à Gigantis ferro vindicauit, ita te nobis incolumem hodie, victoremque præſtet. Sub hęc præeunte Duce in genua reliqui obortis lacrymis prouoluuntur opem diuinam flagitantes. Procedenti in campum Tironi occurrit deſertor Elias, faſtu, quàm corpore elatior, ſedenſque in equo ſuperbè inſtructo & tinnulo. Quippe cuius phaleris noua nupta crebra tintinnabula ſubligarat, tum ad luxum pompamque, tum ad incutiendum equo hoſtili terrorem. Verùm Dux gnarus Turcicarum fraudum, auertendi periculi causâ curarat Tironis equo aures lanâ & pice obſtruendas. Datum pugnatoribus liberum ſpatium, Turcis è muro, Chriſtianis è caſtrorum aggere ſpectantibus; intentis vtriſque in euentum non duorum modò, ſed etiam ſuæ ſortis: quippe victoriam alienam ſecuturis. Primo equorum concurſu haſtæ amborum fractæ, & pugnatores ad pedes deuoluti. Inde ſtrictis gladijs geſta res: Alternis ictibus corpora appetere; nunc caſſidis, nunc loricæ aditus mucrone rimari, & diu inuicem arte artem eludere. Tandem cælo precibus piorum fauente valido Tironis ictu vaſtus Elias corruit. Conanti à terrâ exurgere incubuit Tiro, & frementem intento in iugulum enſe, quis ſit, interrogat. Alter alterum tunc non norant,

antè non modò inter ſe noti, ſed etiam ſingulares amici. Reſpondente illo Eliam ſe eſſe, obſtupuit Tiro hominis perfidiâ, ac fortunâ. Et, quid, inquit, hic te valiturum putaſti, Duci, Deoque perjurum? Tam inaudito ſcelere obſtrictus quomodo aduerſus noſtrûm vel minimum ſtare potuiſſes? pudeat nunc ſaltem, pigeatque perfidiæ. Ageſis Numinis miſericordiam implora, & veniam ex animo pete; Deo placato & Ducem placaturus. Abrumpe ſalutari pœnitentia faſcinum infamem & priſtino animo mecum caſtra repete. Id ſi facturum ſpondes, non modò vitæ tuæ parcam, ſed etiam fortunæ conſulam. Priſtinæ tuæ fidei & amicitiæ memor, tibi ſororem meam collocabo, & dotis nomine è quatuor vrbibus, quas iuris mei eſſe noſti, duas attribuam. Ad quæ ille inſtinctus furijs reſpondit ſe iam initiatum Turcicis ſacris & Turcicis nuptijs non pœnitendis, turpiuſque deſertorem fore ſecundùm quàm fuiſſet primùm. Cui Tiro, cùm Chriſtianus viuere nolis, ergo Turca morere. Quo dicto peruicacem obtruncat, & caput in caſtra relatum oſtentat non minùs ad agnitum perfidiæ monſtrum ſtupentibus, quàm ad ſtupendam exultantibus victoriam. Gratiæ Numini ab vniuerſis actæ, ſpeſque concepta ingens, poſt tale auſpicium, pijs contra impios in reliquis affuturum cęlum. Deditâ arce, Godefredoque in caſtra ad Nicæam reuerſo, fama victoris adoleſcentis vbique celebrata eſt: Subierat omnes cupido ſpectandi vultum noſcendique patriam, genus, nomen eius, qui tirocinium tam grande po-

ſuerat. In horum notitiam cum illis mihi quoque nunc inquirendum eſt. Eum Tironem fuiſſe Godefredi ſororis filium putauit Helmoldus. Et verò aderant ibi cùm patre Cunone Montacuto Comite tirones duo ſtrenui ex Idâ Godefredi ſorore ſuſcepti, Gothilo & Lambertus: ſed in neutrum eorum vel nomen victoris adoleſcentis, vel alia ab Helmodo ipſo ſuprà allata conueniunt. Victorem illum non modò Principem adoleſcentem eſſe oportuit, qui plurium oppidorum dominus eſſet, ſed etiam patriâ poteſtate iam ſolutum, qui & de ijs, & de ſororis nuptijs ſtatuere poſſet. Atqui hæc egregiè quadrant in adoleſcentem alterum, indole, fortitudine, Godefredi Ducis neceſſitudine eximium, & belli exitu magis etiam quàm exordio memorabilem, Gerardum Aueſnatem. Hunc Aquenſis Albertus, expeditionis Heroïcæ locupletiſſimus inter omnes auctor, præſignibus titulis ornat. Hunc egregium, hunc ſtrenuum adoleſcentem prædicat, &, quod laudum caput eſt, hunc Duci Godefredo DEVOTVM ET DILECTVM militem appellat, quo elogio nullum alium è belli proceribus ornatum inuenio. Vbi vocabulo deuotionis, quemadmodum Helmoldus, ita & Albertus vtens, videri poteſt alludere ad Heroïcum animum, quo heſterno pugnę diſcrimini caput ſuum Tiro pro duce exercituque deuouerat. Genus *a* referebat ad antiquiſſimum Burgundiæ Ducem Gerardum Ruſcinonenſem è Magni Caroli bellatoribus vnum. Qui cum & Comes

a *Annal. Hanon. Paradin.*

Bracbanti fuiſſet, quæ vetus eſt cis Flandriam ad Scaldim ditio, repetiere hanc auito iure poſteri. Partem eius Lutoſam, Condatum, aliaque loca poſſedit Comitis Hannoniæ beneficio Vuedricus Aueſnę Dynaſta, quo genitus eſt Gerardus, de quo mihi ſermo. Moriens Vuedricus tres liberos reliquerat, Theodoricum, Gerardum, & Addam. Theodoricus celebratus Lætienſis aſceterij inſtaurator occiderat inter venandum nuperrimè, cùm Gerardus frater bello ſacro nomen dedit, multum reclamante Addâ ſorore. Fratrem adoleſcentem, formâ, & indole inſignem Godefredo Duci nuper comitem bello Italico militaſſe æquiore animo tulerat. At non ferebat nunc tam longè à ſe atque à patriâ periclitari inter hoſtes barbaros heredem paterni principatus vnicum, ſibique non minùs ob alia carum, quàm quòd frater eſſet. Omnes in eo iam agnoſcebant dignitatem oris ante annos pubeſcentem, mirantéſque proſpiciebant virtutem mox ſe prolaturam, heroïcę illi auitæ ſimillimam. Verum aiebat Adda fratrem eſſe in eâ ætate valentiorem formæ illecebris, quàm firmitate lacertorum; nec parem adhuc tanto vel itineri, vel labori. Reſpiceret ſe tantiſper, ac ſororis mœrorem; & priuſquam longinqui belli diſcrimen adiret, conſuleret Aueſnenſi nomini, ac poſteritati. Eſſe virginem ſpecie ac genere inſignem, Agnetem, Comitis Anſelmi Ribodimontij filiam, quæ eum coniugem optet, ipſa optanda. Verùm minùs valuit apud Gerardum Agnetis amor, quàm Anſelmi patris exemplum. Huic ad bel-

lum ſacrum proficiſcenti iunctus cum Engelramo Sanpaulano æquali ſuo Godefredum Ducem ſecutus eſt, & magnitudine animi penſauit ætatem. Nicæa fabricatis machinis impugnari cœpta. Sed non procedebat res principiò: obſtabat tum præſidiariorum virtus, tum loci munimentum, atque imprimis opportunitas lacus mœnia ſubluentis, per quem auxilia, commeatus, & quæcumque vſui erant, inuehi poterant. Inter hęc nuncius Turca intercipitur, à quo reſcitum, Solimanum Regem craſtino die impreſſionem in caſtra facturum. Quæ res ad præſens periculum aduertit omnium animos. Bullionius curſorem equo citatiſſimo miſit ad Raymundum Sanctægidianum Comitem, qui Conſtantinopolim peruenerat, oratum vt ſocijs in præſenti diſcrimine ne deſit, cogitetque, vt belli initia ceſſerint, famam in cætera fore. Rex Solimanus copias diuiſerat in agmina duo, callido a hoc conſilio, vt altero oppugnante ad Orientem Bullionij caſtra, alterum per patentem campum ad Meridiem (neque enim ibi vllum Chriſtianorum adeſſe aut adfuturum putarat) portam vrbis aduerſam ſubiret, & per auerſam egrediens Bullionium in caſtris à tergo nil tale expectantem opprimeret. Ita Dux vtroque agmine petebatur. Verùm nec pugnatorum virtus, nec propitium numen defuit. In tempore & loco aduenere auxilia. Euocatus à Godefredo Raymundus, nulla interpoſitâ morâ poſt Ademarum Anicienſem Epiſcopum aduolarat, & cum

a Rey. Agiles.

eo *a* Amazon Hiſpana. In aduentu tantorum hoſpitum ſpatium eos ſalutandi noſcendique inter amicos proceres non dedit hoſtis aduentus. Vix Raymundus Heroïdem ſuam in deſignatum ad Meridiem locum caſtrorum duxerat, vix tentoria poſuerant primo mane; cùm Solimanus è montibus adeſt horâ tertiâ, & bipertito, vt decreuerat, agmine impetum facit. Ipſe cum eorum altero validiſſimo, quà crediderat ſe per vacuum campum irrupturum in vrbem, obiecta Raymundi caſtra & Hiſpanum robur inuenit. Balduinus Ducis frater animaduersâ Hiſpanorum caſtrorum ſimul virtute, ſimul periculo, ſocios ad opem ferendam hortatur. Ne expectent, dum ab Amazone nuncius auxilium petens adſit: periculum ipſum, & mutuam fidem, & ſociales Diuos id poſcere. Demerendi beneficio tam nobilem Heroïdem, & Chriſtianæ rei conſulendi nunquam parem occaſionem datum iri. Mox procurrens ante ſigna erigit aciem, iunctuſque Raymundi & Amazonis copijs ſtrenuè Solimani impetum ſuſtinet ac retundit. Interim alterâ parte caſtrorum Godefredus cum Franco & Flandro, Boamunduſque cum Tancredo & Guilielmo cæteriſque procerum laxatis habenis in medios hoſtes inuecti plurimam cædem edebant. Quo cognito Solimanus opinione falſus & vtrimque repulſus, ſigno receptui dato in montes ſe ſubduxit. Tum inter victores ſalutatio, & gratulatio facta. Frequentes proceres in tabernaculum Raymundi & Hiſpanæ Amazonis,

M 5

a *Guib. Abb. Rod. Tolet.*

conuenere. Quæ cùm cæteris, tum Balduino auxiliatori ſuo plurimum ſe debere profeſſa eſt. Ibi cognitum eam Eluiram appellari, & nobiliſſimæ ſtirpis, atque indolis eſſe. Filia erat Alphonſi cognomento Magni Hiſpaniæ Regis, quam pater in matrimonium collocarat Raymundo, propter egregiam nuper in Hiſpaniâ nauatam aduerſus Mauros operam. Vir fortis in conflictu orbatus altero oculo ſolebat hac notâ gloriari, quòd nempe quemadmodum eâ referebat Hannibalem & Alexandrum Philippi Macedonis fratrem, ita eſſet relaturus virtute. Luſcum fortuna, ſenem natura fecerat, ſed neutra efficere potuerat, vt parum aut videret mente, aut animo vigeret. Eluira coniugem bello ſacro comitata cum filiolo Bertramo & claris Hiſpanis, Ceretariæ & Cannetenſi Comitibus, addidit forti propoſito conſtantiam, & non vnum virilis animi facinus. Guilielmus Aquitaniæ Dux ad eandem expeditionem ſecuturus, vt haberet vnde ſumptus faceret, Toloſam dotem vxoris ſuæ Philippæ oppignerarat Raymundo eius patruo. Hinc Raymundus Toloſæ pariter & S. Ægidij Comes appellatus. Poſt aliquanto quàm ad Niceam aduenit, nunciatur vltimum, quod in præſens expectabatur in caſtris, aduenire agmen Roberti Normanniæ Ducis. Erat Robertus Guilielmi Rufi Anglorum Regis frater, is qui Mathildis nuptias nuper ambierat. Habebat in comitatu Alanum Fergandum Britonum Principem, Stephanum Bleſenſium & Carnotenſium Comitem, alioſ-

que claros proceres, inter quos eminebat ætate & armorum elegantiâ nobilis Belga, Normanno Duci carus in paucis, Euſtachius. Proceſſere his obuiam Godefredus Dux, Hugo Magnus, Buamundus, Raymundus, Robertus Flander, alijque procerum. Nec defuere officio huic Heroides Eluira, Gertrudis, Gundechildis, licet hæc ab aliquo tempore minùs bellè haberet. Roberto Normanno erat elegans, feſtiuaque indoles, & quidlibet dicendi libertas ingenua. Solebat interſerere ſerijs iocos, & ſubinde delicias amatorias, in quas non parùm propendebat. Poſtquam gratulatus eſt felix belli auſpicium omnibus, ac nominatim Amazonibus, verſus ad Raymundum, ac Balduinum Bullionij fratrem, priuatim gratulatus ijs adeſſe coniuges Eluiram & Gundechildem, quarum & conſpectu & ope impellantur ad magna. Nec illibenter, inquit, viderit hîc regiam ſuam Scotam noſter hic Belga. Cum id diceret, intuebatur amiciſſimum comitem, quem dixi, Euſtachium. Aduerterat Hiſpana hunc antè exceptum à Duce Godefredo cum tenerioris beneuolentię notis. Quiſnam is eſſet, interrogauit adſtantem Gundechildem. Quæ cùm reſpondiſſet Euſtachium eſſe Godefredi ac Balduini ſui fratrem; Euſtachius audito de ſe ſermone, decorè veneratus Hiſpanam, ſi, inquit, in tantâ Heroüm & Heroïdum multitudine mea fama latet, certe eſt cur claritate officientium meo nomini me conſoler. Cui Eluira, non poteſt, inquit, tua fama in obſcuro eſſe, cuius præconem habes

Regis Anglorum fratrem, teſtemque regiam, quam amare te audio, Scotam. Interim Normanniæ Dux intulerat de Mathilde ſermonem, deque Guelſone ab eâ digreſſo, & cauſis mirabilis eius ſeceſſionis, quas nemo meliùs vel norat, vel tacebat, quàm Godefredus. Normannus Dux, Godefredo quoque delicias faciens, vouebat vt ei adeſſet bello quam maximè caram meditaretur ſibi vxorem iungere. Ad hæc Bullionius placidè grauiterque ſubridens dixit nunc ſacræ expeditioni totos animos vireſque deberi; eâ perfectâ vacaturum quibus id cordi eſſet, de ducendis vxoribus cogitare. Sed nulli iniucundior acciderat, quàm Buamundo Roberti oratio, quâ reuocabatur ei in memoriam amiſſa Conſtantia, præſertim adſtante lateri Roberti Comite Bleſenſium Stephano. Quippe quem Buamundus non poterat ſine gemitu intueri, nimirum fratrem Tricaſſini Comitis Hugonis, qui regiæ illius Francorum Principis nuptias occuparat, à ſe heu fruſtra ſperatas. Roberto & ſocijs in ſua caſtra perductis reuerſus ad prætorium Godefredus cum duobus fratribus & Anachoretâ Petro familiariùs Euſtachio collocutus. Sciſcitanti de Mathilde, referebat Euſtachius ſe conueniſſe eam, & Heroïdem abſolutiſſimam admiratum. Guelſonem ab hac digreſſum Henrico ſe iunxiſſe. Vtrumque Italiâ iam exiuiſſe. Gibertum, licet item abſentem, ibi tamen adhuc turbare per ſuos. Romæ *a* in ipsâ Diui Petri Baſilicâ viſos à ſe latrones Gibertinos.

a *Fulch. Carnot.*

Hos ſtrictis enſibus identidem ſuperpoſita altaribus dona eripere: curſitantes in trabibus deuoluere lapides in orantes: quemcumque aduertant Vrbano ſtudere, conari de medio tollere. Cæterum vicinam arcem teneri Vrbani præſidio. Mathildem, licet compeſcendis Gibertinis intentam, tamen Godefredo auxilia polliceri, & claſſem parare. Neque animum Heroïdis, neque verò corpus abſuturum à bello ſacro, ſi per res Italiæ liceat. His audiendis magnam cepit animo voluptatem Dux; nec minorem Anachoreta. Is inter tres fratres quondam alumnos & diſcipulos ſuos, nunc tantos principes, velut triumpho quodam exultabat. Ab ijs impensè, atque adeo ab alijs omnibus colebatur, etiam ſupra inſignes, qui plures in caſtris aderant, Antiſtites. Senex, animo & corpore etiamnum validus, religione & fortitudine clarus, priſcæque grauitatis eximium ſpecimen. Iam ſpectabat fructum laboris ſui inclytus belli præco, collectam immenſam bellatorum multitudinem. Fidem ſuperet, niſi Fulcherius Carnotenſis vir ſacrati ordinis & *a* oculatus teſtis memoriæ prodidiſſet. Conflatum ad Nicæam ex omnibus procerum copijs exercitum tantum fuiſſe teſtatur, quem periti numeri æſtimatores cenſuerint ad ſexies centena millia bello valentes milites (non annumeratis inermibus, nec hominibus ſacris, feminiſve, aut pueris) equites vero loricatos ad centum millia perueniſſe. Admirandâ multitudine mirabilior

a *Fulch.*

etiam fuit multitudinis *a* animorum coniunctio, compoſitioque caſtrorum. Diſciplina militaris vigebat non magis ducum mutuâ caritate & vigilantiâ, quàm exemplo. Ipſi excubias non rarò, ipſi alia munia gregariorum obibant. Neſciſſes quid dux à milite, quid miles à duce differret. Fratres inter ſe appellabant omnes, nec fraternum nomen modò, ſed & officium vſurpabant. Ita habebant communia omnia, vix vt quiſquam proprium aliquid diceret. Certatim conſilio ac re iuuare, in partes ſubire, pro ſe mutuò laboribus periculiſque defungi. Quæ res eo mirabilior, quòd ibi verſabantur procerum plures antè inter ſe profeſſi aduerſarios æmulatione gloriæ, amorumque certamine. Quotidie de virtutibus, atque imprimis de pudicitiæ laudibus, dicebant ad concionem Epiſcopi, quorum princeps Vrbani Pontificis vicarius Ademarus Aniclenſis Antiſtes, conſultiſſimus omnis humani diuinique iuris. Proſtibulum exulabat à caſtris, potiſſimumque erat de morum honeſtate certamen. Si quis in culpam inciderat, palàm increpabatur, vel etiam grauiùs luebat. Manè Sacerdotibus ad aram facientibus milites, duceſque aderant: veſpertino cultu cæleſtem opem implorabant, mediâ quoque nocte vigiles non magis ad excubias quàm ad hymnos, pſalmoſque concinendos. Clauſtra religioſa, non caſtra dixiſſes. Planè vt nemini mirum videri debeat tam ſanctis armis adfuiſſe Deum, Deique Matrem. Adeo compo-

a *Baldric. Æmil.*

ſiti exercitus tunc nullus dum, niſi Chriſtus, imperator. Dum Alexius Auguſtus expectatur, aut alius rerum ſummæ præfuturus eligatur, coibant proceres, eoque, quod major pars eorum decreuerat, ſtabatur. Aduerterunt minùs procedere obſidionem ideo, quòd Rex Solimanus vrbi ſuppetias identidem ſubmitteret per lacum. Quibus intercludendis naues ab Alexio petitæ ex fœdere. Imperatæ ab hoc portuenſibus, & mox impoſitæ curribus, terreſtri ſeptem milliarium itinere noctis ſilentio in caſtra peruectæ. Manè in lacu apparuere, obſidentibus læto ſpectaculo, obſeſſis metuendo. Proceres pro ſe quiſque obiectam murorum partem machinis, teliſque quatiebant. Verùm defendebat eos ſua altitudo ac firmitas, viſque pertinax barbarorum. Cæterùm Raymundus cum Amazone Hiſpanâ tandem ſtrenuâ iaculatione principi vrbis turri labem intulit. Indè molitur ingreſſum; at ponè exaggeratâ ab oppidanis lapidum mole prohibetur. Eodem vineam arietemque cùm egiſſet, illi vtraque iniectis ignibus abſumpſere. Quo ſucceſſu feroces militem noſtrum eminus telis, cominus ſaxis ſubmouere; propiùs ſubire auſos vncis ferreis iniectis in murum attrahere, fœdeque laceratos in caſtra tormentis rejicere. Eminebat a inter barbaros ferociâ quidam, non viribus modò, ſed & membrorum mole habituque terribilis. Is arcu magnam in Chriſtianis edebat ſtragem, proceresque prouocatos telis & contumelijs inceſſebat; deſides appellans ac timidos. Ipſe vt erat in

a *Agiles, Tyrius, Paris.*

muro expoſitus, à pluribus oppugnatorum appetitus fixuſque eſt ſagittis. Verùm hæ clypeo loricæque inpactæ, partim impetu ſubſilientes, partim trans arma adactæ vi langueſcente non ſatis ponderis habebant ad barbari cædem. Idem, mirum dictu, vulnerum vitæque contemptor, abiecto clypeo nudatum pectus telis cunctorum expoſuit non ſpecie magis quàm deſperatione formidabilis. Tum ſaxa immania in medios oppugnatores manibus ambabus torquere cœpit. Fidem excederet, niſi qui vidère, retuliſſent. Viginti ſagittis ad præcordia hærentibus licet fixus, nec manus à iaciendis ſaxis, nec linguam à contumelijs continebat. Quo obſeruato Bullionius ſuorum nec damna nec ludificationem tulit. Correpto arcu ſortitus locum vulneri, barbarum telo per vitalia adacto exanimem è muro in foſſas præcipitem dedit. Sublato multitudinis gratulantis clamore, priuatim facinus Ducis ſui, cui nunquam non aderat, Gerardus Aueſnas ſemel iterumque exiliens, plauſu & laudibus proſecutus eſt. Ita erectis omnium ad oppugnationem animis Longobardus è ditione Mathildis præfectus fabrûm, & peritiſſimus machinator offert ſe Godefredo, polliceturque machinam, quæ rem conficiat. Promiſſa viciſſim merces quindecim pondo Cartanenſium nummûm. Ille in opus incubuit. a Vinea tecto decliui ſtructa, munitaque cratibus latera. Sub eam Longobardus cum ſocijs ſuccedit. Armati collatis viribus machinam vltra

a *Aquen.*

vallum ad muros vſque propulere, Turcis igni & ſaxorum grandine fruſtra prohibere conatis. Longobardus ad fundamenta principis turris acto cuniculo, ſuffoſſos pedetentim muros, ne ante perfectum opus corruant, validis trabibus fulcit. Tum ſarmentis, ſtipuliſque ſuppoſitis ignem injici curat. Media nox erat, cùm repentè exortus fragor vicino lacu montiumque iugis repercuſſus adeo immanis exſonuit, vt excuſſo omnibus ſomno non modò obſeſſis atque obſidentibus, ſed etiam procul agenti vltra montes Solimano Regi horrorem incuſſerit. Euoluebatur è ruinâ turris immenſa pulueris nubes, quæ oculis proſpectum omnem eripuit geminatis tenebris noctis. Interim ex vrbe naues aliquot inter caliginem ſoluentes, per lacum occulto lapſu tentabant effugere. Verùm feſtinatione atque ipſo latendi ſtudio proditæ ſunt. Exaudito remorum ſonitu cinguntur concurrentibus Chriſtianorum vigilum nauigijs, agnoſcunturque Turcicæ. Inclamatur vectoribus, niſi ſe dedant, paſſuros vltima. Trepidi & paratiores fugæ, quàm pugnæ, cùm nihil admodum repugnaſſent, Chriſtianus victor iniecto vnco in prætoriam inſilit. Ibi ex conclaui lugubris vlulatus planctu permixtus auditus eſt. Illatis inter arma luminibus apparuit intùs nobilium feminarum turba: inter quas vna oris dignitate & regio gradu præſtans conuertit ad ſe oculos animumque victoris. Quem cum ſupplici geſtu ac voce propitiaſſet, poſtulauit ſe deduci ad eum procerum, quem nuper Auguſtus Græcus adoptaſſet,

Coierant in tabernaculum proceres, deliberabantque de conditionibus accipiendæ in deditionem vrbis. Ad a eam enim faciendam perpulſi erant terrore oppidani tum ob ruinam principis turris palatio regio proximæ, tum ob fugam Reginę, quam noctu cum liberis clàm exceſſiſſe per lacum iam compererant. At hæc, dum fugam intendit ad maritum Solimanum, capta, & in caſtra perducta ſiſtitur Duci. Regina ætate florens ſic ad habitum præſentis fortunæ compoſuerat vultum, vt retineret majeſtatem. Erant ad latera parvuli duo ſortis ſuæ ignoratione ſecuri. Sequebatur nobilium feminarum & captorum aliorum ſupplex agmen. Reginæ intranti prætorium in limine Godefredus occurrit. Quem in medio procerum conſpicata inſignem cultu habituque corporis, & Ducem eſſe ex his ſignis, vel ſi non eſſet indicatum, intelligens, genibus eius parvulos duos admouet, atque ipſa aduoluitur. Tum, licet, inquit, felicitate tuâ ac virtute conſecutus ſis, vt in nos poſſes omnia, Dux parente Auguſto digne, tamen oro quęſoque viciſſitudinum fortunæ memor, cogites ſummum virtutis eſſe clementer in victos vti victoriâ. Precibus blanditias addituram non eſt paſſus plura dicere Godefredus, & remoturus ab oculis procerum barbaræ illecebras nocituras, breuiter reſpondit: Quidquid in eam ſtatueretur, experturam quantum inter Chriſtianam humanitatem & Turcicam ſæuitiem intereſſet. Interim Solimanus Rex, cognorat heſterni fragoris nocturni cauſam hanc

a *Tyrius*.

fuiſſe, turrim regiæ ſuæ proximam, magnitudine atque opere præcipuam, in quâ propugnandâ Turcæ, vt in oppugnandâ Chriſtiani, induſtriam vireſque conſumpſerant, ſuffoſſam corruiſſe. Id ille pro eo, ac debuit grauiſſimè tulit. Verùm audito Reginam coniugem ſuam turris ruinâ conterritam, dum ad ipſum fugam intenderet, captam cum duobus filijs in poteſtate Ducis Chriſtianorum eſſe, dici non poteſt quo animi ſenſu fuerit. Amor, & amoris ſtimulis exulceratus dolor, atque ira, limites omnes exceſſerant. Inclamat arma, belli proceres orat atque obſecrat, ſecum prouolent, & coniugis pudori vtbique pereunti ſuccurrant. Huic bello, Chriſtianorum cladibus prius quàm Turcarum inſigni, finem imponant initio ſimilem. At dum in procinctu eſt, audit præſidiarijs ſuis cum turri cecidiſſe animos, conſternatoſque vrbem dediſſe. Qui malorum cumulus animum Solimani deſperatione non minùs, quàm furore impleuit. His inſtinctus de rei ſummâ ſtatuit acie decernere. Legatos ad Turcarum Imperatorem, Regeſque Turcas, & Arabes auxilia petitum miſerat, omnemque Orientem aduerſus Latinos armarat. Iam concurrerant ad eum ducenta Turcarum millia, equites omnes, Satrapæ ac Reguli plures, atque in his Boldagis filius Acciani Antiochiæ Regis. Solimano quidam amicorum auctores erant, vt Arabum ſuppetias, quæ haud procul aberant, expectaret, ac eorum præſertim magno Satrapæ fideret, viro Giganteæ molis ac virtutis. Verùm nullam moram interponi paſſa eſt præceps

ira : præſertim ex quo cognouerat Chriſtianos ab Nicæâ Syriam diuiſis agminibus petere, & eâ diuiſione exercitum velut ad paucitatem redactum præbere ſe opportunum cladi. Captam a Nicæam proceres ex pacto reddiderant Alexio, non paucis militum frementibus, quòd opulentam vrbem, quam ſe direpturos ſperarant, intactam Græco reliquiſſent, vnaque cunctos bello captos. Motis caſtris bidui itinere progreſſi iunctis agminibus ad pontem quendam noctem egerant. Quo tranſito digreſſi in diuerſa. Godefredo ad dextram tendente cum maiori exercitus parte, Buamundus luce adhuc dubiâ profectus cum Normanniæ Duce, & Bleſenſi, ac Sanpaulano Comitibus declinauit ad læuam, atque in vallem nomine Gorgoniam deſcendit, Quod ſiue errore, ſiue de induſtriâ, certè inauſpicatiſſimè fecit. Poſtero die ſpeculatores, qui circum caſtra in montibus locati erant, ſub auroram trepidi nunciant, Solimanum adeſſe, & copijs immenſis circumſtantes montes implere. Stupuere proceres, caſtra turbata tanto tumultu, vt nec conſuli ordine duces, nec pacatum reſponſum arma nunciantibus arma ipſi capientes dare poſſent. Cæterùm Buamundus conſuetâ animi magnitudine cum Roberto Normanno equeſtrem aciem ordinat, quam educat in hoſtem, pedites in caſtris relicturus. Præterfluebat locum riuus arundineto inumbratus. Secundum hunc tentoria poſita, & currus paribus interuallis circumdati : ibi collectæ feminæ, pueri,

a *An.* 1097. 20. *Iunij.*

peditumque præſidium. Buamundus curſorem citato equo nunciare Godefredo iubet ſociorum periculum. Sed is ad duo milliaria iam proceſſerat, & commodo loco caſtra poſuerat. Eodem ipſo mane ſub horam tertiam Solimanus adeſt terribilis cum ducentis millibus equitum ſagittariorum, & trepidationem auget in caſtris. Turcæ primùm imbre ſagittarum inceſſere Chriſtianos, qui metuentes equis ſuis, ſpatium ſublaturi iaculationi hoſtili, admiſſis habenis propius hoſtem inuehuntur. At hi more gentis refugiunt diuiſi, ac nihilo minùs auerſis petunt ſagittis inſequentes. Quibus in ordines redeuntibus, redeunt & ipſi collecti, ſagittiſque plurimos equos viroſque convulnerant. Quo impetu Chriſtiani equites ad tentoria vſque repulſi. Æſtuans Buamundus, age, inquit, pugnando potiùs, quàm hortando accendamus animos. Sic in hoſtem infeſtus haſtâ prouolat, totamque ſecum rurſus mouet aciem. Prælium, quàm prius, atrocius fuit: duces non ad regendum conſilio rem ſolùm adfuere, ſed ſuiſmetipſis corporibus dimicantes ſubiere diſcrimen. Normannus Robertus erecturus ſuorum animos auratum vibrans haſtæ vexillum, & militarem teſſeram inclamans Deum hoc velle, Regulum Turcam confecit. Nihilo ſecius fratres Tancredus, & Guilielmus ciebant pugnam, certi mori priùs quàm fugere. Nec vllus erat effugio locus. Multi Chriſtiani ferro cadebant, pluresque æſtu perituri erant, niſi feminæ, victo malis muliebri pauore, auſæ è tentorijs prodire, & inter arma ſe inferre, hau-

ſtam è riuo aquam præbuiſſent laborantibus. Tancredi frater *a* Guilielmus ſatrapam Turcam magnificè armatum conſpicatus concitum calcaribus equum egit in eum infeſtus haſtâ: nec ſegniùs in venientem dirigit arcum Turca. Præ animi impetu, neuter, dum alterum vulneraret, ſui protegendi meminit. Guilielmus ſimul haſtâ Turcam transfixit, ſimul ab eo ſagittâ perſoſſus eſt; quâ extractâ præceps in vulnus obijt in oculis auunculi Buamundi. Quo cognito Tancredus dolore percitus dum vlturus fratrem in medijs hoſtibus fulminat armis, vitæ ipſe prodigus, & immemor ſui, vndique telis petitus, vix & inuitus mortis periculo à Buamundo eripitur. Inclinatâ acie, multi Chriſtianorum terga verterant. Nec vllis fœdam fugam monitis, aut minis poterant ſiſtere duces. *a* Pars hoſtium inſecuta tranſito riuo tentoria, atque in ijs pedites,& ſexum imbecillem inuaſerat iuſſu Solimani vxorem requirentis. Exortus clamor ingens, & vlulatus nobilium fœminarum, quarum pleræque periculo conſternatæ: quædam tamen animi tenaces, potum miniſtrare pugnantibus pergebant, & in tentoria trahebant ſauciorum corpora. Iam ab horâ tertiâ matutinâ ad nonam extracto præliô fatigati Chriſtiani, oppreſſique multitudine cedebant. Diripiebant hoſtes caſtra inualeſcentibus cædibus, nec vlli parcebatur ætati. Non paucæ virgines teneræ ac nobiliſſimæ imminentis. mortis horrore offerebant ſe ipſæ Turcis, vt formarum illece-

a *Aquen*, b *G. Tyr.*

brâ capti parcerent vitæ captarum. Paſſim abſtrahebantur corpora cum ſpolijs. Multi militum per tentoria nihil iam pugnæ intenti re deſperatâ ad precationes verſi gemitibus auras implebant, numenque propitiabant confeſſione meritæ per noxas iræ diuinæ. *a* Ecce autem in monte vicino lucentibus aduerſo ſole armis vexilliſque, globus equitum (quinquaginta erant) conſpectus habenis admiſſis accurrere. Quem Buamundus circumacto equo ſpeculatus notauit in ſignis cruces, oſtendenſque militibus inclamauit aduenire ſociorum auxilia, propitium numen in tempore rem Chriſtianam reſpicere, adeſſe Ducem Godefredum ſtragem in hoſtes verſurum. Et verò Godefredus monitus per curſorem de fratrum periculo, dolore percitus, vniuerſis agminis ſui iuſſis arma corripere, ipſe *b* cum quinquagenis equitibus præcucurrerat; quem ſequebatur ex interuallo Hugo Magnus cum ſexaginta equitum millibus, & deinceps reliquus exercitus. His obſeruatis repentina atque ingens lætitia periclitantium Chriſtianorum animos inceſſit, in ſpem ex deſperatione conuerſos. Cecinere de integro ſigna. Qui terga dederant, obliti vulnerum ac laboris in prælium ordineſque rediere, & quaſi tunc primùm commiſere pugnam. Solimanus rei nouitate attonitus principiò, dein animaduerſo & ipſe auxilio Chriſtianorum, recepit ſe in montem accliuem cum potiſſimâ copiarum parte, cumque captiuis & ſpolijs. Ibi aciem denuò diſpoſuit. Bullionius

a *Aquen.* b *Idem Aq.*

militi oſtendens hoſtem ſecedentem, trepidat, inquit, iam Solimanus, nec vlli rei, niſi loco fidit. Captat tumulum, cliui fiduciâ, non virtutis. Sed magis ardua mœnia habuit Nicæa, vbi eum modò vicimus Deo adiutore, qui neque hîc deerit nobis. Ita ſuos hortans copias ordinabat. Ipſe *a* in dextro cornu ſtetit cum fratribus Balduino, & Euſtachio, amicisque Franco, Flandro, Aueſnate: in ſiniſtro Buamundus, Normannus Robertus, & Bleſenſis: quibus adequitabat Toloſanus, Epiſcopo Podienſi curſum ad hoſtium terga flectente. Vniuerſi velut conſpiratione quâdam animorum, ſigno crucis frontibus impreſſo, & teſſerario illo clamore, DEUS VULT, ſublato, in hoſtes inuehuntur. Pugna Chriſtiana ſtabilis & ſuo, & armorum pondere incumbentium in Turcam: concurſatio, & velocitas illic major quàm vis erat. Continuò verſa belli fortuna, non ſuſtinentibus impetum Barbaris. Bullionius ordines perturbatos irrumpens *b* cum amico Hugone, Solimanum fœdam in fugam coniecit, de Regno, & recuperandâ coniuge Reginâ deſperantem. Victor barbaros *c* vltrà ſua caſtra palantes ſecutus ad ſex millia paſſuum partim cædit, partim capit potitus caſtris eorum, omnique annonâ, & impedimentis, ac magnâ vi auri argentique. Inſuper prædas recepit & captiuos, atque in ijs puellas nobiliſſimas, quas ad libidinem abducebant. Cæſi in præliô Turcæ ter mille: Chriſtiani

a *Tudeb. in geſt. Fran.* b *Guib. Abb.*
c *Aquen.*

ſtiani quater mille ceciderant. Bullionio ad arundinetum caſtrorum reuertenti fit ab omnibus gratulatio, quòd ſocijs in extremo diſcrimine, quòd feſtinus, ac primus adfuiſſet. Nobiles feminæ præſertim præ ſubitâ lætitiâ vix ſui compotes, liberatori grates egere. Causâ deinde attentâ periculi, in quod inciderant, & quo Bullionij virtute euaſerant, primùm decretum in commune eſt, ne in poſterum diuiderentur agmina; deindè actum de ſummo vno duce eligendô, qui vniuerſis prouidentiâ, & belli ſcientiâ conſuleret, ſaltem quoad veniret Auguſtus Alexius, qui ſe affuturum promiſerat. Godefredo viro illi, cuius operâ ſeruati ac victores erant, nullum præferendum putarunt. Qui cum in ſuperiore loco, vnde poſſet conſpici, conſtitiſſet, omnes conuerſis in eum oculis, clamore, ac fauore ominati ſunt felix, fauſtumque imperium. Bellator non minus modeſtiâ, quàm fortitudine ſpectatus honorem ſic accepit, vt videatur exercitum auctoritate magis, quam imperio rexiſſe. Quâ moderatione animi factum opinor, vt apud ſcriptores variantes in obſcuro ſit, an belli Imperator vnquam extiterit. Verùm minimè pœnitet me eorum ſententiæ eſſe, quibus placet fuiſſe. Eam opinionem prꝗterquam quòd nobilitauit viri claritas & admiratio, ſuadet allatum ſuprà viſum, quo futurum illum DVCEM, ET PRÆCEPTOREM POPVLI CHRISTIANI declaratum erat. Ac ne veterum teſtimonia deeſſe dicantur; duos profero, Albertum Aquenſem Bullionij æqualem & Helmol-

dum. Scribit Helmoldus omnes duces & copias Chriſtianas ad iter Hieroſolymorum egreſſas duce fortiſſimo Godefredo; Aquenſis verò præter viſum ſuprà memoratum refert ea de Godefredi imperio verba fratris Balduini in exorto mox hunc inter & Tancredum certamine recitanda, ex quibus conficiatur Godefredo ſummam belli ſub Gorgonium prælium eſſe delatam. Poſtquam *a* Chriſtianæ copiæ triduo in valle Gorgoniâ recreatæ, imperator Godefredus iter pronuntiari iubet. Tranſcursâ Bithyniâ in Piſidiam ventum. Ibi dum viç compendium quæritur, in regionem rupibus aſperam, arentem, & inhabitabilem incurrêre. Fervebat menſis Iulius.: nihil aquæ, nihil annonæ inueniebatur. Siquæ ſpicæ apparuerant, vellebantur certatim, crudæque ingerebantur ſtomacho. Ita æſtu, ſiti, fame areſacta corpora non hominibus modo, ſed & pecori. Equi, canes, accipitres patulo ore captantes auram paſſim extincti. Pro iumentis mortuis plurimi coacti bobus, aut magnis eius regionis arietibus aut canibus vti. Pluſquam quingenti mortales ſiticuloſis faucibus hiantes interiere. Feminæ plures ex dolore immaturos fetus enixæ, & in amplexu extinctæ prolis immortuæ. In hac cultus humani ſolitudine, & ſuorum calamitate eluxit ducis Bullionij pietas. Irrequietus circuibat agmen, iacentes ſermone erigebat, & manu. Nunc ad primâ ſigna, nunc in medio agmine, nunc in poſtremo ſpectabatur multiplicato labore velut multiplex. Quin communi

a Aquen.

rei conſulebat priuatæ immemor, cum diceret ſe imperatorem non tam exercitui, quàm exercitus cauſsâ præeſſe. Ipſe potu abſtinens, de ſuo penu, quæ ſibi prouiderat, erogabat in egentes. *a* Imprimis imbecilliori ſexui magna cum cura ſuppeditauit annonam. Tandem peruentum ad locum, vbi fons ex opaco ſpecu manans largis aquis arens ſolum irrigabat. Verùm & hic, dum alij alios anteuertere feſtinant, & ingurgitant ſe hauſtibus immodicis, non pauci periere. Poſtquam rupibus confragoſis egreſſi ſunt, læta ſe regio aperuit, aurâ ſalubri, & arborum vmbrâ vim ſolis identidem leuantibus. Ventum ad Antiochiam Piſidiæ, quam Minorem dixere collatam cum Antiochiâ Syriæ regiâ vrbe, quæ petebatur. Ibi Godeſredus, Buamundus, alijque proceres cum pleroque exercitu ſtatiua habuere: dum interim præclari duo iuuenes Balduinus Godefredi frater, & Tancredus *b* ſinguli cum ſuâ militum manu præceſſere in Ciliciam rei bene gerendæ ſtudio. Conſilium erat, dum exercitus ad Antiochiam Minorem tantiſper quieſcit, iter explorare, vlteriores vrbes tentare, fortunamque experiri, quæ admodum varia, & mirabilis obtigit egregio æmulorum pari. Balduino frater Bullionius, & Tancredo avunculus Buamundus non modò gloriæ, ſed & incitamento erant ad gloriam. Godefredi virtus ante in Occidente quibuſdam identidem inuoluta velut nebulis, iam in Oriente tamquam in bono lumine collocata ſplendeſcebat,

N 2

a *Lannel.* b *Fulch. Tud. Aquen.*

ſpatiumque ſe dignum inuenerat. Buamundus dudum celebre nomen obtinebat in Græcia. Nec tanti faciendum, nec Godefredo inuidendum ducebat titulum imperatoris belli, dum ipſe Græciæ obtineret imperium. Eius neque ſpem deponebat, & præiens Tancredus poſſeſſionem Græcarum Aſię vrbium promittebat, ac belli iure quæſitum ibat, nullo (vt prædiximus) ſacramenti vinculo obſtrictus Alexio. Verſabat Balduini & Tancredi iuueniles animos certamen, incitabatque virtutem cupido primæ laudis. Tanquam vterque ducis & gentis ſuæ decus ſuſtinendum dexteris ſuſcepiſſent, ita præceſſere exercitui reliquo. Vtrique modicum agmen, ſed animus ingens, acerque ad magna ſtimulus perſpecta inuicem fortitudo. Septingentos equites ducebat Belga, quingentos Apulus, ambo peditum cohortes aliquot. Syriæ obiacet Cilicia, regio pertranſitis, quibus cingitur, montibus amœna, & campeſtris. Huc iuuenes iter intendêre primùm iuncti, deinde diuerſi. Balduinus per dorſum montium mouit, Tancredus quà inter eos anguſtus aditus patet. Ibat Balduinus per iuga aſpera, arida, ac deſerta, vbi ingens labor rerumque penuria. Equi pabulo deficiente vix ſequi viros, nedum vehere poterant. Et progredi pigebat, & regredi ad exercitum iam tridui itinere diſtantem. Poſt multos circuitus tandem eluctatus ex anfractibus euaſit in verticem montis. Inde proſpicienti primùm apparuit eminus mare: cis littoralem oram campeſtris regio: in eâ mediâ nobilis vrbs Tarſus

Ciliciæ caput, quam Cydnus amnis Alexandri Magni periculo memorabilis interfluit, Balduini quoque nobilitandus caſibus. Circum Tarſi muros fixa tentoria obſidionis ſpeciem præbuere. Interrogauit Balduinus peritos viarum ac regionis, quinam oppidani, & à quibus obſeſſi viderentur. Reſponſum Tarſi incolas religione Chriſtianos eſſe, eoſque Armenos & Græcos, ſed à Turcis ſubactos, armiſque exutos mercatui ſolum & agriculturæ operam dare. Quæ ſpectentur circum vrbem tentoria, non eſſe obſidentium hoſtium caſtra, ſed apparatum Turcarum, qui oppidi præſidiarijs itidem Turcis auxilio venerint aduerſus imminentem Europæorum exercitum. Balduinus vera hæc ratus hærebat conſilij anceps. Formidoloſum erat de monte deſcendere cum paucis in campum multitudine barbarorum inſeſſum. Verùm inopiâ premente, formidinem virtus vicit. Si moriendum, ſatius viſum ferro hoſtili quàm fame interire. Ergò contrà vadit, & contractis cohortium ſignis ipſe ante agmen erigit aciem. Deſcendentibus ijs viſi mox qui in caſtris erant equos frenare, conſcendere, in ordines flectere, arma expedire, tubis tympaniſque ex vrbe canentibus. a Aciei vtrimque ordinatæ præibat ſuus ductor ſpecie corporis egregius. Alter alterum Turcam putabat, vterque fallebatur. Nempe (vt ſunt humani caſus) qui è caſtris veniebant, Itali ducem ſequebantur Tancredum, qui commodiore viâ Ciliciam ingreſſus coactis ex agrô prædis & viris vrbem Tarſum

N 3

a *Aquen.*

obſidione cinxerat. Is quoque Belgas, in quos ducebat, Turcas eſſe exiſtimabat obſeſſis opem ferentes. Nec ſoli fallebantur congreſſuri Belgæ, atque Itali: decepti etiam, qui in mœnibus ſtabant, Turcæ Belgas venientes arbitrabantur eſſe Turcarum ſuppetias ſibi aduerſus Tancredum miſſas. Ergo inſultabant abeuntibus Italis inclamantes aciem ſuæ gentis aduentare, hanc ſe expectaſſe, & ſiqua cum Tancredo de deditione pepigerant, moræ trahendæ cauſâ feciſſe: nunc pacta gladijs reſciſſum iri. Simul tubarum, & cornuum terrifico ſono Tancredum è muris inſectantur. Ita omnia plena erant erroris. Iamque Balduinus, & Tancredus exhortati vtrimque ſuos Chriſtianis & armis & animis vſuri veniebant ad manus, cum in vexillis & ſcutis Chriſtianum inſigne cruces animaduerſæ. Murmur primùm: deinde reſtitere duces, galeiſque apertis alter alterum agnoſcentes inter ſe complectuntur. Agmen vtrimque cum feſtiuo clamore admotum. Salutant ſacri belli commilitones, amicos, &, quo nomine inter ſe apellabant, fratres. Semotis telis ruunt in amplexus, incredibili quâdam voluptate lacrymiſque perfuſi, & gratulantes quòd Dei beneficio mutuæ cædis præſente periculo defuncti eſſent. Iunctis agminibus ad vrbem redeunt ſpectaculo inexpectato horrentibus Turcis. Sub noctem caſtra coniungunt tanquam pariter obſidionem continuaturi. Hoſpitibus famentibus militare epulum inſtruitur. In perpetuum, vt arbitrabantur, concordia, paxque firmata: verùm fortunæ inui-

diâ admouebatur egregiæ iuuentuti ciuile bellum. Poſtridie mane Balduinus cum Belgis propius vrbem ſpectans, in culmine principis turris aduertit erectum Tancredi vexillum. Miratus, quid id ſibi velit, interrogat. Audit Tancredum poſt dies aliquot obſidionis eò compuliſſe oppidanos minis & terrore nominis Buamundi, vt vexillum ſuum in eam turrim acciperent ſignum deditionis futuræ, eâ conditione, vt ſub Tancredi tutelâ interim eſſent, donec adueniente Chriſtiano exercitu in Buamundi ius poteſtatemque concederent. Belgis id diſplicuit. Aiebant communi militiâ præcipuam minimè eſſe Buamundi cauſam. Iniuriâ imperatoris Bullionij atque exercitûs Buamundo priuato homini Tarſum pacto eſſe conceſſam. Se imprimis admittendos in partem recipiendæ opulentæ ciuitatis, qui obſidionis conſortes eſſent. Stimulatus Balduinus militum querelâ, fratriſque caritate, Tancredum conuenit. Apparebat ex vultu eſſe commotum. Principiò poſtulanti fieri ſe ac ſuos participes prædæ & gloriæ, negauit Tancredus, quòd prior vrbem obſediſſet. Inde altercatione congreſſi certamine irarum eò controuerſia deducitur, vt iam propè à capulo manus abeſſent, læto Turcis ſpectaculo. Aderat Balduino conſanguineus Comes Burgius iuuenis forti, ſed placidiore ingenio. Hic, alijque prudentiores componere iurgium conantur. Gratiæ reconciliandæ hæc via propoſita eſt vt per miſſos caduceatores ab oppidanis vterque cognoſceret ſub vtrius ditionem mallent vrbem ſuam venire. Aſſenſus

eſt Balduinus fiduciâ fraterni nominis ac ſui. Tancredus non modò id probauit,ſed etiam expetijt, probè ſciens, quomodo animati erga ſe Tarſenſes eſſent. Habebat in vrbe Armenum amicum, cuius operæ fidebat, iam antè fidelem expertus. Is Armenus conuocatis oppidanorum primoribus: Ecquid videtis, inquit, Tarſenſes, qualis ſit Balduinus in ſocios? Quem nunc, priuatum adhuc,viribus & audaciâ ac faſtu regnantem cernitis, quem aduerſus vos deditos fore putatis? Tum dilaudans Tancredum expoſuit quomodo is primo, quo aduenisset, die virtutem probaſſet. Turcarum agmen accurriſſe, Tarſenſibus ad ſpectaculum effuſis, muroſque complentibus: fugatos hoſtes: oppidanos admiratione captos virtutis Apulorum atque inprimis Tancredi ducis. Deinde, cùm de conditionibus tradendæ vrbis actum, expertos ipſos in legibus pacis ſanciendæ mitiſſimum victorem. Adhæc meminiſſent Tancredum eſſe filium ſororis Buamundi ſummi omnium viri, qui famâ longè ante hanc expeditionem in Græciâ Syriâque claruerit bellicis in Alexium facinoribus atque victorijs. Eum eſſe Buamundum, qui Græcum imperium iam tunc armis tantùm non ſibi ſubegerit, & verò nunc ſubactum eat. Quare Tarſenſes,ſub cuius ditionem aliquando venire neceſſe ſit, nunc vltro veniant: Tancredo Buamundi vicario ſe committant, & prompta deditione gratiam victoris concilient, cuius in poteſtate mox futuri ſint Græci omnes. His moti Tarſenſes, quibus nondum ſat notus erat

Bullionius, elegere ſubeſſe Tancredo. Excanduit Balduinus caritate in fratrem, cuius auctoritatem contemni, violarique majeſtatem cenſebat. Tancredum ardentibus oculis intuitus, coram eo ad oppidanos adhibito interprete orationem habuit, quam Aquenſis Albertus memoriæ prodidit; vnde de Bullionij ſupremo belli imperio conſtet. Buamundum & hunc Tancredum, inquit, quos adeo veneramini nunc ac timetis, diſcite ex me nequaquam eſſe ſummos proceres Chriſtiani exercitus, nec fratri meo Godefredo vel dignitate comparandos, vel virtute. Frater enim meus Latini Cæſaris ſororius, Græci Auguſti adoptione filius *a* dux eſt princepſque militiæ totius Galliæ & Imperij Romanorum; quod hereditarium ius à maioribus ſuis accepit. Is ab omni colitur exercitu. Eius dictis ſummi infimique in omnibus parent; quippe qui CAPVT ET DOMINVS AB OMNIBVS ELECTVS, CONSTITVTVSQVE SIT. Iam virtute quid poſſit, ſi mavultis experiri, quàm me auctore declinare, certum habete vos ac veſtra ferro, flammâque deletum iri, nec Buamundum, nec hunc Tancredum eripere vos poſſe exitio. Neque verò Tancredus, quem adeo ſuſpicitis, hodie manus noſtras euadet, niſi vexillum eius è turri, vbi id ad decus ſuum, fratriſque mei dedecus locauit, deturbetis, portaſque nobis aperiendas curetis. Quod ſi in animum inducitis petitioni meæ, vt par eſt, facere ſatis, honore & officijs vos proſeque-

N 5

a *Aquen.*

mur, efficiemuſque vt præ reliquis omnibus conterminis imperatori fratri meo accepti honeſtique ſitis. His magno ſpiritu à Balduino dictis Tarſenſes deliberauere tantiſper quid reſponderent. Videbant vrbem ſuam victoribus in medio poſitam: inſtare Balduinum iuuenem ardentis animi: huius partes eſſe potiores ipſum Tancredi ſilentium confeſſio tacita erat. Ergo conſilio, quod priùs non Tancredi amore, ſed Buamundi metu inierant, mutato, amicitiâ & fœdere cum Belga iunguntur iiſdem conditionibus, quibus antè cùm Italo. Illico vexillum Balduini acceptum in turrim, Tancredi amotum, & in locum paluſtrem procul abiectum. Apulus ſpectaculo confuſus indignatuſque, impetum animi vel temperauit, vel diſſimulauit in præſens. Videnſque motam contentionem inter ſuos ac Belgas, qui & numero & oppidanorum fauore valentiores erant, ſolutis caſtris diſceſſit, & ad vicinas vrbes arma vertit. Verùm ea certaminis mora, non finis fuit, gladijs bonâ fide non conditis. Balduinus cum toto comitatu admiſſus à Tarſenſibus intra muros, duas turres obtinuit, reliqua propugnacula retinente Turcico præſidio, donec Godefredus aduenìret. Poſtridie venere ad Tarſum milites trecenti Apuli, qui à Buamundo ad Tancredum mittebantur. Quem cùm inde profectum audijſſent, Balduinum orabant, vt mœnibus reciperet nocte oppreſſos, de viâ feſſos, & commeatus egentes. Veritus eſt Balduinus inſidias. Re cum Magiſtratu collatâ, prohibentur ingreſſu, Cæ-

terùm cibaria in ſportis demiſſa in cœnam. Ante portam vrbis Apuli labore ciboque graues ſine metu corpora ſomno ſtrauerant in pratis, cum noctis ſilentio Turcæ trecenti primores præſidij, deploratâ ſpe retinendi oppidi comparatis clàm ad fugam rebus partim amne auecti, partim patefactâ portâ egreſſi offendunt paſſim iacentes. A barbaris cædes nullo negotio velut muti pecoris facta. Vbi illuxit, Chriſtiani oppidani veniunt ad mœnia, viſuri an è pratis diſceſſerit Chriſtianus miles. Hîc inſolenti ſpectaculo percelluntur. Apparuit miſeranda cladis facies, campus conſtratus cadaueribus, ſanguine fœdata gramina, effuſa telis ilia, præſecta capita, manus pedeſque diſperſi. Deinde cognitâ Turcarum ex oppido fugâ non dubitauere quin ij facinoris eſſent auctores. Continuò accenſus irâ populus tumultuatur, arma corripit, vlturus innocentûm ſanguinem. Primùm fit concurſatio ad turres, vt Turcæ, ſi qui ſuperſint, dolori litentur. Tubarum ſonitu atque ingenti vociferatione ſeditio crebreſcit. Balduinus tanto motu, cuius cauſam ignorabat, ſtupens, at interritus, è turre, in quâ pernoctarat, deuolat, & per mediam vrbem equo raptus tumultuantes abſtinere clamoribus & armis iubet, & in ſua redire tecta, initi fœderis memores. Sed magis magiſque accenditur ſeditio. Adhuc reueritus Balduinum populus magiſtratui vrbano cædem Italorum imputat, quòd eos excluſiſſet hoſpitio. Ergo fit impetus in vrbis primores. At in Balduinum increpantem mox conuerſi cla-

mant ipſum auctorem inclementis conſilij & inhoſpitalis ſæuitiæ, quâ innocentes proditi ſint hoſtibus. Mox tela intentata minaciter: deinde tot ſagittis appetitus, vt verbis nihil proficiens, recipere ſe in turrim coactus ſit. Circumſtrepere multitudo: ille è ſuperiore turris parte per feneſtras ad plateam verſas ſilentium poſtulare: quo denique impetrato fidem fecit ſe à Tarſenſibus iureiurando adactum, ante aduentum vniuerſi exercitus nullum militem in vrbem acceptum iri. Nulli, quàm ſibi, flebilius optimorum commilitonum exitium; nulli gratiorem fore vindictam. Secum irent auditores, & vltionem in Turcas, ſiqui in propugnaculis reliqui erant, expromerent. Placatus his Balduino populus. Mox eo ducente in turres impetus factus, quibus expugnatis ducenti inibi Turcæ obtruncati. Verùm maior tempeſtas ingruebat foris. Pòſt paulò Balduinus ex muro fortè oculos ad mare conuerterat, cum *a* ibi claſſem videt mole & opibus mirandam, vix tribus paſſuum millibus Tarſo diſtantem. Allabebatur nauium diuerſi generis atque operis multitudo. Vela magnifica, vexilla nitentia verſicolore picturâ, mali raræ altitudinis obducti auro ſolis radijs refulgebant. Prætoria tabulatis elata caſtelli ſpecie & opibus grauis ſequebatur non ſine gemitu maris, & labore ventorum. Appulſi ad portum vectores in arenam magno numero exſcendere. Balduinus hos eſſe Turcas ad vindictam occiſorum accitos cenſuit. Ad arma

a *Aquen.*

conclamatum; equites, peditesque certatim ad littus procurrunt. Ibi frequentes claſſiarij exportatas è nauibus ingentes opes inter ſe partiebantur; qui noſtris conſpectis ſtrenuè arma itidem corripiunt. Balduinus intrepidus percunctatus eos quinam eſſent, & vnde domo, quove duce aduenirent. Reſpondere feroces, ſibi domum naues eſſe, vitæ genus piraticam. Hanc iam ab octo annis agere. Claſſi præeſſe præſtantem bello virum Vinemarum nominé. Huius ductu ſæpe impetum in naues; nec rarò in litora feciſſe, multis victis adhuc inuictos, plurimiſque ſpolijs ditatos, quæ modò inter ſe diuiſerint. Balduino perinde viſum eſt, piratæ, an Turcæ aduenïſſent. Interrogati inſuper illi de natali ſuo, ſciſcitatos ſtupefecere reſponſo. Dicebant ſe ex vltimo Occidente profectos gente Belgas eſſe, alios Antuerpiæ, alios in Flandriâ, alios in Hollandia, ac Friſiâ natos. Miratus Balduinus pari eos admiratione affecit, cum fecit certiores, ſe ac ſuos eſſe ipſorum populares Belgas patriâ nuper egreſſos, vt ſacro Bello ſepulchrum Chriſti barbarorum iugo liberent. Creuit vtrimque admiratio, cum acceſſit Archipirata vir ſpecie corporis ſupra barbarum eminens, dignuſque qui alijs præeſſet. Is audito Balduinum Belgam eſſe, & Euſtachio Bononiæ Belgicæ Comite natum, præ gaudio exclamauit herilem illum eſſe filium; ſibi monſtrari flagitauit, ſe ex ditione & domo inclyti Principis Euſtachij Bononienſem Vinemarum eſſe. Ingenti gaudio datis dexteris fœdus inter eos initum, iunctaque hoſpitia. In-

uitatus ad vrbem Vinemarus, claſſe in tuto locatâ, exportatiſque ſarcinis, Tarſum cum ſuorum pleriſque concedit. Exceptus domo hilariter Balduini conuiuium celebrat. Inter epulas Archipirata cogitabat eiuſdem nationis atque adeo religionis homines conueniſſe, ſed diuerſiſſimum vitæ genus adhuc ſecutos: alios milites ſacros, alios piratas eſſe. Senſim magnæ indolis viro diſplicuit piratica, quantumuis ſummas opes ex eâ nacto. Animum quæſtumque illum deponere ſtatuit, & prioris vitæ pœnitentiâ ſacram militiam profeſſus cum claſſis iuuentute, quantâcumque poſſet, Balduinum ſequi, quem ſibi principem naſcendi conditio dederit. Suos ad idem cohortatus, plurimis perſuaſit. Ita Balduinum nouâ lætitiâ perfudit. Inde arctiore amicitiâ deuincti conſilium ineunt iunctis viribus vicinas vrbes tentandi. Præſidio vrbis Tarſi ex nauali exercitu trecenti relicti, ex Balduini copijs ducenti. His compoſitis, cum reliquo milite procedunt ad vicinam vrbem Mamiſtram, quam à Turcis teneri putabant, ſed opinione fallebantur. Haud procul muris ſpatioſum erat viridarium arboribus frequens. Ibi locata tentoria; equis, dum viri corpora curant, per vicina prata paſcentibus. Ecce Mamiſtrâ vrbe ſagittariorum manus effunditur, & militem Belgam in tentorijs infeſta petit. Mox ſequitur indidem ex vrbe quingentorum equitum loricatorum agmen, ductore inſigni, qui per viam ſuos ad vlciſcendum Balduinum hortabatur. Nec oſtendit priùs bellum, quàm intulit. In caſtra Balduini ruens,

& nomine eum ad pugnam vocans, antequam arma corripere poſſet Belga, iam non paucos proſtrauerat. Ex voce atque ex armis agnitus Tancredus, qui Mamiſtrâ nuperrimè potitus, monitus adeſſe Balduinum & increpitus erat à conſanguineo Richardo iuuene feroci, Salerni principe, ſegnem appellante, qui otioſus & inultus adſtantem Balduinum ſpectaret, à quo ei Tarſus opulenta vrbs eſſet per ſummam iniuriam erepta. Si vir eſſet, iret, & de merente pœnas expeteret. Aboleret vulgatam iam in Ciliciâ opinionem Italos Belgarum experiri nolle vires, declinare congreſſum, & horum metu arma circumferre ſcilicet metuenda oppidulis. Quid multa? Nihil verbis opus hîc eſſe, aut ad Tarſum fuiſſe. Re ipſa patefaciendum, quantum Itali aliis præſtent. Vilia iam eſſe ſpolia de Turcis: glorioſiores manubias, & pœnas de hoſtibus Belgis eſſe ſumendas. His inſtinctus Tancredus, tametſi indole & prudentiâ moderatus, incaluerat æmulatione Balduini. Age ſanè: omnes eo duce citatis equis prouolarant ad vindictam. Iam Belgas toto, quantum ſpatium erat, viridario effuſos egerant, clamitante Richardo, vicimus perfidos hoſpites, imbelles hoſtes. Iam ſciunt longè aliud eſſe lenocinari Tarſenſium timidorum auribus, aliud pugnare cum viris. Sed hæc gloriari non diu Richardo fas fuit. Illico Balduinus cum Archipirata ſuo, conſanguineiſque Burgio & Tullenſibus necnon Comite Claromontano correptis armis in equos inſiliunt, collectoque palabundo milite in Tan-

credum ire tubis clangentibus properant. At Balduini manus impar numero futura erat niſi Archipirata in tempore arma iunxiſſet, ignorante Tancredo. Nunc æquatis copijs acre prælium, licet tumultuarium, geſtum eſt, multis, vbicumque ſibi occurrerant, vtrimque cadentibus. Non alias acriùs cum Turcis, quàm ipſi Chriſtiani tunc inter ſe ferro dimicauere. Principes vtrimque pugnam ciebant ab Italis Tancredus, à Belgis Balduinus. Quærebat alter alterum perruptis ordinibus, nec inueniebat, irâ tumultuque præpediente, aut veriùs cæleſti numine par nobile procerum Chriſtianorum perire prohibente. Cæterùm Vinemari egregia fides ac virtus eo die enituit. Abſque eo fuiſſet, Balduinus in vltimum diſcrimen venerat. In Richardum multa gloriantem facit impetum cum ferociſſimo piratarum globo. Cuius audacia accenſi ſocij, pulſique Itali. Iunctas eorum vires Tancredus ſuſtinere non valens, multis amiſſis ad oppidum feſtinauit ſe recipere. Perſecutus eum Balduinus ad vſque Mamiſtræ portam. Ibi in pontis anguſtijs inuolutus Balduini ſocius Claromontius à Tancredo capitur. Viciſſim exceptus à Belga Salerni princeps ille pugnæ ſuaſor Richardus. De ambobus captiuis ſolliciti duces doluere, atque etiam tamquam pro cæſis luxere. Mitigatis vtrimque eo luctu animis detumuere ſenſim odia. Poſtridie miſſi oratores de finiendâ diſcordiâ. Burgius egregiâ prudentiâ Comes vtrumque ducem hortatus ſeorſum, memores eſſent profeſſionis ſacræ militiæ, & fraterni

nominis, quod ambo violaſſent: neu iræ magis conſulerent, quàm famæ. Iuuenes magnanimos non tam iniurijs quàm æmulatione gloriæ ad arma ſtimulatos. Pugnandum ſanè, ſed in barbaros. Chriſtianis proceribus inter ſe certantibus, præmia Turcas, qui quieſcant, occupaturos. Vos potiùs, inquiebat, partiti quos barbarorum hoſtium impugnetis, probate victorijs vter vtri præſtet, vel magis neutrum alteri cedere. Ita pax amico auctore ſancitur. Captiui vtrimque, & ſpolia reſtituta: æmuli iuuenes, facti non tantum pœnitentià, ſed etiam pudore faciunt inuicem ſatis, & interiunctis dexteris, complexuque & oſculis iræ noxam eluunt, gratiamque redintegrant, polliciti nunquam inter ipſos, niſi gloriæ, fore certamen. Sub hæc diſiunguntur. Tancredus Ciliciæ loca expugnanda ſumpſit. Reddatur eius virtuti teſtimonium, quâ iſtic vrbes, quotquot Turcarum ditionis erant, partim vi, partim metu ſubegit. Balduinus interim exercitum Godefredi fratris repetere feſtinat, Vinemaro gratijs actis ob nauatam inſignem operam. Hic claſſem repetit, commeatûs exercitui parandi causâ, at varium fortunæ ludibrium experturus. Reuocabatur ad exercitum fraternum Balduinus allato triſtiſſimo nuncio de ferali, funeſtoque caſu, qui Bullionium exceperat ad Antiochiam Minorem primo, quo is venerat, die. Et paulò antè Auguſto menſe mirum in cælo ſignum Chriſtiani iuxtà, Turcæque conſpexerant. *a* Fulgor terribilis longo tractu candicabat

a *Fulcher.*

ingentis gladij ſpecie, atque in Orientem cuſpidem protendebat. Precati omnes, vt omen in hoſtes eſſet, haud multò poſt ſciuere in quem ſæuijſſet mucro fatalis. Res non modò atrox, ſed intellectu anceps & obſcura narrabatur, Bullionium in nemore ſimul à belluâ, ſimul gladio proſtratum eſſe, percuſſore incognito. Rei ſeries ſic habebat. a Europæus exercitus, ex moleſti itineris labore recreaturus ſe in lætis Piſidiæ campis, ad Antiochiam ſubſtiterat. Alij venatui, alij alijs oblectamentis indulgebant, cum primâ fere veſperâ totis caſtris repentè turbatum eſt. In conſpectu nemoroſum erat frutetum vt amœnum viſu, ità periculi plenum. Nemo accolarum eò dudum audebat accedere. Indè primùm edita feralis vox, quam vicinis montium iugis repercuſſam non pauci è caſtris obſeruarunt, mirantes, atque inter ſe, quænam ea eſſet, percunctantes. Certè humanam non eſſe declarabat immanitas ſoni. Sub hæc ſtrepente nemore erupit miles pedeſter, pallidus, tardusque vulnere, quod in femore acceperat. Cum ad eum interrogandum à proximis concurſum eſſet, hominem anhelitus, voxque defecerat. Cęterùm ex ſignis, quæ dabat, nemini relinquebatur dubium, quin grandius aliquid, quam quod paſſus erat, horreret. Relatâ identidem ad frutetum manu tandem adiecit, illic à belluâ periclitari Godefredum ducem. Vix à trepidis militibus auditum fuerat nomen ducis, cum triſti ſono inclamatum illud ſocijs, ac deinceps ab alijs atque alijs

a *Aquen.*

remotioribus acceptum redditumque breui totis caſtris perſonuit. Incredibili caritate omnes ille, illum omnes complectebantur, quæ nullâ occaſione luculentiùs patefacta. Primos ad opem ferendam prouolantes effusè ſecutus eſt reliquus exercitus. Ibant permixti gregarijs belli proceres è prima Europæ nobilitate, ducemque diuerſi inueſtigabant, multis adhuc inſcijs cur quærerent, & quánam quæri oporteret. Ergo diu per nemus nequidquam erratum eſt. Spelæum inibi erat, ad quod perlatis forte nonnullis præbuit funeſtum ſpectaculum humus partim oſſibus ſiccis albens, partim recenti cæde fœdata. Ibi equus ducis cruentus ac ſeſſore vacuus ex vulneribus deficiebat. Non procul iacebat bellua, monſtroſus vrſus, quo non alius viſus immanior. Licet confoſſus, & iam exanimis, terruit non paucos ſpectatorum. Iuxta dux proſtratus natabat in ſuo ac belluæ ſanguine. Vultus pallens, os ſemiapertum, clauſi oculi, vitæ nullum indicium. Intuentibus obortæ lacrymæ. Mox inter lamenta & gemitus aduoluti iacenti, venam explorare, vulneribus obligandis veſtem detrahere, lecticam ex ramalibus ſtruere, quâ in caſtra referretur. Vt quiſque accurrerat, circumſtantes premebant ſeſe, atque impetu pietatis pene obruebant iacentem. Eminebat luctus procerum, ac præſertim duorum, quorum alter erat ducis frater Euſtachius, alter amicus ſingularis ac delicium Aueſnas, qui pietatem repræſentauit abſentis alterius fratris Balduini. Nec vlli caritate aut mœrore cedebat Anacho-

reta Petrus ducis olim educator. Hugo Magnus ſemper amarat Godeſredum, ſed eius vulneribus & vitæ periculo excitata pietas ſic amorem auxerat, vt tamquam alterum ſe moribundum aſpiceret. Omnes deplorabant Ducis, ſuamque ſortem. Querebantur Principem ſumma virtute, omniſque memoriæ fortiſſimum virum, tot in Europâ atque Aſiâ palmarum victorem, in eo curſu belli ſacri circumuentum ſiluæ latebrâ atque iniquitate fortunæ, eripi ſibi morte obſcurâ, non prælio ſaltem proſtratum, ſed laniatum à beſtia. Verùm dum vulnera obligantur, animaduerſum eſt pauca ab vrſo eſſe, nec feræ dentes altè in corpus deſcendiſſe, at grauiſſimum vulnus gladio fuiſſe illatum. Hinc ſtupore dolori mixto cauſam requirentes interrogabant quid de ipſo modò narraſſet miles ſauciatus. Hæc ab eo erant audita. Dux ſub veſperam nemus ingreſſus animi causâ, vt magnis bellici imperij curis breue otium interponeret, opinione breuius habuerat. Repentè vidit illum militem pauperem, qui indidem ex caſtris ligna arida collectum venerat, ſugientem. Perſequebatur ille horrendæ magnitudinis vrſus, qui viatores, quotquot iſtuc diuerterant, vorare ſolitus, frutetum ſæuitiæ notis impleuerat, & terrore viciniam. Iamque inſtabat miſeri tergo. Miles metu exanimatus eiulare, opem ſuperûm poſcere, & vt feræ dentes, quos effugere non poterat, parumper eluderet, curſitare circum grandem arboris truncum. Inter ſugam conſpicatus Godeſredum agnouit, & heu opitulare, Dux

optime, inclamauit. Sic orantem vrſus ſimul arripit, ſimul proſternit. Dux Godefredus, vt erat promptæ in miſeros benignitatis, ſolituſque ſacræ militiæ ſocijs eximia caritate ſubuenire, vix huius periculum aduerterat, cùm eum liberaturus vitæ diſcrimen ſubire ſtatuit. Enſem attulerat, cætera inermis; quo ſtricto equum calcaribus incitat, prouolatque vociferans. Bellua nec ſtrepitu currentis equi, nec voce ſeſſoris abſterrita, femori iacentis infixerat dentes. In belluæ caput cum Dux valide ferrum torſiſſet, ictum partim demiſſione verticis, partim duritie fruſtrata eſt. Mox irritata periculoſiùs, quàm læſa, relicto iacente in auxiliatorem inſurgit, edito ferali clamore, quo totum nemus inſonuit. Erigitur in poſteriores pedes, & ſeſe, quanta erat, immanem objicit, cruento rictu, ardentibus oculis, atque ipſa membrorum mole terribilem. Molem viribus, & vires æquabat aſtutiâ. Nunc incurrit, nunc reſilit. Iam caput & crura ſubducit ferro, mox irruens equum dentibus vnguibuſque configit. Seſſor indignatus feræ nequam ingenium totâ vi connixus intentauit ictum in pectus, ſed non pertulit, prohibitus ſimul vrſi velocitate ſimul equi ſaucij tarditate. Quo exſcendere parantem, ſubito vrſus inuadit, iniectiſque veſti vnguibus detrahit, & priuſquam firmaſſet Dux veſtigium, complexu ligatum humi deuoluit. Mox iacenti incubuit, & hianti ore iugulum petijt. Interim miles modò liberatus ab Duce, conſternatus tum ſuo, tum Ducis periculo, ad caſtra fugerat fera auxilia euo-

caturus. Nec plura, quàm retuli, viderat, nec cuiuſnam gladio Dux vulnus grauiſſimum accepiſſet, referre poterat. Incidit nonnullis ſuſpicio de inſidijs ab ęmulo Buamundo ſtructis. Sed alij, magnanimus Buamundus, inquiebant, ſi quibus iratus eſt, eos ab inſidijs velit ſaluos eſſe vt vincat armis. Hærebant ergo proceres, & requirebant ſecùm, cuius illud fatale ferrum, quis inſidiator in ſilua ducem adortus eſſet, & quonam pacto in eius cædem cum belluâ conſpiraſſet ipſâ belluâ ſæuior. Magico facinori hęc ſimillima videbantur. Sub hæc irâ in vrſum conuerſâ, in fruſta diſcerpitur. Interim paratæ lecticæ dux imponitur; & luctum exercitûs, quem ex parte nemus texerat, totum campus oſtendit. Geſtabant amiciſſimi procerum, dubij, an mortuum efferrent. *Silens* agmen ac velut longæ exequiæ ſequebantur. Triſtis ſpecies caſtrorum, etiam Turcis exploratoribus, qui aderant; ſiqua res eos homines tangeret præter lucrum, quod ex nuncijs ſperant. Funebris illius pompæ ſilentium in aditu caſtrorum abrupit lugubris vlulatus feminarum quà nobilium, quà cæterarum, quarum alias in valle Gorgoniâ captas liberarat Dux, aliàs ſiti fameque deficientes in itinere refecerat. Inter gemitus & lacrymas inclamant, moribundum verè caritatis victimam eſſe, qui non modo annonam victumque ſocijs, ſed & ſanguinem ſuum prodegerit. At ſeipſas cum illo iam perire. Quem enim virginum eſſe curam acturum? quem earum pudori, victui, vitæque proſpecturum? Quem alium inuentum iri Go-

deſredum? Crederes iterum captas de pudore & ſalute periclitari. In hoc luctu Gundechildis Amazon, Balduini coniux, mala ſociarum omnium vna capiebat. Iam ante corpore, nunc & animo ægra, ad vltimum dolori ſuccubuit. Nec defuiſſet lugubribus in Ducem Godefredum officijs Hiſpana Amazon Eluira, niſi eam in tentorio ſuo diſtinuiſſet alius carus æger, coniux Raymundus, & ipſe ſpe incertâ vitæ decumbens. Quin ambo paulò pòſt pro mortuis deplorati. Hinc territi milites ad plura millia dilapſi ſunt. Cęteris pro vtriuſque principis ſalute Deum aſſiduè precantibus, & frequentantibus rem diuinam, tandem ad ſe rediens Godefredus oculos alleuare cœperat, & circumſtantes noſcitare; Raymundus quoque habere meliuſculè. A Godeſredo, poſtquàm liberum vocis vſum recepit, reſcitum de accepto gladij ictu. Nempę cùm ab vrſo deturbatus erat humi, vir fortis animo non ceciderat, nec dextrâ remiſerat gladium. Verùm hunc inter luctam implicuerat cruribus. At, ne expediret, prohibebatur vlnis belluæ incumbentis, & hianti ore iugulum petentis. Pigebat bellatorem laniari à beſtiâ, infortunio, non virtute proſtratum. Inclamata cæleſti ope connixus brachijs ac pedibus tandem belluam repulerat, & expedito enſe petitam confoderat. Verùm inter feram repellendam figendamque, elatis vt erat tibiis, ferro crus ſibi grauiter læſerat. Ita tantus vir nullo niſi ſuo gladio ſauciatus, nullius niſi ſuo robore & victus erat, & vicerat. Ob cæſum immanem

vrſum ſicut progenitor a Carolus Cæſar tulerat Magni cognomentum, ita nunc Godefredus meruerat. Verùm Herculis Chriſtiani appellationem tanto glorioſiorem obtinuit virtutum ac facinorum magnitudine, quâ gentium omnium Heroïbus vmbram induxit. Sunt quoque, qui leonem immanem ab eo ad Antiochiam Syriæ confectum ſcribant. Verùm ex rei adiunctis alijs patet, eos accepiſſe leonem pro vrſo ad Antiochiam Piſidiæ perempto. Cæterùm ex nupero vulnere longa & pertinax imperatoris Godefredi valetudo perturbauit exercitum per aliquot deinceps menſes, quibus non niſi lecticâ iter facere potuit. Quà tranſeundum fuit, vrbium alias vi, alias deditione, alias fugâ cuſtodum relictas occupauit. Ad Mareſiam vrbem cum exercitu peruenerat, cum ad eum venit frater Balduinus; vbi intellectis tum Godefredi, tum coniugis ſuæ Gundechildis rebus (de qua paulò pòſt memorabitur) mox digreſſus eſt rurſus ab exercitu,& ad magna quædam abductus à Pancratio Armeno. Mareſiâ proceſſit exercitus Artaſiam, quam præmiſſus Robertus Flander impigrè feliciterque in poteſtatem redegerat.

a *Chron. Niuell.*

LABO-

LABORUM HERCULIS CHRISTIANI

LIBER QUINTUS.

IMPERATOR Bullionius gra-
uem iam Solimani & multa-
rum vrbium ſpolijs exercitum
trahens non diu ſubſtitit ad
Artaſiam, in Antiochiam Sy-
riæ regiam vrbem intentus.
Hęc non pluſquamquindecim
illia paſſuum aberat. An protinus obſideretur,
liberatum à proceribus. Erant qui prætereun-
um, omittendamque cenſerent, quia inexpu-
nabilem, & nequaquam Nicææ, licet vali-
ſſimæ, comparandam. Multi differendam
is obſidionem arbitrati, dum ab Auguſto
æco, ac Mathilde veniſſent, quæ exſpecta-
ntur, auxilia. Nec videbatur priùs capi poſſe
s, tum ob loci munimenta, tum ob immi-
tem hiemem. Neque verò Turcæ eam diu-
mè obſeſſam aliter quàm fame ad deditio-
n compulerant quatuordecim ante Conci-
 Claromontanum annis. Verùm Dux
lefredus * cenſuit continuò obſidendam.
n rem, famamque eſſe, ne Antiochia dato

ſpatio communiretur operibus, numeroque militum augeretur, & animis. *a* Ducis ſententiam cum magnopere probaſſent reliqui, adacti ſunt omnes iureiurando ſe non receſſuros niſi captâ vrbe. Decretum quoque nequis iniuſſus abſcederet ab exercitu. Reuocatus è Cilicia Tancredus. Balduino miranda incepta ſua ad Euphratem perſequi conceſſum. Vinemarus, ille ex Archipiratâ ſacræ claſſis præfectus, quo loco eſſet, diu ignoratum. Procedentibus copijs Robertus Normannus præmittitur, qui Orontis fluuij traiectum liberum præſtet. Orontes, qui Antiochenis Fernus dicitur, *b* rapidiſſimo curſu per vberem amplamque vallem ad Antiochiæ muros vſque fertur, ibique iungitur ponte. Inde in mare, quod abeſt ab vrbe decem paſſuum millibus, euoluitur. Vallem ex vtroque latere cingunt editi montes perpetuo dorſo; quorum qui ad Septentriones, Amanus nomine, Syriam à Ciliciâ diſterminat; qui ad Auſtrum, Orontes quoque nominatur. Amne longè ſupra vrbem traiecto Chriſtiani ordinatâ acie XII. cal. Nouembres anno eius *c* ſæculi nonageſimo ſeptimo alacres proceſsêre ad Antiochiæ muros canentibus ſignis. Quæ è contrario toto illo die expers ſtrepitus & ita quieta manſit, quaſi vacua defenſoribus foret. Verùm non operibus ſolùm, omnique telorum genere inſtructiſſima erat, ſed eo armatorum numero, qui campeſtri iuſtoque prælio poſſent decernere. Atque haud ſcio an vlla vnquam obſidio fuerit vel obſidentium ob-

a *Aquen.* b *G. Tyr.* c *An.* 1097.

ſeſſorumque multitudine, vel copiarum auxiliarium potentiâ, vel caſuum varietate memorabilior. Vrbem formâ elegantiorem, aut munitiorem ſpectaſſe ſe negabant proceres Latini. Quanta tunc fuerit, hodieque oſtendit ruinarum & ſuperſtitum murorum magnitudo. Seleucus conditor ex nomine Antiochi parentis vrbi appellationem fecerat. Mœnia quadrato magni modi ſaxo conſtant, ex interuallo diſtincta turribus quadringentis & ſeptuagenis in orbem æquâ inter ſe proportione diſtantibus. Foſſa circùm lata atque altiſſima verſatilibus pontibus ad portas tranſmittitur. Longitudo vrbis duûm millium & quingentorum paſſuum eſt; ſitus partim planus, partim montoſus. Impoſita decliui montis lateri mœnibus complectitur duos montes multùm editos anguſtâ valle ſeiunctos, per quam torrens vrbem præterfluit. In eorum celſiore arx regia viſebatur quatuor validis turribus cincta. Habebat in arce domicilium *a* Rex Syriæ ſeu Satrapa ſummus Accianus cum Reginâ, & filiâ, cuius forma multos procos pariter ac defenſores vrbis allexerat. Singularum turrium cuſtodia ſingulis minoribus Satrapis demandata erat, Adorſonio, Copatrici, Roſſoleoni, Carcornuto. Iam vrbis præfectum agebat Senſadolus Regis Acciani filius, bello acer iuuenis: cui mox acceſſit frater Buldagis, reduxitque copias Gorgoniæ cladi ſuperſtites. Nunciabat aduenire Arabes duce Gigante, gentis eius Satrapâ, maximo Antiochiæ præſidio futuros. Breui item Solimanum

a *Aquen.*

Regem affore. Neque hi vrbis ingreſſu arceri poterant ab obſeſſoribus, quòd vrbs propter magnitudinem vndique claudi nequierat. Quibus partibus in montem aſſurgit, inacceſſa; quibus ſubſidit in planitiem fluuium verſus, obſeſſa eſt. At ex quinque eius portis a non niſi tres obſeſſæ, vna ad Orientem & proximæ duæ ad Septentriones verſæ. Ad primam metatus caſtra Buamundus, inde Robertus vterque, & Hugo: ad alteram mediam Toloſas & Podienſis; ad tertiam Bullionius, quæ hodieque porta Ducis nominatur, nobilitata claris eius caſibus. Duci, præterquam quod æger erat, maior impendebat labor, maiuſque ab obſeſſis periculum. Amnis enim, qui à tergo fluebat, inde ſenſim deflexus propiùs muros ponte lapideo antiqui operis iungebàtur ad portam quartam, quæ ideo Pontis dicta. Per hanc non obſeſſam patebat commodus hoſtibus egreſſus ad vim atque inſidias intentandas Duci. Ab Acciano Rege datum negotium Syris quibuſdam vrbis incolis, vt ſpecie fugę, arcanæque fidei ac familiaritatis cum Chriſtianis, eorum caſtra adirent; ducum nomina & vires, caſtrorum formam, aditus, & exitus omnes explorarent, atque ad ſe explorata referrent. Per hos reſciuit omnia ibi diligenter apparari ad oppugnationem, promoueri opera, abundare annonam, militumque non defuturam virtutem. In ducibus nunc maximè ſpectari Buamundum. Godefredum belli imperatorem, qui proximus ponti conſederit, lecticâ aduectum,

a *Aquen.*

etiamnum ex cruris vulnere infirmum eſſe : ſed in eo, ſi conuoleſcat, ſpem eſſe caſtrorum. De Mathilde feminâ bellatrice & Italiæ Reginâ ſermonem multum eſſe, expectarique eius claſſem, & ab Græco Cæſare auxilia. Hæc relata Acciano ſpem fecere per occaſionem propinquitatis loci Ducem in caſtris opprimendi. Ergo in eum mittit percuſſores, qui *a* per Pontis portam egreſſi, inde per vadum tranſmiſſo fluuio clam inter loci humentis calamos acceſſere. Sirporum denſitatem excipiebat ad inſidias aptum nemus, ferebatque in caſtra Ducis. In proximo viridarium erat fruticibus conſitum, altâque herbâ veſtitum. Inſidiatores per ramos ſpeculati, vident conſidentem ibi egregium Principem & aleâ colludentem feminę prętantis formæ, adſtante nobili ſpectatorum coronâ. Inter arbores herbaſque illi adrepentes procurrunt ſubitò ſagittis infeſti. Spectatoribus partim ſauciatis, partim timore diſperſis, alij matronam comprehendunt, alij iuuenem micantibus gladijs adoriuntur, tabulâ luſoriâ male tectum; matronâ nequidquam inclamante, vt inermis Principis vitæ parcant, captum abducant potiùs litrum magnum accepturi; regij eum ſanguinis eſſe, & Cæſari Latino Godefredoque Duci propinquum. Erat is Adalbero Comitis Lucemburgij filius. Barbari implacabiles ſecant iuueni ceruicem, caputque auferunt. Matronam quoque abductam in vrbem, poſtquam captiuo corpori turpiſſimè illuſerunt, obtruncant in oculis noſtrorum, & caput

O 3

a *Aquen.*

vtrumque tormento in caſtra excutiunt, inclamantes cupere ſe tantundem Duci Europæo, tantundem Mathildi factum. Aliàs quoque eodem tramite per arundinetum graſſati facinus non minus impium deſignant. Speculati caſtra Ducis ac præfixum eius prætorio vexillum, oculos figunt in hoc admiratione venuſtatis. *a* Eminebat in eo vexillo pictum amœnis coloribus auroque illuſum ſimulacrum excellentis formâ feminæ, cui corona in vertice, ſceptrum in manu erat. Quoties hac præteribant milites, quanti eam reginam facerent, veneratione indicabant. Euolant inſidiatores è latebrâ, vexillum reuellunt, & in mœnia relatum ventilant primùm, tracturi ad ſpectaculum Chriſtianos. Dein inuerſum ad ludibrium ſummâ cuſpide humi depangunt, ægrè facturi noſtris, ſiue ea effigies Mathildis, ſiue alterius eſſet. Vehementer oderant illi timebantque Mathildem, non ignari ſuppetias nuperrimè ab ea promiſſas, lintre appulſo, de quo Domnizo canit,

EVEHITVR LINTRI TRANS PONTVM
FAMA MATHILDIS,
NOMINE DE CVIVS TVRCARVM CASTRA LOQVVNTVR.

Ægri fratris partibus fungebatur Euſtachius. Iuſſu eius arundinetum curauit *b* demetendum, nemuſque ac pomarium ſtirpitus exſcindendum, nequis impoſterum iſtic latere ad inſidias poſſet. Turcæ eâ parte dolis ſuis occurſum videntes, aliâ ſæuiunt. Dux vt noſtris ad pabu-

a *Guib. Abb.* b *Aquen.*

lationem tranſitus liber daretur, fluuium Orontem frenandum cenſuerat. Commodiſſimo opere læti milites contractas ex amne vicinoque lacu naues paſſibus mille à ponte vrbis ita iungunt, vt proræ proris & puppes cohærerent puppibus. Dein validis eas inter ſe retinaculis ſiſtunt, ne ſecundo flumine delabantur. Eaſdem tabulis aſſeribuſque colligatis pontis in modum ſternunt, terrâque operiunt & complanant, vt tamquam per continentem non homines ſolum ire, ſed etiam iumenta & vehicula commodè agi poſſint. Ad vtrumque ripam turres ex materia excitatæ, vnde procurrere in hoſtem miles & tutò recipi queat. Neque Turcæ ſegne otium in eâ occaſione terunt. Iuuentute armatâ naualem hunc pontem non ſemel tentant, vt vi ſolutum, ignive corrumptum, aut abſumptum propugnatoribus nudent. Anceps dimicatio fuit. At vicit noſtrorum pertinax virtus, pontemque obtinuit. Ceterum è Chriſtianis hac tranſeuntibus in campum multos intercipiebat hoſtis, quòd paucæ cohortes turmæque tranſibant. Nec enim multæ committere ſe temere procul à munitionibus tutum exiſtimabant, ne caſtra nudarentur. Ad arcendas eruptiones hoſtium *a* è regione pontis ipſorum extructa munitio, Tancredique cuſtodiæ tradita. Cuius virtus, quantumuis magna, cum non ſufficeret, Hugo Sanpaulanus Comes cum filio Engelramo huiuſque amicis, quorum longè principes Anſelmus Ribodimontius & Gerardus Aueſnas erant, memorabilem opem tu-

O 4

a *Aquen.*

lit, cæſis non paucis Turcarum. Hi verò promptam vindictam parant. Venerat Antiochiam memorabile auxilium, ille magnus Arabs, vir gigantei non ſolùm roboris, ſed & faſtus. Qui impatiens cædis Antiochenorum, cupiduſque approbandæ ſuæ virtutis Acciano regi filiæque, quam amatorio ambitu colebat, iubet ſuos in armis eſſe. In multitudinem pabulatorum noſtrorum ſecuriùs iam vagantium intentus primò paucos equites à ponte vrbis emittit, qui iaculis ſubmoti recurrêre ad ſuos è tuto ſpeculantes. Inde incurſiones inuicem factæ, pulſoſque accendente irâ, plures ſubiere diſcrimen. Eo irritamento Chriſtianos ſpes vincendi ad maius certamen impulit, cum interim hoſtes ſæpius ſimulato quàm vero timore refugerent. Tum Arabs repente emiſit numeroſius agmen, à quo Chriſtiani fugati, & redacti ad pontem ſuum multis deſideratis. Id vbi cognitum in caſtris, concurrentes ad arma aliquot millia loricati Oronte ſuperato feruntur in victores, & ad pontem vrbis vſque perſequuntur. Inde mox patefactâ portâ erumpunt magnus Arabs, regis filij Senſadolus & Buldagis, alijque Satrapæ, & cum ijs multitudo ingens. Magnis animis principiò reſtitere Chriſtiani; deinde numero obruti vertuntur in fugam ad pontem naualem, vbi multi partim ferro cæſi, partim aquis hauſti. Nec ſemel eiuſmodi eruptio Turcarum Arabumque facta in Chriſtianos, nec ſucceſſu diſſimili. Hæc dolebant maximopere cùm noſtris omnibus, tum imprimis imperatori Godefredo, quòd

per valetudinem in dies magis ingraueſcentem non poſſet ſuis opem, & exultantibus hoſtibus exitium ferre. Et ſollicitudo inceſſerat omnes, ne caſtra ſine imperio, militem ſine duce vis hoſtilis opprimeret. Viſus eligendus aliquis prudentiâ & opibus pollens, qui in tantâ rei Chriſtianæ inclinatione, Turcarumque fortunâ pro Godefredo ſummę rerum præeſſet. Buamundo approbante, atque alijs implicito, quòd arcano conſilio magnum quiddam agitaret, creatus Dictator Stephanus Bleſenſium Comes: de quâ rę prę ter Roberti Monachi teſtimonium extant ipſiuſmet Stephani ad coniugem Adelam literæ. a Erat is genere, canitie, prudentiâ, & opibus ſpectabilis. Cæterùm ex comparatione ſenis Dictatoris deſiderium excitabatur Godefredi ducis. Subibat animos vigor hortantis & educentis ad prælium militem, fortitudo pugnantis, benignitaſque fortes viros pro concione laudantis, & proportione nauatæ operæ donantis. Lenimen aliquod dolori communi attulit facinus b egregij adoleſcentis Engelrami, qui Turcam equitem armorum ſpecie ferociaque prę ſtantem aſſecutus in oculis procerum aliorum è ripâ ſpectantium haſtâ confodit. Reduci omnes mirâ lætitiâ plauſere, imprimis Comes pater, & amiciſſimi proceres duo Ribodemontius, & Aueſnas Gerardus. Ab his perductus victor veluti pompâ ad lectum Ducis, laudibus & amplexu exceptus eſt. Gerardus inſtar filij ferè aſſiduus apud ægrum imperatorem erat. Ad eius lectum ſcholam nactus virtu-

a *In ſpicil. Dacherij.* b *Aquen.*

tum mirabatur imprimis quâ patientiâ valetudinem toleraret. Extractâ in *a* tertium menſem obſidione, neque ſpes armis expugnandæ vrbis apparebat, & plus periculi à fame erat obſidentibus, quàm obſeſſis. Deficere cœperat annona: quibus alimenta ſupererant, valetudo tentabatur inclementiâ hiberni frigoris. Imbrium frequentiâ veſtes, & tentoria computreſcebant. Pabulum pecori ita deerat, vt cum pluſquam ſeptuagies mille equi adducti eſſent, vix bis mille reſtarent. In remedium qualecumque mali cum Buamundus, Flander, Tancredus, parſque exercitus ad prædas in hoſtico agendas excurriſſent, Antiocheni caſtra adorti, ægrè repulſi ſunt à Toloſate, & Hiſpanâ Amazone. Godefredus periculosè ægrotabat, nec in Bleſenſi creato Dictatore multum opis erat. Hinc Tatinus Græci militis præfectus attentis caſtrorum ærumnis veritus ne inuolueretur creſcente in dies malo, per cauſam euocandi ad opem Græci Auguſti abſceſſit non rediturus; multis pravum exemplum ſecutis. Contrà autem *b* Antiochenis, præter magnum Arabem, venerat auxilio Rex Solimanus, & oppreſſerat venientes ad caſtra ſuppetias, quas adducebat Sueno filius Daniæ Regis cum Florinna Ducis Burgundiæ filia. Noctu in eos irruens Solimanus non militem ſolùm, ſed & ducem, & Florinnam ſponſam ceciderat. Cuius rei nuncius caſtris triſtiſſimus accidit. Inter tot mala duo illa imprimis acerba erant, imperatoris Godefredi valetudo

a *Aquen.* b *Idem.*

exiguâ in ſpe trahentis animam, & multitudo hoſtilium ſpeculatorum. Qui alieno habitu, mentitique amicitiam vagantes per caſtra res aduerſas noſtrorum referebant ad ſuos, proſperas ſuorum noſtris nunciabant, vt ità Turcis animos erigerent, noſtris dejicerent. Querebantur proceres Chriſtiani nihil in caſtris eſſe occultum, non factum, non conſilium. Adhuc tamen latebat Buamundi arcanum, cuius vnus erat Tancredus conſcius. Quod necui alteri innoteſceret, peſti exploratorum exterminandæ tale remedium commentus eſt Buamundus. Turcas aliquot, a quos habebat in vinculis, iubet educi, ac iugulari. Cumque ſub noctem multi egentes per caſtra de cœnâ ſolliciti vagarentur, Turcas illos curauit palam verubus infigendos atque ad amplum ignem torrendos. Coqui interrogati, quidnam ſibi vellet tale ſupplicium, vt iuſſi reſpondebant præceptum eſſe à proceribus, vt quotquot impoſterum exploratorum hoſtilium caperentur, omnes ad victum exercitus ſimilem in modum aſſarentur. Quo vulgato ingens multitudo, atque in hac plurimi ſpeculatores eò venere tracti nouitate atrocis ſpectaculi. Quo deterriti peſſimi homines, ratique ſeriò rem agi, diffugere, ſamelicorumque Chriſtianorum ſæuitiem & voracitatem nunciauere oppidanis horrentibus. Eo aſtu Buamundi haud ſatis humano factum vt caſtris ſpeculatorum peſtis excederet. Quid in ijs fieret, poſthac Antiocheni de mœnibus ac turribus obſeruando noſſe co-

O 6

a G. Tyr.

nati ſunt. Nec multò pòſt ibi ſubita ac multa lætitiæ ſigna aduertêre. Audiebant nomina Mathildis ac Genuenſium lætis vocibus celebrari: vnde non dubitauere quin Mathildana claſſis, quam expectari ſciebant, ad fauces Orontis fluuij eſſet appulſa. Atque ita res erat. Spectacula *a* deinde per caſtra voce præconum indicta ſunt, moxque ludi apparati. Tentoria armis, quæ maximè decora erant, circumpendentibus, alijſque ornamentis inſtructa: ad prætorium Ducis ſtadium deſcriptum: ſolo infixæ ſudes, ſcutaque appenſa, vt Quintanum luderetur. Intererat oſtentare alacritatem, & in tantis malis vires ac fiduciam. Inter hæc à portu aduehuntur cum pompâ hoſpites maximæ, vt apparebat, dignationis, & præter oculos ſpectantium è muris oppidanorum adducuntur *b* in prætorium Godefredi. Quo vultu, cultuve eſſent; procul è mœnibus non ſatis dignoſci poterat. Inde per caſtra feſtiui cantus nunc tibiarum, nunc tubarum auditi. Hoſpites poſtquam epulo excepti ſunt, ludos ſpectaturi conſedere in ſuggeſtu multis procerum aſſidentibus, circumfuſiſque militibus. Plurimi quoque mortales ex oppidanis in mœnia ſpectandi ſtudio coierant. Hæc ſinebat quadam induciarum ſpecie Rex Accianus, at non ſine dolo latente. Is in ſequentes proximè dies expectabat auxiliares ingentes copias à Rodohano Alapiæ Satrapa contractas; à quibus vt incauti Chriſtiani ludis operam dantes opprimerentur, eos interturbari non pla-

a *Rob. Mon.* b *Friſing.*

cuit. Interim ſe victorem putabat, quod ſuos muris tenens hoſtibus copiam vincendi non daret, ſed ludendi tantummodo. In Chriſtianorum ludicro generis omnis ſpectacula edita, alijs diebus alia. Equeſtri decurſione præluſere iuniores procerum, inter quos imprimis Gerardus Aueſnas eleganter ſtadium inijt acri inſidens equo. Principiò ferocem domitare, nunc in orbes dextros læuoſque flectere, nunc preſſo freno ſiſtere, & in ſaltus admittere. Deindè temperato impetu ſuperbè gradientem præteregit ſuggeſtum hoſpitum, quibus decorè ſalutatis, extemplo ſubditis calcaribus, effuſiſque habenis concitauit. In extremo demum curriculo reluctantem compeſcuit, atque ex arte ſuſtinuit. Eâdem pompâ cæteri equites tranſuecti virtutis & dexteritatis varium, rarumque ſpecimen edidere. Cumulati omnes laude ab hoſpitibus, ſed præſertim Aueſnas, poſtquam cognorant eius nuperam memorabilem de Elia deſertore victoriam. Verùm & ſuum ludum minimè lætum parabant Antiocheni in proximum diem, condictum Rodobani aduentui; conſtitutumque erat vt dum ipſe primo diliculo inuadit caſtra, in eadem oppidani irrumperent. Rati conſilia ſua latuiſſe Chriſtianos, nocte inter eruptionem apparandam exactâ ſub auroram intenti in partem vallis, qua ventura auxilia expectabant, illac vident accedere globum equeſtrem citato ferocique greſſu. Equi facile bis mille erant, ijque inſignes. Cum tot, taleſque ſcirent non ſupereſſe in caſtris, non dubitauere quin hæc prima

turma eſſet expectatæ ſociorum aciei. Quare alacres ſubito cum clamore pars ex muris caſtra infeſtis telis impetit, pars vexillum, quod nuper captum, exponit, inuerſumque in cuſpidem figit ad ludibrium depictæ in eo Reginæ. Maxima pars per pontem erupit factura impetum in caſtra. Verùm in appropinquante agmine vidit Chriſtianorum ſigna, paucoſque equites (ſeptingenti erant) qui multos equos ducebant ſpolijs oneratos. Atque hi eminus equitum præbuerant ſpeciem. Quæ cum aſpicerent oppidani mirantes, paulatim remiſere clamorem & impetum: quique vrbe exibant, regreſſi, quid actum eſſet, nondum gnari. Mox ſeptingenti illi, inter quos cernebantur proceres hoſpites, quorum gratia ludi celebrati erant, inſultantes oppidanis oſtentant ſpolia & capita Turcarum quingenta, quæ de ephippijs ſuſpenſa attulerant. Ea partim machinis in vrbem excuſſa, partim infixa palis in conſpectum oppidanorum admota, inclamantibus miniſtris tot capita pro duobus nuper ex vrbe miſſis rependi. Ita liberales Chriſtianos in Turcas eſſe. Quibus cognitis ingens ira Accianum, Solimanum, magnumque Arabem, & cæteros inceſſit, neque minor admiratio, quomodo tam pauci tam multos viciſſent. Profligatum enim eſſe Rodohanum cum ſuis, quandoquidem non comparebat, conſequens nec dubium videbatur. Inter hæc vexillum illud Reginæ amotum, & à ludibrio ceſſatum, edentibus ſigna lætitiæ ſummæ Chriſtianis. Dum alij Turcarum ſtupent, emicuit

ſuror magni Arabis. Vociſerabatur expetendas protinus de carnificibus Chriſtianis pœnas. Hortabatur ſuos, irent in hoſtes barbaros, qui non modò in viuos, ſed in corpora exanimata ſæuiant, & qui belluarum ſæuitiem ſuperent; nempe quibus nihil ſatis ſit, niſi præbeantur epulanda hominum toſta viſcera, & humanus ſanguis circumlatis pateris hauriendus. Irent ergò fidentes vindices, affuturum ſuis Mahometen. Eo duce & ſcelerum vltore bellum geſturos, & ludicra ſpectacula funeſto concluſuros. Et verò mox dare ſe vindictæ occaſio viſa. Animaduerſum manè agmen Chriſtianorum mare verſus proficiſci. Arbitrati ſunt Turcæ quod erat, nimirum eos ad portum tendere, vt multitudinem Mathildanam claſſe aduectam cum annonâ in caſtra perducerent. Conſilium initum eos inſidijs opprimendi. Illuxit indè quartus dies caſuum magnitudine & varietate mirandus. Buamundus, ac Raymundus, qui euntes ad portum duxerant, in caſtra regrediebantur hoc ordine. Toloſas præibat agmini ſuorum ac Mathildanorum. In mediam turbam collecti inermes cum curribus annonâ oneratis. Buamundus cum extremo agmine ſequebatur. Mons erat à ponte vrbis ſpatio duûm millium remotus, cuius latus veſtitum fruticibus ac vepribus, & per hos medium iter anguſtum opportunum inſidijs. Raymundus fauces ingreſſus extenuato ſuorum agmine, vbi paulum proceſſit, hæſit dubius quidnam ſubluſtris atque inſolita loci facies oſtenderet. Inter arbuſta nitor armorum interlucebat: equi-

tes delecti Turcarum ad quatuor millia iſtic conſederant inter ramos humileſque vepres ſemiconſpicui. Cognitâ hoſtis fraude ſubſtitit agmen nullo imperante. Stupor ac deinde trepidatio inuaſit animos. Nec quidquam minùs quàm multitudo deerat: ſed eam ad paucitatem redegerant anguſtiæ. Venit in mentem citato gradu relegere viam: verùm impedita hæc erat ſequentibus curribus & obuerſantibus arborum ramis. Spe ademptâ torpor quidam inſolitus membris incubuit. Alij alios intueri, & cum nihil conſilij ſuccurreret, ſilere immobiles. Mox Turcæ dato ſigno cohorti. Raymundus, & qui firmioris animi erant, quamquam fruſtrà ſe fore perditis rebus cernebant, tamen ne ignauiæ notam malis adjicerent, pro ſe quiſque hortante nullo, nec imperante, ad reſiſtendum improuiſis inſidiatoribus verſi. Turcæ inuadere, in primos atque acriores inuehi: pars à dextrâ, pars à ſiniſtrâ irruere, omnibus locis Chriſtianorum ordines conturbare. Ludificati illi incerto prælio eminus atque ex alto feriebantur, neque contrà feriendi aut conferendi manus copia erat. Paucis ad pugnam, reliquis ad fugam animus fuit. Hi per diuerticula montium conantur euadere. At eos Turcæ equites per notos tramites à tergo, à lateribus circumueniebant. Omnes fuſi, multi capti & cum annona atque impedimentis abducti. Non defuit qui felicis pugnæ nuncius ad Regem Accianum accurreret. Rex meritò gauiſus, at veritus ne ex caſtris Chriſtiani in redeuntes victores erumperent (& verò iam

erumperant) reliquos ſuos Antiochiâ iuſſit prodire armatos, & ſocios tegere. Hortatus agmen in egreſſu; denuncianſque ei aut vincendum aut moriendum, portam vrbis claudendam curauit. Summam deinde turrim ipſe cum Reginâ ac filiâ conſcendit ſpectaturus ſucceſſum, quem ex initijs expectabat lætiſſimum. In Turcicis copijs celebres virtute duces erant, Solimanus Rex, Senſadolus Acciani Regis filius, Reguli quos Amiralios vocant, ſupra duodecim, inter quos magnus Arabs corpore eminebat & viribus. Nec diu Acciano defuit ſpectaculum. Citra proximum montem aduertit magnam vim pulueris attolli, eamque non pro venti flatu, ſed directò magis magiſque pontem vrbis verſus aduolui. Quæ vt ſenſim diſcuſſa clareſcere cœpit, faciem rerum mirabilem aliam atque aliam aperuit. Primùm omnium globus equitum aduolabat ad pontem, non turbato agmine, vt fugientium, ſed collecto. Ex quo indicio intulit Accianus ſuos reuerti victores. Præibat globo ductor eximia corporis & armorum ſpecie, ſed adhuc propter loci interuallum pulueremque incognita. Is propius pontem occupat tumulum: inde vultum gladiumque conuertit in ſequentes. Accianum & reliquos ſpectatores incertos quis eſſet, aut quid moliretur, expectatione ſuſpenderat. At mox è nebula extitere alij fugientes effusè nulloque ordine, quos ad pontem tranſire nitentes mirandus ille eques, qui præcucurrerat, excepit ſtupendo robore, nec habituro fidem, niſi facerent auctores idonei. Pri-

mi ſugientium non turmatim, ſed fere ſinguli aduenicbant, vt quiſque velociſſimo inſederat equo. In hos ille ignotus cum ſuis faciebat impetum ex tumulo, in quem habebat receptum, ſortituſque valentiſſimos quoſque ingenti gladio alijs caput, aiijs lacertum ſingulis ictibus amputabat, alios detruncabat aliter. Plurimos terribilis gladij metu vel in amnem agebat, vel in prælium, vnde ſugerant, redigebat, vtrouis loco perituros. Rex Accianus iam non dubius quin ille hoſtis infenſiſſimus eſſet, irâ percitus requirebat à ſe tacitus, ac deinde ab adſtantibus, quis gladiator ille ex omni Chriſtianorum numero in tantam vim cædemque ſuſſiceret, Godefredo ęgrotante, Buamundo & Raymundo (vt nunciatum modò erat) occiſis vel captis. Cæterum obfirmarat animum Rex ad portam non recludendam, tum vt ſuos deſperatione accenderet ad pugnandum, tum ne gladiator cum ſuis in vrbem ferè propugnatoribus vacuam irrumperet. Maior ſenſim conſertiorque fugientium multitudo appropinquabat. Qui cum ſcirent inſtare à tergo victores Chriſtianos, à fronte gladiatorem cum ſuis ſæuientem, clauſamque portam viderent, pauci audebant ſubire nouam aleam pugnæ. Refugere ad amnem, iactare arma, inermeſque (quod tutius fortuna fecerat) ſeſe aquis inferre. At multi tranare fruſtra conati hauriebantur fluctibus. Ac niſi portam denique aperiendam curaſſet Rex, vltimam Turcis cladem ille dies attulerat. Quam patentem conſpicati reſumptis animis conferti obiterque pugnantes

ſubire feſtinant, multis ab Heroë gladiatore cadentibus. Sed adhuc conſueta ſibi virtutis exempla ediderat. Duobus maximè, Tudebodo qui aderat, teſte, inclaruit. Fuit eques Turca præferox, quem tantâ vi percuſſit enſe, vt à capite ad ephippium vſque diffiderit. Poſt hunc magnus Arabs, ille Aſiæ terror, aureâ loricâ & proceritate ſpectandus apparuit. Quo in bellatorem Chriſtianum inuecto memorabilis pugna edita eſt. Sed quiſnam ille eſſet Chriſtianus bellator, antè videtur dicendum, quàm quo euentu cum Gigante manus conſeruerit. Nuper ante ludos hoſpitibus exhibitos, caſtra Chriſtianorum grauibus malis premebantur, rerum inopiâ, fame, rebus bello aduerſis. Verùm ſuberat malum cæteris maius & cauſa cæterorum, quod priſtinam cæli benignitatem auerterat. Proſperis elati animi, & in copiâ rerum inuentâ ad Antiochiam ſolutæ cupiditates. Cibi potioniſque intemperantia, aleæ, furta, & malorum caput licentior cum feminis conſuetudo. Imperatori Godefredo probitatis omnis & nominatim pudicitiæ ſtudioſiſſimo hæc delicta exercitûs grauiora erant ipſo morbo corporis, quem ægritudo animi auxit. Et offenſa noxis Virgo Dei Mater viſa erat non tantum auertiſſe oculos, ſed è caſtris receſſiſſe tunc, cum vexillum illud, quod Reginæ præferebat effigiem, captum & ablatum eſt in vrbem. Ea erat imago puriſſimæ Virginis, cuius cultui amorique cum mirè addictus Dux Godefredus eſſet, eius tutelæ commiſerat exercitum. Mariæ a opem in omnibus pugnis inuo-

a *Poirenus citans Tyr.*

candam curabat, eiuſque effigiem prçferendam in vexillo. Eiuſdem iconem locabat in ſua ſtatione, vbi Virginem pro Regina & armorum præſide venerabatur. Ergo cumulus ingens acceſſerat eius ægritudini, cum cognorat Virgineum vexillum non modò captum, ſed ab impuriſſimis Turcis palàm in muris vrbis atque in oculis caſtrorum ludibrio haberi ſolitum. Ea res tam lugubris Godefredo fuit, quàm ſi acie victus ſigna omnia amiſiſſet. Inter hæc cùm fames, peſtilentia, militum cædes ac deſertio caſtra affligerent, necnon Dux æger contra vim malorum primùm viribus animi luctatus deinde ſuperaretur, Anicienſis Epiſcopus cum Anachoreta, ipſoque Godefredo remedium ad auertendam cæleſtem iram exquirit. Indictæ preces publicæ, triduique ieiunium: dein Anachoreta ad conuocatos, conſertoſque circum prætorium Godefredi milites inſignem de pudicitię laude ac neceſſitate orationem habuit, quâ multis audientium non ſolùm rubor ſuffuſus, ſed & expreſſæ lacrymæ. Decretę deinde pœnæ in nocentes, adulteria & ſtupra capitis ſupplicio proſcripta, feminæ leues eiectæ, a nuptæ innuptæque in vnum locum à viris ſecretę. Nonnulli virorum Deo ſe deuouentes cælibem vitam pro viribus agitare aggreſſi deliberatâ continentiâ nobiles. Ita miles in Ducis Godefredi velut vnici exempli mores formabat & caſtigabat vitam. His caſtè præclareque factis viſi ſunt expiaſſe quidquid in eos irarum cæleſtium fuerat. Et verò multitudine ad meliorem

a *Fulch. Tyr. &c.*

frugem reuocatâ cæleſtis ira conquieuit, & præmium caſti conſilij permagnum illico ſuperi conceſſere. Namque, vt affirmat Tyrius pontifex, ſtatim Dux Godefredus, illud columen exercitus dudum deſideratum, ex longâ ægritudine conualuit, inſultantibus hoſtibus probaturus quantus eſſet alter Carolus Magnus iam tertiùm rediuivus. Et mox famem quidem caſtrorum leuauere partæ ex hoſtico prædæ. Animos quoque erexit hoſpitum nobilium aduentus, quibus honor ludorum datus eſt. Amerinas *a* Imperator præpotens Saracenorum, cui Babilone Ægypti regiâ vrbe imperij ſedes erat, legatos ad Ducem Godefredum nauigio miſerat. Intercedebat Saraceno cum Turcis diſſidium ſuperſtitionum, licet vtrique Mahometem ſectarentur. Inde odium & bellum, quo Saracenus magna ditionis parte exutus à Turca fuerat, atque eiectus vrbe Hieroſolyma. Lætus ergo Latinorum in Turcas bello Saracenus, atque adductus in ſpem fore vt imperium Turcarum armis Chriſtianis euerteretur, & noſtri partâ victoriâ exercitum deducerent, atque ita ipſe nullo ſuo labore velut vacantia recuperaret quæ amiſerat, oratores ad Godefredum miſerat, qui in caſtris magnificè culti. Poſtquam ludi editi, quibus celebritatem & lætitiam addidit conſpectus inter ſpectatores ipſe præcipuum ſpectaculum Dux Godefredus nuperrimè valetudini & militibus reſtitutus, nuntiatum erat Rodohanum Antiochenſibus venire auxilio. Duxerat in eos nocte Godefre-

a *Aque. Friſing.*

dus comitantibus Saracenis oratoribus vt Chriſtianæ virtutis ſpecimen iam non ludicrum ſpectarent. Dimicatum manè loco anguſto inter Orontem & lacum. A ſeptingentis delectis Chriſtianis Barbarorum millia duo cæſa, fugata viginti ſex millia. Locus, virtus, Virgo dedere victoriam. Capitum reciſorum ſpectaculo confuſi horrenteſque Antiocheni ceſſauere à ludibrio vexilli Mariani, ſummâ Ducis lætitiâ, nec ſine oratorum Saracenorum plauſu, qui (teſte Agile) Ieſum Marię filium laudauere ſternentem potentes infirmorum operâ. Vtrumque illud nomen in honore etiam his barbaris erat. Ijs redeuntibus in Ægyptum adiuncti legati Chriſtiani ad amicitiam & ſocietatem armorum confirmandam cum Imperatore Amerinâ. Chriſtianæ legationis princeps Gerardus Aueſnas fuit. Nec alium maluiſſent mitti Saraceni, aut mittere Godefredus. Hic carum caput belli periculis tantiſper ſubducere cupijt, illi habere comitem & Imperatori ſuo offerre intimum Chriſtiano duci adoleſcentem. Quos abeuntes comitati ad portum Buamundus, & Raymundus, partim honoris causâ, partim vt multitudinem Mathildanam claſſe aduectam adducerent, in reditu oppreſſi Antiochenorum inſidijs. Auditâ clade Godefredus incredibili dolore affectus eſt. Mox ſummum poteſtate & virtute ducem ſe geſſit, Bleſenſi Comite iam dictaturâ defuncto. Supremi imperij opera hæc fuere. Miſſis *a* per caſtra præconibus corripi arma iubet, & omnes propoſitâ pœnâ capitis adeſſe armatos fra-

a Aquen. S. Tyr.

trum vlturos ſanguinem, modicis præſidijs ad ſpeciem modò caſtrorum relictis. Tum pro ſummi ducis poteſtate diuidit in agmina exercitum, quibus ductores præficit Robertos Normannum & Flandrum, Hugonem, & Euſtachium fratrem. Ipſe nullam ſibi aciei partem ſumpſit priuatim ducendam, vt & omnibus conſuleret, & ad ſubitos caſus expeditior eſſet. Inſtructâ acie iam progreſſuris conſpectus eminus eques accedens gradu concitato, ac turbido, capite triſtem in modum demiſſo, cæterum armis inſignis. Agnitus denique Buamundus, qui per abrupta rupium & ſolis feris peruia elapſus periculo, ſed pudore malæ geſtæ rei ac dolore turbatus, cùm è vepreti vmbrâ in conſpectum caſtrorum venit, velut ab inferis extractus tunc primùm lucem aſpiceret, ingemuit, eique lux nocte triſtior fuit. Reputabat inter viam ordinem atrociſſimæ calamitatis, quâ nulla poſt cladem Gorgoniæ vallis grauior acciderat. Voluebat animo lætitiam vrbis, dolorem caſtrorum; quo fremitu procerum excipiendus rediret; quid hoſtes, amicique exprobraturi eſſent. Non prouiſum periculum, non exploratores præmiſſos; temeritate ducum in eum locum deductum militem, & ſubſidiarios Mathildanos belluarum modo in foueam miſſos. Inter has cogitationes appropinquantem caſtris ſecutus modico interuallo Raymundus, & pòſt alij, trecentis omnino deſideratis. Ex inſperato incolumes Godefredus excepit amplexu, lætus tantorum Principum ſalute & ope reſtitutâ,

ſolatus quoque eos perhumaniter, ſcire ſe dicens inſidijs cladem acceptam, non prælio. Eum bello inferiorem, qui armis vincatur. Nunc ſecum ad vindictam properarent. Illi laudato Ducis conſilio pariter in hoſtes magnis animis inuehuntur. Acriter vtrimquè dimicatum principiò. Cùm Turcæ deinde cederent, ſubmiſſum ab Acciano auxilium reſtituit animos, & prælium. Godefredus vbique ſuis adeſſe, ſubſidia, quibus res poſtulabat locis, inducere, alibi peditum manu, alibi procellâ equeſtri barbaros circumfundere, ipſe ordines identidem hoſtiles irrumpere, ac turbare. Vbi aduertit inclinatam aciem, multoſque iam fugam incœptantes, Buamundo, Hugone, Tancredo in terga hærentibus, ipſe belli ſcientiſſimus globum familiarium equitum ex acie ſumit, citatiſque equis, tranſuerſo campo præcurrit ad portam vrbis. Vbi (vt dicere ſuprà cœpimus) inauditæ virtutis exempla edenti ſuperuenit fugientium turbâ inuolutus magnus Arabs. Is a gigas (talem deſcribit Robertus) alto vertice aduertens Godefredum Turcas fugientes ſtrage remorantem, irâ turbidus ſuos hortatur vt animis collectis ſaltem conſiſtant, dum ipſe fugæ eorum moram ſuſtulerit gladiatorem Chriſtianum. Ita effecit vt inhibito tantiſper ſuorum curſu ſpatium interceſſerit committendæ, & ſpectandæ breuis, ſed memorabilis pugnæ. Proximè pontem vrbis concurrêre. Intus ſpectabant ex arce Rex,

a *Rob. Mon.*

Rex; Regina, horumque filia; è mœnibus Syri indigenæ, Turcęque fugâ ſeruati; foris reliqui. Par bellatorum vtriuſque partis fortiſſimorum eo loco fortuna commiſerat. Arabi arma fulgebant auro, Chriſtiano rubebant cruce belli teſſerâ, & cruore hoſtili. Notum erat Arabis robur, parque corporis moli. Chriſtiano licet intra communem modum proceritas eſſet, occultatumque diuturno morbo nomen, immenſa virtutis opera nunc edita parem admirabilitatem indiderant. Godefredus eâdem fugientium cæde occupabatur, cum eminus Arabs ira præcipiti, nec dilato in congreſſum impetu, arcum corripit & alijs ſuper alias ſagittis hoſtem inceſſit. Quibus partim furore exerrantibus, partim retuſis armorum Ducis firmitate, nihil egit niſi hunc in ſe conuertit. Inde aduerſos equos calcaribus concitant. Spectatores arrecti, ſuſpenſique animis intenduntur in minimè ludicrum, vt nuper, certamen, ſed ominoſum ad cæterum bellum. Horror quidam omnes inuaſerat, & neutrò inclinatâ ſpe vox pariter ſpirituſque torpebat. Arabs (vt Tudebodus & Agiles oculati teſtes, necnon æqualis eorum Aquenſis Albertus alijque produnt) acinacem altè ſublatum in caput Ducis tanto impetu torſit, vt interpoſitum ſcutum eius diſſiderit, verticem quoque diuiſurus, niſi Dux flexiſſet in latus. Deus Deique mater bellatorem ſuum texere. Godefredus irâ generoſâ ſuccenſus vicem rependit inaudito roboris exemplo. Ferro à læuâ cæſim incuſſo barbari latus pectuſque non ſolùm hauſit, ſed ita

P

diuiſit corpus medium, quamuis loricatum, vt ab vmbilico ſuperior pars humi deciderit, inferior equum complexa cruribus (ita firmiter inſederat) per pontem intra portam inuecta ſit. Equus *a* rectore carens, laxataſque ſentiens habenas, curſu agitatis calcaribus vtrimque ſuffixus proripitur in vrbem. Inter oppidanos tanquam furiâ inſeſſus hinnit, truncumque ſeſſorem oſtentat. Exhorruerant ad ſpectaculi nouitatem barbari, tum qui foris, tum quotquot intus erant. Hi procurrere ad muri crepidinem, intentis arcubus victorem inceſſere, & arcere vrbis ingreſſu. Dux grandine telorum non territus, repulſus tamen à portâ, fugientium ſtragem inſtaurat. Arabis cædes quàm exhilararat Chriſtianos, tam Turcas cumularat vbique terrore. In eos inuecti tantò acriùs Buamundus, Hugo, Euſtachius, alijque proceres. Ibi proditur facinus Roberti Normanni, qui cum ingenti ictu barbarum ſtrauiſſet, ioco proſequens ruentem, ſpiritum, inquit, tuum cruentum Tartareis omnibus genijs commendo. Ad noctem producta cædes, velût pecudum. Dux cani denique receptui iuſſit, & capita hoſtium multa ad portum ferri Saracenis legatis oſtendenda. Iam erant legati vela facturi, cum eorum comes Gerardus Aueſnas animaduertit *b* ſanguineum Orontem affluere, ſimulque factum prœlium ingens intellexit. Fluitantia deinde amne Turcica arma & ſpolia, victoriam, priuſquam nunciari poſſet, inſignem fecere. Tum venientes nuncij cum Turcarum capitibus, referenteſque longè præ-

a *Order.* b *Tyr.*

cipuam fuiſſe gloriam Godefredi gigante cæſo, legatis omnibus mouerunt admirationem maximam. Sed Gerardum perfuderunt inſuper ingenti lætitiâ, pro ſummâ, quæ inter eum & ducem intercedebat, neceſſitudine. Verùm erit aliquando, vbi magno ſtabit vtrique ea mutua caritas barbaris comperta. Perinde quaſi pulcherrima quæque inſectari fortuna gaudeat. Dum Gerardus cum legatis Ægyptum petit, Godefredus velut triumpho reuectus in caſtra prædicabatur omnium vocibus. Antiochiæ verò ſilentium & conſternatio ſumma Turcarum erat. Numero deinde occiſorum inito, vbi compererant occubuiſſe prҿter magnum Arabem nobiliſſimos ſuæ gentis vndecim Satrapas, & militum ad quinque millia, perſonuere plateæ & domus funeſtis querelis. At Syri indigenæ religione Chriſtiani, ſicut pugnæ tempore, ita partâ victoriâ non tenebant ſigna lætitiæ ſpeique conceptæ. Qui fauor in obſidentes egit Turcas in occultam rabiem, quæ pòſt paulò erumpet in vindictam. Accianum Regem, antè curæ expertem & fiduciâ in ſolio dormitantem, nunc terror, quantus antè nullus, inuaſerat, & rerum moles nullam quietis partem capere ſinebat. Conuocatis *a* in arcem proceribus, poſtquàm in commune deliberatum eſt, Solimanum conſanguinitate proximum, virum facundiâ & induſtriâ Turcis notiſſimum orat, vt properet ad Belchiarocum Turcarum Imperatorem, & auxilia quàm maxima & celerrima poſtulet. Ei filium ſuum Senſadolum (Bulda-

a *Aquen.*

diuiſit corpus medium, quamuis loricatum, vt ab vmbilico ſuperior pars humi deciderit, inferior equum complexa cruribus (ita firmiter inſederat) per pontem intra portam inuecta ſit. Equus *a* rectore carens, laxataſque ſentiens habenas, curſu agitatis calcaribus vtrimque ſuffixus proripitur in vrbem. Inter oppidanos tanquam furiâ inſeſſus hinnit, truncumque ſeſſorem oſtentat. Exhorruerant ad ſpectaculi nouitatem barbari, tum qui foris, tum quotquot intus erant. Hi procurrere ad muri crepidinem, intentis arcubus victorem inceſſere, & arcere vrbis ingreſſu. Dux grandine telorum non territus, repulſus tamen à portâ, fugientium ſtragem inſtaurat. Arabis cædes quàm exhilararat Chriſtianos, tam Turcas cumularat vbique terrore. In eos inuecti tantò acriùs Buamundus, Hugo, Euſtachius, alijque proceres. Ibi proditur facinus Roberti Normanni, qui cum ingenti ictu barbarum ſtrauiſſet, ioco proſequens ruentem, ſpiritum, inquit, tuum cruentum Tartareis omnibus genijs commendo. Ad noctem producta cædes, velût pecudum. Dux cani denique receptui iuſſit, & capita hoſtium multa ad portum ferri Saracenis legatis oſtendenda. Iam erant legati vela facturi, cum eorum comes Gerardus Aueſnas animaduertit *b* ſanguineum Orontem affluere, ſimulque factum prœlium ingens intellexit. Fluitantia deinde amne Turcica arma & ſpolia, victoriam, priuſquam nunciari poſſet, inſignem fecere. Tum venientes nuncij cum Turcarum capitibus, referenteſque longè præ-

a *Order.* b *Tyr.*

cipuam fuiſſe gloriam Godefredi gigante cæſo, legatis omnibus mouerunt admirationem maximam. Sed Gerardum perſuderunt inſuper ingenti lætitiâ, pro ſummâ, quæ inter eum & ducem intercedebat, neceſſitudine. Verùm erit aliquando, vbi magno ſtabit vtrique ea mutua caritas barbaris comperta. Perinde quaſi pulcherrima quæque inſectari fortuna gaudeat. Dum Gerardus cum legatis Ægyptum petit, Godefredus velut triumpho reuectus in caſtra prædicabatur omnium vocibus. Antiochiæ verò ſilentium & conſternatio ſumma Turcarum erat. Numero deinde occiſorum inito, vbi compererant occubuiſſe prçter magnum Arabem nobiliſſimos ſuæ gentis vndecim Satrapas, & militum ad quinque millia, perſonuere plateæ & domus funeſtis querelis. At Syri indigenæ religione Chriſtiani, ſicut pugnæ tempore, ita partâ victoriâ non tenebant ſigna lætitiæ ſpeique conceptæ. Qui fauor in obſidentes egit Turcas in occultam rabiem, quæ pòſt paulò erumpet in vindictam. Accianum Regem, antè curæ expertem & fiduciâ in ſolio dormitantem, nunc terror, quantus antè nullus, inuaſerat, & rerum moles nullam quietis partem capere ſinebat. Conuocatis *a* in arcem proceribus, poſtquàm in commune deliberatum eſt, Solimanum conſanguinitate proximum, virum facundiâ & induſtriâ Turcis notiſſimum orat, vt properet ad Belchiarocum Turcarum Imperatorem, & auxilia quàm maxima & celerrima poſtulet. Ei filium ſuum Senſadolum (Bulda-

P 2

a *Aquen.*

gum iam ante præmiſerat) & duodecim legatos adiungit. a Turcæ, Scythica gens, principio imperium ac religiones ſecuti Saracenorum. Deinde rebelles victis ijs in Aſiâ cœpere dominari creato rege Sadroco. Saraceni Ægyptum tenebant, quorum Calipha Turcam Sadrocum timens, Sultanum eum, hoc eſt, Imperatorem Perſidis & Aſiæ ſalutauit. Sadroco ſucceſſit Dogriſſa, Belcepho quoque dictus: huic Aſphaſalemus, cuius fratris filius Solimanus miſſus aduerſus Græcos, Nicææ regno potitus erat. Quartus imperarat Melecha, cui filius ſucceſſerat Belchiarocus, & regnum Coroſanum iam obtinebat, fratre alteram imperij partem occupante. Ingreſſi Sammarcham vrbem regiam Solimanus & Senſadolus cum legatis a Imperatorem venerantur, & priuſquam legationis cauſam aperiant, more gentis (cum quid grauius conquerendum eſt) triſti geſtu pileos à capite iacientes barbamque vellentes, ſuſpirijs, lamentiſque præfantur. Simul legati ante ſolium cum flebili vociferatione procubuerant. Interrogante Belchiaroco quid tantum querantur, exponit Solimanus à Chriſtianis ſe regno ſpoliatum, & Accianum Antiochiæ obſidione ad extrema redactum orare atque efflagitare Principis auxilium, reliquamque ſpem nullam, niſi in eius armis, habere. Mouerant hæc Imperatorem. At, qui aderat, Corbagathus, inter proceres non ſolùm auctoritate ac robore, ſed etiam ferociâ ſummus Chriſtianorum virtutem ſpernens, ſi viuo, in-

a *Hayton.*

quit, non ſex abibunt menſes, quin eos tibi, Imperator, ſubactos dabo; iuroque ſic deleturum, vt omnis Chriſtianorum gens ac poſteritas horreat. Innumeræ copiæ mox contractæ ex Coroſano regno, Alapiâ, Damaſco. Præceſſit Senſadolus, atque Antiochiam redire feſtinauit ad patrem lætus nuncius de aduentante Corbagatho. Nihil de huius formidabili exercitu ſciebatur in Chriſtianorum caſtris: deque ijs actum erat, niſi Corbagatho mora iniecta memorabilis à Balduino fuiſſet ad Edeſſam. Interim ærumnæ Chriſtianos ad Antiochiam premebant. Corruptis tentorijs ſub dio dormiebatur. Inediâ pallebant vultus non militum modò, ſed & procerum. Ex fame alijſque malis vulgabantur morbi & metus. Adhæc videbant vrbem humanis viribus inexpugnabilem. Acceſſit vltimus terror à Corbagatho, nunciantibus Syris eum prope iam abeſſe. Vt de re conſtaret, miſſi exploratores: qui a vndique è montium iugis velut vndatim ſcaturire innumerabiles Turcas retulere clàm Duci, ne vulgus militum conſternaretur nuncio. Cæterùm peſſimo exemplo præiuit ad fugam ille nuper dictator Stephanus Bleſenſium Comes. Per cauſam ægritudinis receſſit à caſtris, & cum eo ad quatuor hominum millia. Calendis Iunij (poſtridie cuius diei ſecuta eſt horrenda nox) proceres conſulturi de imminenti periculo conuenere. Imperator Godefredus, vt erat impauidus, auctor fuit, vt quando res nec moram nec aliud remedium patiebatur, armati omnes oc-

a *Aquen.*

currerent Corbagatho, & in diuina ope ſpem locarent, vel pugnam victoriâ, vel vitam glorioſâ morte clauſuri. Aſſenſi Robertus Flander, Euſtachius frater, alijque. Addidere quidam illud, dum maxima pars Chriſtianorum prodiret in hoſtes, partem manere in caſtris oportere, ne obſeſſi erumpentes vrbe coniungerentur Corbagatho. Verùm Buamundo neutrum probabatur. Noluit tamen palàm in conuentu diſſentire, ſed vt aperiret mentem arcanumque, quod dudum agitabat, ſeuocauit in ſecretum locum primores quinque, ducem Godefredum, Hugonem Magnum, Robertum vtrumque, & Raymundum; quos ſic allocutus: *Etſi magnitudo animi veſtri & ſemper alijs in rebus, & maximè nunc patet in eo quod in Corbagathum eundum cenſetis, videtur tamen attendendum priùs, quantum inde periculum immineat non dicam vitæ veſtrę, quam Chriſti cauſâ lubentes prodigitis, ſed obſidioni, quam eâdem cauſa ſuſcepiſtis. Siue enim totis copijs, ſiue cum earum parte in Corbagathum tenditis, facile erit hoſtibus in vrbem milites & commeatum inducere. Reſtat ergo vt ante aduentum Corbagathi potiri vrbe conemur. Armis inexpugnabilem hanc merito videri ſcio: at nunc fidei veſtræ committam belli furtum, occultamque rationem, quâ confido potituros.* Arrectis tanta pollicitatione animis procerum, aperit arcani conſilij rationem, quæ nunc mihi altiùs repetenda. Adoleſcens *a* erat Antiochenus domo nobili, ingenio mirè cal-

a *Aquen. G. Tyr.*

lido. Iam inde à cœpta obſidione ſolitus penè quotidiè egredi portis, per interualla ſtationum ſubire caſtra, alio atque alio habitu ac nomine vltro citroque inobſeruatus commeare. In caſtris nomen ei Buamundus, in vrbe aliud erat. Ibi Chriſtianus, hîc Turca habebatur. Agitabat aliquid magnum, ſed vtrobique pauciſſimis familiaris reliquos fallebat. Tres tantùm conſiliorum participes habebat, in caſtris Buamundum & Tancredum, in vrbe patrem, quibus quæ acta, quæque agenda erant, clàm omnia ſignificabat. Is inter primas ad Antiochiam velitationes captus ſeu vi ſeu vltro in Buamundi Principis omnium tunc (Godefredo ægrotante) celebratiſſimi poteſtatem venerat. Sperauit Buamundus adoleſcentem effici Chriſtianum poſſe, & rei Chriſtianæ vtilem. Pater captiui Pirus nomine per cauſam filij redimendi agere cum Buamundo cœpit. Normannus vt erat viciſſim callidiſſimus, data occaſione clàm vtriuſque animum ſollicitare ad prodendam vrbem, negare alia conditione liberatum iri adoleſcentem: ſi annuerent, magna polliceri. Interim benignè lauteque habitus adoleſcens Chriſtianæ religionis leges edocebatur eò faciliùs, quòd à Chriſtianis genus ducebat. Antiocheni enim iam inde ab Apoſtolicis temporibus imbuti Chriſtianis ſacris, licet deinde vrbe Mahometanorum armis ſubactâ, plerique omnes in Chriſti fide permanſerant. In ijs erant familiæ nobiles, atque inter has Benizerra gens, cuius princeps ille, quem dixi, Pirus. Qui dominantibus ab annis quatuordecim An-

tiochiæ Turcis diuexantibuſque Chriſtianos incolas ijs tantum exceptis, quos Turcicis ritibus addictos vxoribus & libertate donarant; vt ſe moleſtijs eximeret, Turcicas ſuperſtitiones vel amplexus fuerat, vel amplecti viſus; paſſus certè filium profiteri eas, baptiſmatis expertem. Hinc gratiâ valebat apud Accianum Regem: cumque alij indigenæ nullum obtinerent in vrbe dignitatis gradum, neque tractandis armis, ſed tantum negotiationi & illiberalibus artificijs operam dare ſinerentur, maxime ſuſpecti, ex quo Chriſtianus exercitus vrbem obſederat; Pirus contrà Emiri prænomen (quod Principem ſonat) accepit. Regi multa familiaritate coniunctus, & regius Scriba minimè ſuſpectus viuebat in aula, turriumque vnam ad portam vrbis occiduam habebat ſuæ curæ demandatam. Cæterùm tædebat eum externi barbarique imperij. Quare Turcarum ſæuitiæ obtinendum, finemque imponendum cenſuit. Filius in caſtris ſacratiore lauacro tinctus, deque eo à Buamundo ſuſceptus, Buamundi nomen acceperat. Remiſſus ad patrem ac deinde internuncius conficiendo negotio nauauit impigram operam. Promiſit denique Pirus ſe turrim, cui præerat, Buamundo traditurum. Verum nectebat moras partim periculo trepidus, partim maioris præmij ſpe, partim Buamundo ipſo captante occaſionem non ſolùm potiundæ vrbis in commune, ſed priuato iure poſſidendæ. Hic Corbagatho imminente tandem Godefredo paucisque alijs procerum aperuit commercium ſuum clandeſtinum cum

Piro, polliciturnque hunc ſibi, quando luberet, dediturum turrium vnam. Addidit ſe multum in hac re totis ſeptem menſibus inſumpſiſſe operæ, multa homini donaſſe, plura pactum. Quare, inquit, peto à vobis meo Pirique nomine primùm ſilentij fidem, deinde vt vrbs Antiochia, cum venerit in poteſtatem, mei ſit iuris. Sin id non placet, habeat eam ſibi quiſquis veſtrum occupare aliâ viâ poterit. His auditis Dux, Robertus vterque, & Hugo Magnus vehementer gauiſi, Buamundo ciuitatem conceſſere, eâ tamen lege vt redderet Græco Auguſto, ſi ex pacto is opem ferret. Datæ dexteræ in fidei pignus. Mox Buamundus in rem perficiendam incubuit. Monitus Pirus per filium reſpondit lætus ſe alterâ poſt proximam nocte traditurum turrim. Annulus datus vt nulli nuncio fides haberetur, niſi qui eam deferret; id pignus documentumque, ne capi fraude aduerſæ factionis poſſent, futurum. Verum & obſeſſi Turcæ arcanum conſilium idque tragicum inierant eadem nocte exequendum; in quam inſolens, ſi vnquam, rerum perturbatio vtriuſque partis fraudibus ſibi obſtantibus confluxit. Adhuc Pirus conſiliorum omnium Acciani fuiſſe ſe participem putabat. Verùm ante paucos dies in ſuſpicionem vocari cœperat. Iniecta erat præſagitio quædam oppidanis partim Turcis partim Chriſtianis tractari clàm de vrbe prodendâ, nullo adhuc probabili indicio, ſed ita augurabantur alij ex rei metu, alij ex deſiderio. Id cum inaudijſſent proceres Turcarum, ſolliciti coierant apud re-

gem non aduocato Piro iam ſuſpecto; decretumque fuerat vt noctu Chriſtiani incolæ omnes contrucidarentur. Interceſſerat tamen quidam è Turcis Princeps Amirdalis, qui ſemper ſe Chriſtianis incolis æquum benignumque præbuerat. Per eum obtenta octo dierum mora eâ lege, vt ſi intra eos dies non ſolueretur obſidio, ex funeſto decreto perpetraretur cædes. Iamque temporis illius reſtabat dies vltimus. Interim Piro in Turcas magis inflammando res eiuſmodi contigerat. Fortè filius eius vrgente neſcio quâ causâ domum miſſus à patre, deprehendit ibi vnum è primoribus Turcarum in flagitio cum matre. Adoleſcens dolore percitus rem nunciat patri; qui furens, non ſatis eſt, inquit, canibus Turcis nos quotidianis exactionibus & ſeruitute premere, niſi & toros noſtros inceſtent. At, ſi viuo, breuiabo eorum tyrannidem & digna mercede penſabo. Ita inflammatus promiſerat turrim in ſequentem noctem. Buamundo, monito vt ad rem meliùs tegendam ſimularent Chriſtiani ſe totis caſtris mouere in vicinam regionem prædæ gratiâ; primâ autem noctis vigiliâ ad turrim redirent in quam eos acciperet. Principes noſtri, probato conſilio, per caſtra voce præconis (vt audirent ſcilicet Turcæ, fallerenturque) edixere profectionem. Iamque dederant ſe in viam, ignaris quid ageretur militibus, cum rei ſic optimè inſtitutæ cœptæque interuenit ingens turbatio. Pirus repentè ab Acciano euocatur ad aulam, quò primores Turcarum conuenerant. Licet Rex ei diffideadum non putaret,

illis videbatur timendus præ cæteris, quòd à ſtirpe Chriſtianus eſſet, quòd potentiâ, induſtriâ & calliditate pręcipuus. In conuentu queſti coram eo de ſuſpectis oppidanis, deliberauere quid opus facto, & rogauere ſententias, vt, quo animo eſſet Pirus, ex eius reſponſo deprehenderent. Senſit ille ſe incidiſſe in ſuſpicionem; quam vt aſtu effugeret, dixit eos perquàm laudabili ſollicitudine affici. Timeri enim prudenter, quod accidere poſſit: nec vllam nimiam eſſe cautionem in communi ſalutis diſcrimine. Cæterùm proditionem impediri poſſe hoc modo videri. Cum prodi ciuitas nequeat niſi ab ijs, qui turribus, muris, & portis præfecti ſint, mutari eos crebiùs opportere. Subitâ enim & frequenti eiuſmodi mutatione ſublatum iri opportunitatem periculoſi cum hoſte commercij. Laudata eſt Piri ſententia, placuitque ex eâ permutare ſtationum cuſtodes. Verùm, id ſi fieret, intelligebat Pirus anxius ſe auctore omnes arcani ſui conſilij rationes eſſe turbatas. Iamque appetebat condicta nox, quâ & proceres Chriſtiani ad turrim occupandam venturi erant, & in vrbe primores Turcæ Chriſtianos incolas ad internecionem cæſuri, octo diebus moræ conceſſæ iam elapſis. Ita alteri alteris eâdem illâ nocte mirandâ perdendis imminebant. Tenebris a ſe intendentibus Dux Godefredus & Robertus Flander cum quingentis militibus præeunte adoleſcente obſide ſilentio per auerſas rupes contendêre ad regionem arcis in auſtrum verſam & conſedere

P 6

a *Aquen.*

in valle haud procul turri promiſſâ. Inde Longobardum ex Buamundi familia præmiſere cum annulo ad Pirum. Hic in turris ſuæ feneſtrâ peruigil aduentum præſtolabatur noſtrorum. Licet enim mutationem cuſtodum ab eo propoſitam probaſſent magnopere Turcæ, tamen eâ tunc abſtinuerant, quòd ſubita ac tanta præfectorum per turres mutatio magnam perturbationem paritura viſa eſſet. At iuſſerant curâ intentiore firmari ſtationes, & præfectum vigilum obambulare mœnia cum lumine & armatorum comitatu, dum interim alij per vrbem Chriſtianos incolas perimerent. Iamque prouectâ nocte & accedente præfecto vigilum Pirus formidabat ne exequendi ſui conſilij tempus efflueret, cum Longobardus adſuit ad imam turrim. A Piro conſpectus, iuſſuſque ſilere quoad tranſijſſent vigiles, ijs prætergreſſis, annulum datæ fidei teſſeram repræſentauit. Gaûiſus Antiochenus vrget hominem vt ſocios aduocet. Dum id agitur, noua ingens Piri animo inceſſit cura. Erat ei frater natu minor, quem, quia norat Chriſtianis infenſum, arcani ſui conſcium eſſe noluerat. Ecce autem eum turrim ingreſſum, & ſomno iacentem animaduertit. Anxius primùm, deinde pium ratus impedire ne pio ſuo conſilio obſtaret frater euigilans, dormientem confodit. Inter hæc recurrerat Longobardus ad Ducem, remque procedere nunciarat. E militibus partim Ducis, partim Roberti Flandri, partim Buamundi, qui haud procul aberat, delecti ſexaginta viri, qui ſcalis in turrim ſubirent. Hos

periculi magnitudine & Piri dubia fide trepidos Dux confirmauit. Roberto Flandro ducente proceſſere ad turrim ferentes arma & ſcalas è corio. Mox Pirus demiſit funem, quo ſcalæ ſublatæ & ad muri pinnam alligatæ. Nec mora, præeunte Longobardo inclytus Robertus Flandriæ Comes aſcendit armatus & haſtâ nitens, ſecutique ordine aliquot euadunt in turrim ſilentio. Quod mirati infrà reliqui, timenteſque ne Flander cum ſocijs deceptus & iugulatus eſſet, hærebant. At è feneſtrâ ab eo vocati, tanto ſtrepitu ac numero aſcendere, vt pondere detracta pinna; cui funis annexus erat, omnes deſtituerit. Alij in cuſpides haſtarum ſubiectas ſeſe induêre, alij ruentibus è muro ſaxis obtriti. Inhorruere cæteri iam rati ſe proditos & actum eſſe de ingreſſis ſocijs. Verùm rurſus apparuit demiſſus ab Antiocheno funis, ex quo religatis ſcalis in murum ſucceſſere. Pirus numerum ingreſſorum animaduertens, paucos, inquit, habemus Francos. Eo nomine Latinos omnes appellabant. Cumque inter ingreſſos Buamundum non videret, vbi eſt, inquit, ille miles inuictus? Mox remiſſus à Flandro Longobardus, qui eum aduocaret, ac cæteros. Tyriorum pontifex quantum differt, qui ſcribat Buamundum aſcendiſſe primum! Ego pace diligentiæ Tyrij dixerim, potiùs Tudebodo & Agili, qui rei interfuerunt, eſſe credendum. Acciti à Longobardo ſocij concurrere ad ſcalas, quæ cum multitudini non ſufficerent, & pondere certatim aſcenden-

a *Tudeb.*

tium fractæ eſſent, indicatâ à Piro porta adulterina in propinquo perrumpitur. Arietis incuſſi fragor ne exaudiretur à Turcis, coortus Deo prouidente validus ventus effecerat. Patefacto aditu Dux & Buamundus cum equitum & peditum agmine irruunt in vrbem & in barbarorum domos, dum Flander in muris alias atque alias occupat turres. Liberatoribus ſuis agnitis indigenæ Chriſtiani gratulantes præibant indicaturi hoſtium tecta & receptus. Fluebat paſſim cruor; penetralia, plateæ, mœnia cadaueribus ſternebantur. Strepitu & clamoribus per vrbem crebreſcentibus expergefacti tandem in arce Rex & pręfecti ne tum quidem animo ſollicito fuere, arbitrati non aliunde tumultum oriri, quàm ex imperatâ in id tempus Chriſtianorum incolarum cæde. Et verò inuenti ſunt in horum ædibus Turcæ non pauci, & ibi, quam illatum alijs venerant, necem paſſi. Multi dum diuerticula & latebras quærunt, in Godefredi & ſociorum gladios incurrere. Pars patente vrbis portâ ſe eiecit, hærente in terga victore: pars in arcem perfugit incolumis. Interea milites Chriſtiani reliqui qui in caſtris remanſerant, ignari clandeſtinæ irruptionis, clamores vrbis mirabantur. In mentem venit Turcas ibi lætas voces tollere ob nunciatum aduentum Corbagathi. At Raymundus, Robertus Normannus, Euſtachius rei conſcij evulgato denique arcano exhilaratos & arma capere iuſſos ducunt ad vrbem. Primo diluculo conſpexerant erectum in edito loco Buamundi vexillum, captæ vrbis indicium. Apertis portis conferti

intrant, & iuncti ſocijs veniunt in partem cædis & gloriæ. Iam familiæ regiæ fortunæ hæc fuit. Nobilis vir Raymundi popularis in nocturna irruptione magnificam domum effractis foribus ingreſſus inciderat in dormientem Reginam accubante filiâ, quas captas Raymundo tradidit quiritantes, & de Acciano Rege ſollicitas. Manè conuenerant proceres deliberaturi de arce oppugnandâ, cum per vrbem ſpargitur rumor captum quoque regem adduci. Multitudo velut ad triumphi ſpectaculum effuſa eſt. Quantum quiſque plurimum poterat, famæ Acciani Turcicæque gentis addebat ad augendum partæ victoriæ decus. Ita celebratus ſermonibus Rex dum expectatur, Syri tres Chriſtiani magnis lætitijs incedentes adſunt, petuntque ad Godefredum admitti. Saccum præferebant ſanguineis notis reſperſum. Inde educunt prægrande humanum caput, inſigne oculis, & oris toruitate. Promiſſa canities, prælargæ piloſæque aures, barba ingens, quæ ad proceri hominis vmbilicum vſque defflueret. Acciani caput id erat, qui noctu arcem compleri fugitiuis conſpicatus, verituſque ne hæc ſeu proditione ſeu vi caperetur, clam ſuis abiecto cultu regio, vilibuſque pannis tectus, mulo conſcenſo effugerat, latitaturus in montibus, quoad euentum rei planiùs cognoſceret. Ibi dum incomitatus erat, Syri illi tres Principem eminus agnouere. Suſpicati fugere eum captâ vrbe, ſtatuunt vlciſci mala, quæ eo auctore acceperant. Animo diſſimulato accedunt, regemque ſubmiſſis ceruicibus venerantes re-

pente mulo deturbatum interimunt. Caput Antiochiam allatum non perinde Godefredum, ac pleroſque alios affecit. Hi lætitiâ geſtientes eò magis curas ponere; multi per domos vagari, omnium præter prædam obliti; pars vacare epulis; non pauci ſpectandis barbaris ſaltatricibus animum paſcere. Nonnulli quoque procerum captiuæ Reginę ac filiæ blandiebantur otiantes, fidenteſque rumori de Alexio aduentante, qui propulſaret Corbagathum. At Godefredus intenderat animum in belli curas, quæ multæ ſimul vndique circumſtabant. Licet vrbs capta cæſuſque Rex eſſet, arcem ſitu, operibus, præſidioque validam obtinebant præfecti, quibus Senſadolus Regis filius à Corbagatho reuerſus acceſſit. Ipſe Corbagathus cum copijs mox erat futurus in conſpectu, moras procul trahente Alexio. Annona non ſolùm in caſtris, ſed & in vrbe per plures menſes obſeſsâ defecerat. Ex adductis equis ſupererant CL. tantummodo, nec plures in vrbe inuenti quàm D. In conuentu procerum decreta arcis oppugnatio, eoque ſoluto mox cœpta, reliquo toto die tenuit, ſed nullo ſucceſſu, Buamundo etiam læſo in ſemore. Manè Corbagathi primum equitum agmen apparuit. Qui aduolantes ſub muros conuitijs inceſſere Chriſtianos, iactiſque in aërem telis ac receptis ludibundi vocauere ad pugnam. Cumque ijs fatigatis non eſſet facta congrediendi poteſtas; illi victoriæ ſpecie exultantes arcem ingreſſi. Poſtridie infinita Turcarum multitudo Antiochenam vallem ſubijt. Equitum trecenta millia,

peditum innumerabilis turba inter fluuium lacumque conſedit, cum egregio bellico inſtructu, nec ſine magno numero librorum magicorum & hariolorum Corbagatho fauſta omnia ſpondentium. Ibidem eum Princeps maga conuênit. Calabre erat *a* Corbagathi mater, fatidica mulier, quæ caritate in filium profecta vrbe Alapiâ ſequebatur exercitum. Arcanum longumque cum filio colloquium habuit. Neſcitum tunc quid agitarint. Cæterùm ex vultuum commotione, cum digreſſi ſunt, ſatis conſtitit de magnis rebus ſtudiosè actum. Inde anus Alapiam redijt, pretioſis donis, multiſque honoribus culta. Corbagathus motis caſtris propius vrbem acceſſit. Partem copiarum in campeſtribus vltra Orontem amnem ita diffudit per bis mille paſſus, vt ad portam Pontis pertingerent. Reliquas explicuit circum montem auſtralem, multis millibus in arcem immiſſis. Ipſe progreſſus in editam rupem è regione portæ, quâ vrbs capta fuerat, ſubſtitit. Inde & vrbem & caſtra ſua conſpicere poterat & conſpici ille gentium terror, magę Principis filius. Et verò mox in excelſo, quo conſtiterat, iugo ſpectaculum vrbi edidit, quod cum matre magâ ortum, adiutumque magicis artibus probaret. Ibi repentè illi non tabernaculum de more, ſed *b* nouum oppidum excitatum, ac velut ex terrâ ortum. Circùm muri, propugnacula, pinnæ, turres: intus ordines ædium plateis diuiſi: in medio princeps turris Carbagathique prætorium ad

a *Tud.* b *Aquen. G. Tyr.*

quod vndique plateæ ducebant. Oppidum totum ex ſymmetriæ legibus ſtructum, mirabili artificio & varietate colorum nitebat, adeo capax, in quo duo hominum millia commodè ampleque habitare poſſent. Spectantium noſtrorum ſtuporem auxit id oppidum, cum totum, poſt paucos dies, ſubductum oculis è rupe euanuit, & ſubitò in alteram Antiochiæ partem vltra fluuium in campeſtri tumulo denuò conſpicuum extitit. Eò demigrauit Corbagathus pabuli copioſioris causâ, ſicque circumfudit vrbi militem, vt noſtros vndique cingeret, & portis omnibus obſeſſis exitu intercluderet. Ita noſtri intus obſidentes arcem, vndique foris obſeſſi. Acceſſit ſiniſtri ominis res. Dux Godefredus, qui portâ ad orientem versâ habebat ſtationem, conſpicatus Turcarum multitudinem & vires eâ parte creſcere, eruperat portâ cum multis ſuorum. Pugnâ confertâ pro tentorijs magno animo, corporum vires labore inediâque debilitatæ & equi pauci ac ieiuni non ſuffecere conatui. Dux ante ſigna inclinatam ſuorum aciem animo, audaciâ, manu ſuſtinuit. At Turcis acriùs inſtantibus tandem repulſus in vrbem ducentis ad portam deſideratis. Elati hoſtibus animi propulſato duce, illo celebri gladiatore, magni Arabis interfectore, priuſque inuicto, ſed quem nunc docuerant vinci poſſe. Et Senſadolus, ex arce infeſtus perpetua iaculatione adhuc, nunc maiora aggreditur. Erat modica vallis inter arcis montem, & humiliorem alterum, in quo Buamundus præſidium excitarat, foſsâque & muro firmarat.

Non aliâ viâ, quàm per hunc collem, ex arce in vrbem aditus erat. Repentè Senſadolus cum ingenti peditum agmine, trucique tum clamore, tum impetu, Buamundi munitionem adoritur. Præſidiarij perculſi multitudine & vi hoſtium, feſſique pugnâ, lubrica ſuo ſudore & ſanguine arma vix ſuſtinebant. Iamque multis amiſſis Buamundus loco ceſſurus erat Turcis in vrbem ſecuturis, cùm nunciato eius & omnium diſcrimine Dux Godefredus accurrit auxilio cum Euſtachio fratre, alijſque. Ab ortu ſolis ad noctem dimicatum magno animo, parique periculo. Dubij euentûs pugnæ finem nox attulit, at non quietem noſtris, ſomnive ſecuritatem. Per tenebras maior, atque ominoſus pauor non paucorum animos, etiam procerum, oppreſſerat. Cogitabant ſibi Turcas ex arce, ex caſtris, inſtare; non interdiu, non noctu reſpirandi tempus, aut locum relinqui. Ægrè modò, nec tam virtute, quam nocte Turcas vrbis ingreſſu & expugnatione prohibitos. Cùm primùm ad arma redierint, debellatum eſſe. Deeſſe in vrbe omnia, etiam animos. Ergo velut deploratis rebus viri nobiles, *a* atque in his Grandimenillius, cui ſoror Buamundi nupſerat, noctis ſilentio è muris per funes delapſi, fugienteſque per abrupta manibus pedibuſque laceris ad fauces Orontis peruenêre. Ibi claſſiarijs Mathildanis res perditas, receptam à Turcis Antiochiam dictitauere, neque tutam eo loco eſſe claſſi ſtationem. Territi hâc narratione Mathildani, profugis illis in naues

a *Aquen.*

receptis abitum parabant, cum ſuperuenit Turcarum manus, inijcitque in nauigia ignes. Quæ ſubduci fugâ potuere, vela fecere Philomelim ad Alexium, qui Antiochiæ obſeſſis auxilio venturus grandem contraxerat exercitum. Aduectis ad eum profugis, eodem tempore locoque adfuit Stephanus Comes Bleſenſis, qui per cauſam morbi pridiè captæ vrbis digreſſus è caſtris, deinde viſo Corbagathi exercitu territus profugerat. Sciebat Alexius Stephanum nuper creatum Dictatorem inter proceres Latinos primas auctoritatis dignitatiſque partes obtinuiſſe. Ab hoc, alijſque vbi intellexit de Chriſtianis Antiochiæ actum eſſe, ſibi vltrà procedendum non exiſtimauit, & reportauit exercitum. Antiochiæ Chriſtiani reliqui ſuſtentabant quidem adhuc: at tot malis oppreſſos afflixit ſociorum iſta defectio. Primùm iraſci atque indignari, Grandimenillium comiteſque vocitare nocturnos funambulos, Stephanum transfugam Dictatorem, Alexium Græcæ, hoc eſt, nullius fidei Cæſarem. Subiuit deinde plurium animos tædium, deſperatio, & fugæ, quam in alijs damnarant, conſilium. Petrum Anachoretam, non illum ſacri belli præconem inclytum, ſed eius filium retraxit ex fugâ Tancredus, cuius ſignifer erat. Iam fames tanta inualuerat, vt non ſolùm equinis carnibus, ſed immundis quibuſque veſcerentur. Milites abſtinebant publico, nec iuſſis præfectorum ad militaria munera extrahi latebris poterant. Ita animos ex luctu & inediâ ſubierat pigritia, tædiumque vitæ. Hîc Buamundus, vt erat in-

genio ad comminiſcenda inſolentia prompto, ignem tectis injici iubet. Ad duo millia domorum, coorto vento, conflagrauere. Lugubri ſpectaculo periculoque territi milites prodiere quidem, ſed ex mutuo ærumnarum conſpectu mœſtiores. Fluere illuuie & lacrymis, pectora plangere, non alteri alteros aut ſalutare aut aſpicere. Ipſi Proceres reputantes hæc, & Turcam eſſe ſibi hoſtem, tam ſæuum vbi vicerit, quàm potentem vt vincat; defecere animis. Aliquot dies conſumpti ſecretas cogitationes voluendo, ſuſpectique inuicem non adire propiùs, non alloqui audebant. Tandem conuenere aliquot, deinde plures, & arcanum vltimæ deſperationis iniere conſilium. Decreuere reliquam Chriſtianorum multitudinem, quandoquidem nec in vrbe incolumem præſtare, nec per hoſtes educere ſaluam poſſent, deſerere, fugâque ſibi conſulere. Fœdiſſimum dictu facinus poſt conflatum bellum ſacrum eo die patratum erat, niſi fuiſſet, qui coniurationem Duci Godefredo nunciaſſet, longè alia tunc agitanti. Erat ei iam inde à captâ vrbe ſtatio ad portam, quę à vicino fonte, antroque memorabili nomen accepit. Ex *a* rupe contiguâ fons largo hiatu prorumpens in ſubiectum labrum lapideum magno ſtrepitu aquarum cadit. Inde limpidus ac ſaluber per canales deductus vicinos rigat hortos, longeque per vrbem excurrit. A fonte aſcenſus eſt in rupem præruptam, nec procul ab hac in montis latere cauerna ampliſſima viſitur. Rupi ipſi inciſa triplici aditu patet, plurimiſque columnis ex eadem rupe

a *Coronis.*

cæſis innititur. Dux cùm primùm ingreſſus erat locum hunc, animaduerterat circùm ad muros columnaſque fragmenta ſignorum, & veſtigia quædam pictarum imaginum. Interrogatis indigenis, quænam illa cauerna, quæ ſimulacra eſſent, intellexerat id pium delubrum fuiſſe ornatiſſimum Diuorum iconibus. Verùm impios Turcas Antiochiâ potitos locum, vt alibi alia, profanaſſe. Exturbatis ſacris miniſtris iumenta velut in ſtabulum induxiſſe, diſieciſſe aras, cæleſtium imagines diffregiſſe. Quin earum lineamenta ex ipſis deraſiſſe muris, & quaſi in viua capita ſæuientes effodiſſe oculos, mutilaſſe nares, obduxiſſe ora ſordibus. Dux indignatione in barbaros & religioſâ quadam in deformata ſimulacra miſeratione cauernam obire cœpit, & *a* ſingulas icones noſcitare; nomina exquirere & reuerenter pieque appellare: hîc Chriſtum ſeruatorem venerari, ibi Chriſti parentem, alibi Divum Paulum, de cuius nomine cauerna fonſque portæ contiguus atque ipſa porta erat appellata. Ad eam cauernam ventitare, ibi immorari, nec poſſe à cultu eorum piſque votis abduci, niſi ſerò, licet impranſus; *b* non ſine querelis amicis familiarium quibus placuiſſet precatio breuior. Hæc erant ſtudia Ducis, ita partiri militiæ & religionis munia, vt neutris vnquam deeſſet. Vtriſque tantò impenſiùs dabat operam, ex quo res Antiochena in vltimum periculi venerat. Secundùm Deum fretus ope Virginis ſacri belli præſidis, cuius iconem in cauernâ tanquam ſacrum Palladium colebat, verſabat animo

a *Tyr.* b *Idem.*

quâ ratione obſidionem expediret: conſultiuſne eſſet includi diutiùs muris; an erumpere inſtructâ acie in hoſtes; an ad ſingulare certamen vocare Corbagathum. Certè pro ſalute ſociorum ſtatuerat diſcrimen vitæ ſubire vel ſolus. Hæc agitanti nunciatur exercitûs principes coniuratos decreuiſſe fugâ ſe ſubducere, & militum vulgus deſtituere periturum. Vir per omnia mirandus, à quo præ multitudinis caritate ac miſeratione quærebatur maiori ardore periculum, quàm incolumitas à timidis, ad id nuncij fremuit, ſeque ex cauernâ proripuit. Mox coniuratos proceres *a* (nominibus pepercere ſcriptores) conuocat. Aperit ſibi eorum innotuiſſe, aut potiùs nunciatam mentem, quam nondum ſatis credere poſſit. Perennem ſibi, ac poſteris inuſſiſſe notam infamiæ priores deſertores. Fugiſſe immemores fidei, ducum, ſociorum, cæleſtiſque opis ac præmij. Irent ſanè illi, & fortes viros timidi ſuo conſpectu liberarent. Nempe à lætis parentibus ac liberis excipiendi, qui ſine duce redeant, ſine ſpolijs, nullo reportato nomine, niſi funambulorum nocturnorum; qui nulla oſtentare vulnera poſſint, niſi laceratorum in fugâ pedum ac manuum. Demonſtrat deinde parem aut maiorem inuſturos ſibi notam, quicumque turpiſſimum exemplum ſequerentur. Tum interrogat quid hoc rei ſit? verumne eſſe poſſit, vt timidorum illorum ductu & auſpicijs virorum fortium aliqui tracti ſint, quæ non commouerint militum vulgus? Cum hi fortiter

a *Aquen.*

ſtent in vrbe, vbi hoſtem ſupra caput, & circùm vndique habeant; quantum piaculum fore ſiqui ductores ab armis diſcedant, ſuoſque non ſolum milites, ſed populares ac fratres barbaris prodant. At ſiquem forte nec ſui nominis, nec ſalutis ſuorum cura tangat, reuerendum eſſe Numen, Dei matrem, ac Diuos, qui in ſignis militaribus deſerti dedantur hoſtium ludibrio, & ejiciantur è templis, Chriſtianâ re ruſus euersâ. Docet denique non eſſe diffidendum cęleſti opi, quam toties manifeſtam experti ſint. DEVM HOC VELLE, Deique matrem belli prę ſidem hoc iubere. Adeo potens dehortatio fuit, ſimilia addentibus Epiſcopo Ademaro, & Roberto Flandro (quos nominatim fugæ cogitatæ probro exemit hiſtoria) vt coniurati mutatâ mente ſtatuerint cum Duce vel mori, vel vincere. Confirmandis omnium animis acceſſere viſa, & in ijs manifeſtus exoratæ Virginis fauor. Duo *a* erant Sacerdotes Stephanus & Petrus, viri boni, ab Europâ ſecuti exercitum. Stephano in Antiochenâ æde Dei Matris noctu iacenti, atque inter precandum lacrymis perfuſo præ metu imminentis exitij, obtulit ſe aſpectabilem Seruator cum Matre, atque minaci voce, ſe Chriſtianis auxilio fuiſſe in vrbibus Nicæâ atque Antiochiâ capiendis: verùm eos beneficiorum oblitos ſecundis rebus, quæ circumfluxerant, inſanire cœpiſſe. Antiochiæ mulierum Chriſtianarum atque Ethnicarum conſuetudine fœdatos, cæloque iam inuiſos, & pro meritis plectendos. Hîc Mater

a *Tudeb. Agil.*

Virgo

Virgo ſe ad pedes filij aduoluere, ſupplexque intercedere. Filius placatior conuerſo ad ſacerdotem vultu, vade, inquit, & populo meo refer, ad me reuertatur & ad frugem; viciſſim reſpecturum me, & infra dies quinque miſſurum ſuppetias. Hæc ſacerdos Stephanus. Petrus *a* verò cognomento Bartholomæus domo Maſſilienſis ſimilia ſibi obuerſata referebat. Ac primùm aiebat quieſcenti in æde Diui Petri demonſtratum diuinitus locum, vbi lateat terrâ obrutum ferrum lanceæ, quod Seruatoris latus foderit. Hoc inuento, pugnare cum hoſtibus ne dubitarent. Quæ cùm proceribus enarraſſet, iuratus rem ita habere, præiuit ad Diui Petri. Loco præmonſtrato refoditur ſacræ lanceæ ferrum. Inſecuta multitudinis acclamatio, index religionis, ſpeique conceptæ. Addebat Maſſilienſis ex viſo altero vaticinium, adueniſſe dies, quibus ſanciturum ſe atque euecturum in Oriente regnum Chriſtianorum Chriſtus Matri pollicitus eſſet.

VATICINIVM
PETRI BARTOLOMÆI.

VINCENT CHRISTIADÆ: FAVET EXORATVS JESVS:
HOC TRIBVIT PRECIBVS, MAGNA MARIA, TVIS.
PROMISSI FVLSERE DIES: MARIANVS EOO
CHRISTIADVM REGNVM SANCIET ORBE FAVOR.

Vulgata hæc ita mouere vniuerſos, vt poſt

a *Agil.* Q

tam certa cæleſtis fauoris pignora nihil timendum conclamarent. Iam inediæ, iam imbecillitatis immemores prælium depoſcebant, quando Chriſtus Virgine exorante promitteret non modò ſuppetias, ſed etiam Regnum. Indictum tridui ieiunium, vt bene euenire omnia ſuperi iuberent. Dux conuentu procerum coacto cenſuit cæleſtibus promiſſis, & animorum alacritatate vtendum, ſed citra temeritatis notam. Immenſas eſſe barbarorum vires, Chriſtianos ærumnis debilitatos. Periclitaturos hos omnes, ſi decernatur acie. Eligendum potiùs aliquem, aut aliquot, qui ſuo periculo rem communem decuſque ſuſtineant. Miſſo in compendium bello delectis paucis vtriuſque exercitus fata committenda. Mecum, inquiebat, Corbagathus, aut, ſi minùs dignus videar, cum altero veſtrum conſerat manus; vel ſi malit, tres aut plures vtrimque certamen ſubeant. Sin ita denique videatur, exercitus cum exercitu æquo loco ſigna conferat. Aſſenſere magnâ alacritate proceres. Electus Petrus Anachoreta, qui Corbagathum hâc de re conueniret. Periculoſâ legatione non territus Petrus diſcedit ad caſtra. Interim in vrbe fortiſſimi procerum pugnæ ſe parabant, licet incerti quinam ſubituri diſcrimen eſſent. Si Corbagathus viritim experiri vellet, non alium vulgò cenſebant cum eo, quàm Godefredum Ducem, committendum; ſi plures ſocios admitteret, valentiſſimos procerum opponendos. Toloſatem ægrotare, Hugonem Magnum debilitatum inſolentiâ victûs; viribus pollere Buamundum,

Euſtachium, Robertos, Balduinos, Tancredum, Ribodimontium. Hi, atque alij ſpe pugnæ æſtuabant. Inter quos Hugo Magnus licet pallidus ac debilis, neque ego, inquit, qualitercumque affecto corpore ſim, pugnâ abſuero. Vigorem, ac vires, ſi obſequentia mea fiduciaque cælo placebit, reddet magna Virgo, quæ opem nobis, regnumque promittit. Fiduciam meam excitat imprimis ab eâ patrata in oculis meis nupero Flandrico bello prodigioſa Tungrenſis Hectoris curatio. Quam cum enarraſſet, Robertus Normannus retulit aliud prodigium Virginis, quo Regis Angliæ parentis ſui legatus ereptus naufragio fuerat; vnde Conceptus Virginei feſtum duxerat originem. Addidit Dux miranda de Diuâ Antuerpianâ, item de Bononienſi. Quibus auditis, qui iam pugnæ ſtudio calebant, inflammati. Iamque inter eos amica concertatio erat, nec componi poſſe videbatur, niſi ſortirentur, quinam cum Godefredo in Turcas viritim pugnarent, feliceſque dicebant, quos ſors illa contingeret; quando Anachoreta Petrus à Corbagatho rediens omnes expectatione ſuſpendit. Qui per circumfuſos, ſciſcitanteſque tranſiens celato Corbagathi reſponſo rectà ad Ducem contendit. Inter viam non defuere, qui interrogarent de Corbagathi caſtris, magicoque illius ac mobili oppido. Reſpondit Corbagathum a in equo ſibi occurriſſe, nec ſe caſtra ingreſſum; inſpecturos ipſos ac direpturos, cum viciſſent. Godefredo retulit Barbarum auditis

Q 2

a *Fulch.*

certaminis conditionibus cum ſupercilio *a* ſtomachoque reſpondiſſe, conditiones ac leges ferre eius eſſe, qui vicerit. Victi Chriſtiani cùm fortunam ſuam ignorent, ſe victorem effecturum, vt eam in vinculis ſupplicijſque intelligant; neque commiſſurum, vt optionem habeant generis moriendi. Dux Petrum hæc in vulgus edere vetuit, ne atrocibus barbari minis terrerentur aliqui. Id tantum enunciare iuſſit, Corbagathum ſic reſpondiſſe, vt omnibus fiat pugnandi copia. Pulchram procerum de pugnâ contentionem exitum, quo digna eſſet, habituram. Nullum non compotem voti fore, pugnaturos omnes. His vulgatis tota multitudo exilijt ęrumnarum oblita, ac velut ſecura victoriæ. Decretum prælium in poſterum diem, edictumque vt vniuerſi pruno diliculo armati adeſſent loco patente ad portam Pontis, quiſque ſub ſui Principis ſignis. Geſtientes omnes in tecta reuerſi, longam noctem venire rati, quæ moram tantulam certamini faceret. IV. Cal. Iulias *b* ante lucem ſacerdotes ritè ad aras operati, duces militeſque procurati ſacra confeſſione, & *c* diuinâ dape refecti, præeunte Godefredo. Ita ſcilicet egregiè litatum eſt. Mox ſummâ omnium alacritate arma capiuntur. Dux nihil neque humanæ, neque diuinæ opis prætermiſit; nunc proceres, nunc milites hortatus, vt non minùs animos religione & fiduciâ in Deum ac Dei matrem, quàm ferro dextras armarent. Inter hæc *d* conuerſis fortè in arcem oculis videt ingens veli nigran-

a Aquen. b *An.* 1098. c *Agil.* d *Aquen.*

tis volumen attolli atque explicari. Non dubitauit, quid id rei eſſet. Nempe Senſadolus arci præfectus, vbi è ſuperiore loco aduerterat noſtros coire frequentes & parari ad pugnam, eius rei ſignum, quod conuenerat, ſuſtulit Corbagatho. Bullionius ac Buamundus pro ſuâ ſcientiâ militari copias ordinauere. In octona agmina diſtributæ ſunt intra vrbem, ſed quæ explicatæ in campo terna dena effecere. Cuiuſque agminis præeuntem peditatum equites tegere iuſſi. Miſerabilis facies exercitus *a* erat, ſi vigorem animorum excluderes. Pallebant fame macilenti artus. Non pauci armis præ inopiâ venditis, aut nullis, aut Turcicis tegebantur. Equi prælio apti non plures ſupererant, quàm ducenti, reliquis in alimenta conſumptis. Et ſeptimus erat dies, ex quò nihil ijs pabuli præter arborum folia corticeſque præbitum fuerat. Ergo non gregarij modo, ſed illuſtres etiam viri plurimi pedibus ingrediebantur, aut mulis vehebantur, aut aſinis. Præibat ſignifer Hugo Magnus. Mouit omnibus commiſerationem videntibus regij iuuenis pallorem & debilitatem ciborum inſolentiâ ac tenuitate contractam. Cumque is ęgrè inſideret equo, monitus eſt ab amicis vt abſiſteret prælio. At magno regioque ſpiritu *b* reſpondiſſe legitur, abſit, planè vadam: atque vtinam cum bellatoribus caſuris felici morte coniungar. Proximus ibat Hugoni Robertus Flander & ipſe multa paſſus. *c* Ditiſſimi ſoli Princeps ſæpius in vrbe conſpectus ſtipem petere, eo die

Q 3

a *Agil. G.Tyr.* b *Guib. Abb.* c *Tyr.*

inſidebat equo, quem mendicatò compararat. Non fuiſſet id paſſus amicorum intimus Dux Godefredus miſericordiâ & liberalitate memorabilis, niſi perpetua largitione in commilitones egenos modò ad ſuam menſam adhibitos, modò pecuniâ, aut miſſo demenſo ſuſtentatos rem familiarem exhauſiſſet. Atque ipſimet equus ad prælium defuerat, & eum, quo tunc vehebatur, à Comite Toloſano multis precibus ac tantùm non mendicatò extorſerat. Pateſactâ portâ exibant, *a* cùm ros cælo lapſus recreauit corporum vires, necnon alacritate ac pietate animos imbuit. Pro diuino imbre acceptus eſt, creditumque adeſſe huic aciei Numen. Conclamauere DEVM HOC VELLE, ſeque ductu cæleſtium cum hoſte conflicturos. Et mox vigor factis ipſis patuit. Corbagathus ſigno admonitus præmiſerat de ſuis ad duo millia equitum, qui noſtros vrbis egreſſu prohiberent. Citatis equis ad pontem aduecti, mox exſcendunt, & acerrimè inceſſunt exeuntes. Hîc Magnus Hugo, ille modò vix equo ſedens, & cum eo Flander præmiſſa manu ſagittariorum prorumpunt, obſtantes ſtangunt, & in fugam conjiciunt tam ſubitam, vt ægrè in equos euaſerint. Inde memorabile proditur facinus *b* Anſelmi Ribodimontij, quo in ſe omnium oculos, ſtudiumque conuertit. In medios inuolans hoſtes, dum hos dejicit, illos perfodit, & in eorum cæde exultat, inuoluitur. Admiratione virtutis atque opitulandi ſtudio aduolant Hugo & vterque Ro-

a *Agil.* b *Aquen.*

bertus ex vicinis agminibus, necnon ex remotiore acer Euſtachius. Ingentem opinionem indolis ac fortitudinis ante eum diem Godefredi fratris claritate ſuppreſſam ea prompta atque impauida excitauit opera. Illi proceres quatuor iunctis viribus Ribodimontium diſcrimine explicant, & vnà cum eo magnâ editâ ſtrage hoſtem penè ad caſtra vſque inſectati redeunt in ordines plaudente exercitu, omenque captante victoriæ. Dum noſtri ex vrbe in campum longo agmine prodeunt, in caſtris Turcicis miles in armis ſtare iuſſus erat, quoad ſignum congreſſionis daretur. Corbagathi oppidum mobile in edito colle cernebatur, pro cuius portâ ſtans ipſe procedentes noſtros obſeruabat. Quos cùm aduertiſſet iter non ad caſtra intendere, ſed flectere ad montes mare verſùs, fugam, *a* inquit, hi, non pugnam meditantur. Ergo curæ expers conſedit, & ludere latrunculis cœpit ſtipatus coronâ procerum. Quibus identidem Chriſtianos ſpectantibus, ſinite, inquit, vrbe egredi omnes, vt opprimantur à nobis faciliùs. Cæterùm conuerſus ad Solimanum Regem & Rodohanum Alapiæ ſatrapam, *b* ambos cladium acceptarum memores, & vindictę auidos occulto itinere per montes circummittit cum expedito equitatu ferreis ollis latentem peſtem ferentes, vt Chriſtianos ex improuiſo armis & fraude adoriantur à tergo. Aderant ludenti ſpectatores duo Antiochiâ egreſſi, *c* alter Turca Amyrdalis, alter Chriſtianę fidei ac militiæ deſertor Aquitanus.

a *Agil.* b *Aquen. Tudeb.* c *Fulch. Rob. Mon.*

Corbagathus inter ludendum oculos ſubinde referens ad egredientium ordines, cùm a non paucas Chriſtianorum cohortes aduerteret, monitus eſt ab Amyrdali rem ad prælium ſpectare, ludoque abſiſtendum. Cui ille, an non, inquit, mihi à te relatum Chriſtianos eſſe paucos, nec pugnaturos mecum? Negauit Amyrdalis dixiſſe non pugnaturos, licet pauci eſſent Turcis collati. At Aquitanus transfuga dictitabat famelicos illos, debiles, ærumnis confectos: ſcuta eis ex cratibus eſſe, enſes rubigine obductos. Hoc cultu nitentes congredi non auſuros. Interrogabatur hic à Corbagatho, vt quæque acies prodierat, cuius procerum eſſet. a Transfuga ſole matutino auratas galeas loricaſque & vexilla colluſtrante noſcitabat ſingulorum ducum arma atque inſignia. Indicauit Corbagatho primum agmen eſſe Hugonis & Flandri, ſecundum Normanni, tertium Ducis Godefredi; quem prodeuntem obſeruans Amyrdalis, admiratione militaris ordinis & recordatione fortiſſimi gladiatoris, nunc, inquit, amoto ludo inſtruenda ſeriò acies aduersùs hos neutiquam fugientes. Occidi poſſunt, non fugari. Itane non poſſunt? excepit Corbagathus. Non, inquit, vel ſi omnis occurrat Turcarum natio. Et Corbagathum ceperat admiratio egregiè inſtructi agminis: quam tamen diſſimulans, intuitus Amyrdalim, age, inquit, hi tantopere à te laudati quid virtute poſſint, experiamur. Tum animo reputans pugnæ ſingularis genus, quod pridie Godefre-

a *Aquen.*

dus obtulerat, *a* eo decernere ſtatuit. Simul caduceatorem renunciare Duci Chriſtiano iubet copiam atque optionem certaminis ſibi heri ab eo factam nunc à ſe viciſſim ei fieri. Inter duas acies quinque aut decem Chriſtiani prodirent in totidem Turcas pugnaturi. Antiochiâ decederent, quorum pugnatores vincerentur. Audito caduceatore dum Godefredus deliberat tantiſper quid reſponſi det, murmur per proceres peruagatum, ardorque pugnæ & heſterna æmulatio renouata. Dux animaduerſo in omnibus eodem ſtudio, re cum primoribus collatâ iuſſit referri Corbagatho noluiſſe eum ſubire viritim aleam, cum ipſi voluerant; nunc quando ad pugnam parati omnes eſſent, decernendum acie. Ad hæc Corbagathus irâ percitus, verſuſque *b* ad Aquitanum, tu ignaue, auſus mihi mentiri Europæos tabidos inediâ fugituros, per Mahometem capite lues. Quibus dictis iuſſit transfugam obtruncari, digno perfidiæ præmio. Campum, quantus patebat in latitudinem à ponte vrbis ad proximum montem, Chriſtianus exercitus longo ac lento agmine progreſſus occuparat, non animo fugiendi, ſed ne *c* cingi à barbaris poſſet. Inde ad hoſtem vultus graduſque conuerſus. Vniuerſa acies hoc modo ſtetit. Læuum cornu, quod ad montes pertinebat, Hugo Magnus & Robertus Flander tuebantur cum XXX. millibus Francorum & Flandrenſium. In eodem Normannus XV. millia Andegauorum, Cenomanorum, Britonum, Anglorumque ſub ſignis habebat.

a *Agil.* b *Rob. Mon.* c *Tudeb. Aque. Ord. i.*

Anicienſis Antiſtes *a* mediam aciem rexit iunctus Toloſatibus & Hiſpanis, quibus ferrum Dominicæ lanceæ præferebat (vt ſcribit ipſe) Raymundus Agiles ſacrario præfectus Raymundi Toloſani. Qui Comes grauiſſimè æger partem copiarum (ad XX. hominum millia erant) ducentos in vrbe retinuerat præſidio futuros contra cuſtodes arcis præſide armorum vxore Hiſpanâ Amazone cum Flandra Gertrude; reliquos ad prælium miſerat. In dextro cornu, quod à fluuio ſtabat, pugnaturum imperatorem Godefredum, Euſtachiumque fratrem ſequebantur XXX. millia pugnaciſſimorum militum Lotharienſium, Bolonienſium, Brabantorum, aliorumque Belgarum ac Teutonum. Legionem gladiatoriam vocabant ab gladiorum, quibus inſtructi erant, magnitudine atque acie. Hoc erat haud dubiè robur exercitus. In eodem cornu interior Reginaldus Comes Tullenſis conſanguineus Ducis habebat Burgundionum, & Teutonicorum quatuor millia. Cornu *b* claudebat exterior Tancredus cum Gaſtone Foixio præpoſitus agmini IV. millium Apulorum. In ſubſidijs Buamundus tria millia Normannorum atque Italorum tenuit ad incerta belli. Summa centum millia ſuperabat: ſed nihil ad Corbagathi copias. *c* Trecenta equitum millia ſub ſignis habebat, pedites innumeros, quos ad ſexcenta ſexaginta millia fuiſſe proditum eſt, & in his reges ſatrapæque ſupra triginta nominibus enumerati. Cæterùm Corbagathus tanti exercitus dux, memor longi

a *Agil.* b *Tudeb.* c *Fulch.*

colloquij & monitorum matris hæſit tantiſper cogitabundus an pugnæ ſignum daret. Tandem legatum ſuum iubet acie diſpoſitâ eò niti, vt à fronte ac lateribus Chriſtianos claudat, dum Rex Solimanus circumvehitur terga. Mandat item vt quando excitatum à Solimano fumum viderit, copias ſuas retrocedere paulùm, & fugam ſimulare iubeat. In dextro cornu Soſmanus Hieroſolymorum Rex; in læuo propius fluuium obiectum Bullionio robur barbarorum ductoribus infeſtiſſimis Buldage Acciani filio, ac *a* Balduco Samoſathi ſatrapa. Suſtulere immanem clamorem Turcarum tot millia, & procurrere diffuſi ad cornua, vt noſtros includerent. A Ducis cornu cœptum prælium, cuius miles, vt iuſſus, ſtetit immotus, dum primus ſagittarum hoſtilium impetus ſe remiſiſſet: tum ſigno crucis munitus inclamatoque Ieſu ac Mariæ nomine Turcam pedetentim inuadit impauidus. Exemplo Ducis alia quoque agmina ſtrenuè progreſſa in hoſtem. Inter hæc Solimanus *b* à tergo apparuit, in quem mox conuerſis ſignis quatuor millium agmen collectum ex Ducis & Normanni copijs tetendit ductu Reginaldi. Ecce autem repentè ferreis ollis allata à Solimano peſtis erupit. Profluentis fumi tetra nebula adſpirante vento in ora oculoſque Reginaldi aduentantis impellitur. Denſo atque aduerſo vapore ſuffuſus miles turbari primùm, deinde hoſtibus per nebulam ingruentibus cædi, agique in fugam. Inde in Buamundi agmen verſa tempeſtas. Solimanus

Q 6

a *Aquen.* b *Idem Aquen.*

pulſum Reginaldum aliquantiſper ſequutus reuertens in auerſam Buamundi aciem incurrit. Noſtri permixti cum hoſtibus in caligine inhibere tela cogebantur ne ſuos configerent. Dum hæc à tergo geruntur, à fronte inſtans Turcarum acies viſo fumo, vt iuſſa erat, pedem referre cœpit, tamquam pulſa loco, vt Chriſtiani fugere eos rati creſcente audaciâ perturbatis ordinibus ſequerentur. Verùm & illi memores imperiorum Ducis, lentè, & extento (vt erant) agmine proſecuti firmo gradu, teliſque & vmbonibus pulſantes hoſtem recedentem, nec iam ſponte ſubmotum. Inde acris pugna exorta. Omnium maximum Ducis periculum fuit, quem armis, imperijſque conſpicuum Buldagis, & Balducus vrgebant, ille dolore amiſſi patris Acciani, Balducus occulto odio in fratrem ducis Balduinum atque in ipſum. Dux inſignis robore, quotquot conſerre pedem audebant, obtruncans, ſuos voce, & maximè exemplis accendebat. Primi hoſtium terga dant, & cum ſigna quoque fluctuare cœpiſſent, proximi in ſuos verſi turbatis alijs addidere terrorem. Iam eo cornu victor in terga Buldagis & Balduci hærebat Godefredus, cùm nunciatur Reginaldi agmen horrendo a fumo, vnde vnde coorto, turbatum, ac profligatum à Solimano. Mox impetum factum in Buamundum, & iam ab hoc quantumuis ſtrenuo ægrè ſuſtentari. Nuncium pluribus opem oraturum præuertit Godefredus, & equo conuerſo in Solimanum prouolat, concurrente è ſiniſtro cornu Hugone. Contra Heroëm Godefredum

a *Aquen.*

nihil valuit ſuâ illâ fumi telorumve nube Solimanus. Eo profligato, liberatoque Buamundo Dux iunctus huic, Hugonique & Tancredo ſubuenire properat laborantibus in ſiniſtro cornu Robertis, vbi etiam ſuperior fuit. In acie mediâ Epiſcopo Ademaro magna vis barbarorum à fronte obiecta fuerat, ac deinde à tergo fumus. Quo ille viſo ſacrum Lanceæ ferrum dextrâ proferens, eoque contra emergentem nebulam in crucis figuram ducto Chriſtum inuocans tetri vaporis globum in barbaros, qui emiſerant, retorſit. Eodem præſidio nullum in ſuo agmine vulneratum Agiles ſacri ferri baiulus ſcribit, ac ne ſagittâ quidem quemquam petitum. Ita hoſtes toto campo pulſi ad ſua caſtra refugere. Ibi Corbagathus in colle ad oppidi ſui mobilis portam ſtabat, viſâque Turcarum clade iam anxius perpendebat monita matris. Hæc (vt dixi) Calabre nomine, Regis Holofernis vidua, dudum Alapiæ domicilium habebat, & ſuarum artium ſedem. *a* Anus centenaria, vegeta tamen etiamnum & experrectæ mentis, aſtrologiæ magicisque libris ac ſortibus ætatem impenderat, maga vulgò dicta, ac fatidica. *b* Fertur hæc, cùm aliquando de more per noctem ſudam intendiſſet contemplationem in cælum ſtellis illuſtre, animaduertiſſe oſtentum eiuſmodi. Micabant lumina tria ſiderum inſtar, ſub quibus ſubluſtris & verſicolor vmbra multitudinem ſerpentium figurabat. Hinc malè augurata genti ſuę anus proceres Turcas conuenit, monetque tribus

a *Tudeb. Baldric.* b *Geneal. Bonon.*

ſideribus, quę viderat, Chriſtianos tres bellatores ſignificari; ſubſtratâ autem ſerpentium multitudine Turcicam gentem, armis eorum ſubigendam. Ingratus ſermo proceribus fuit, ac neglectus. At ſollicitudo Calabres animo hæſit, creuitque Chriſtianis copijs Aſiam ingreſſis. Famâ vulgante virtutem bellicam Godefredi, claraque duorum eius fratrum opera, venit in mentem hos tres ſideribus tribus deſignatos, à quibus eſſet Turcis timenda pernicies. Nec diſſimilia ſunt hæc ominoſo illi fulgori ſerpentiumque numero, quos ſub Godefredi ortum in Belgica viſos, ſuprà memoraui. Ergo Princeps anus pro ſuâ gente ac præſertim pro Corbagatho filio ſollicita codices voluere, ſortes verſare, ſcrutari characteres & totâ intentione aſtra conſulere. Ei filia erat Floria, quæ cum matre timere principiò bellatorem Godefredum, dein audito Magni Arabis eum eſſe victorem, mirari quoque cœpit, tum laudare etiam, amare denique. Cùm in eum mouit Corbagathus, ſecuta anxia mater ad Antiochiam multis filium monuit editam eſſe veteribus libris exploratamque ſibi ſortem Chriſtianos victis Turcis potituros Orientis regno: quare obſecrauit vt exitio ſe ille ſubduceret. Corbagathus ferox & irridenti ſimilis interrogauit matrem, dijne eſſent Chriſtiani duces, quos formidaret tantopere. Reſpondit illa non deos eſſe, ſed diuinâ virtute firmatos viros, quâ tanta patrarent. Poſt multa vltro citroque addita denunciauit mater non ſolùm genti ſuæ perniciem, ſed filio nominatim proximam intra annum mor-

tem,niſi reportaret exercitum. Sciſcitanti Corbagatho in quod tempus portenderetur Turcicæ gentis illa clades, cum mater reſpondiſſet incertum quidem eius tempus eſſe, ſed timendum omnino ne breui contingeret, ille ferocior, mortales, inquit, vtroque in exercitu ſumus, quorum ij citiùs morientur, qui pugnabunt ignauiùs. Sub hæc mœſta mater & ſuffuſa lacrymis filium oſculata reuertit Alapiam. Corbagathus maternis minis ita ſpretis, tamen haud ſecurus nihil prætermiſit, quod ad rem pertineret. Singulari arte diſpoſuerat aciem, pugnęque pręluſerat palàm, vt ludentis ducis ſecuritas militi fiduciam & animos adderet. Impetum à fronte, à tergo fieri iuſſerat; vim adhibuerat & fraudem. Igni ferreis ollis incluſo & in multum fœnum aridum, quod priùs in campo iacere animaduerterat, iniecto ſolerter excitarat fumum. Ad extremum fugatos ſuos conſiſtere iubet & inſtaurare pugnam. Vallis erat pro caſtris, per quam torrens hieme præcipitatus altè ruperat terram, excauatumque amplum alueum longè produxerat. Vltra hunc compulſi Turcæ in vicinum collem ſe recepere. Ibi collectis viribus denuo tubis tympaniſque canentibus reſiſtere parant. Godefredus egregijque ſocij tanſitâ impigrè valle clamore ſublato in aduerſum ſubeunt, hoſtem de colle depulſuri. Corbagathus, qui priores ſuos conatus cum fumo in auras abjiſſe viderat, expectabat quid efficeretur hoc poſtremo, quid ſortibus magicorum librorum, quos harioli plurimos conuexerant. Ecce autem offe-

runtur in aëre aſpectabiles proceres tres albati humana ſpecie auguſtiores, qui albentibus in equis ingens eodem colore agmen ducebant in hoſtes. Non ſolùm à Turcis, ſed etiam à Chriſtianorum pluribus, nominatim ab Anicienſi Pontifice conſpecti. Territi barbari cæleſti oſtento pariter ac virtute Godefredi. Iam propè erat vt hic in cacumen collis euaderet, cum terga dedêre effuſo curſu, penè vno agmine fugientes. Ipſe Corbagathus inter hos effugit mutatis ſæpius equis, Alapiâque declinatâ matris fatidicæ conſpectum ſubire veritus tranſmiſit Euphratem. Ad ſequendum pleriſque Chriſtianorum deerant equi. Acer Tancredus cum paucis ad ſolis occaſum tergis inſtans tribus millibus paſſuum continuauit cędem. Plus centum millia hoſtium cecidere, noſtrorum circiter quatuor millia ducenti. Victores potiti caſtris Turcicis, magnâ vi commeatus ac ſupellectilis, & quinque camelorum millibus. Libri magici ingenti numero inuenti, & concremati. Poſt obuias prædas ventum in montem ad ducis Corbagathi gazam. Accedentes contemplabantur eminus oppidum illud mobile ac mirabile, in quo medio eminebat pro prætorio turris primaria. Cupiditatem ſtimulabat præda, ſed retardabat quidam lętitiæ mixtus horror magici loci. Mirabantur nitorem murorum, verſicolorem tectorum ſplendorem, turrium altitudinem. Totum opus magnificum, & omnia in eo ex artis legibus, & mutuâ menſuræ proportione conſtructa. Portæ appropinquantes nullas ad-

uertere præſtigias, nullum ludibrium oculorum. Et verò *a* tantæ molis ſubſtructio tamque capax, in quo (vt dixi) commodè ampleque habitare poteranr hominum duo millia, tota ſerico pretioſo, & verſicolore conſtabat. Nitebant ex ſerico muri, tecta, turres, apicibus harum auro fulgentibus. Ingreſſi portam ſubeunt plateas perpetuâ magnificarum ædium ſerie ducentes ad principem turrim. Ibi tantum opulentiæ, quantum qui oculis non ſubiecere, animis concipere nequeant. Reditum cum ſpolijs Antiochiam inter lętos clamores celebrantium nunc ſua, nunc aliorum, præſertim procerum facta præclara. Omnes laudibus tollebant imprimis Ducis Godefredi bellicam ſcientiam & virtutem effectricem victoriæ, quòd peritiſſimè inſtruxiſſet aciem, quòd in ſuo cornu victor mox periclitanti Buamundo tuliſſet opem, deinde Robertis; & Corbagatho denique intuliſſet arma victricia. Introëunti vrbem effuſi obuiam incolæ præſidiarijque milites Eluirâ præeunte. Hæc ſuo, hæc ægri coniugis Raymundi, & orbis totius Chriſtiani nomine Godefredo cæteriſque victoribus gratulatur. Godefredus ſublatis in arcem oculis, in quâ cernebatur erectum Raymundi vexillum, viciſſim gratulatus Hiſpanæ Amazoni, quòd eâ rerum ſatagente pro viro non ſolùm vrbs ſeruata eſſet, ſed etiam arx in deditionem redacta. Inde præiuit omnibus ad templum. Gratijs Deo, Deique matri communiter actis decretum primùm omnium vt ædes ſacræ, aræ,

a *Aquen.*

cęlitumque cultus inſtaurarentur, quibus bona pars ſpoliorum attributa meritò, quando victoria cælo debebatur, vnde vigor vireſque fluxiſſent. Deinde vrbis Antiochię dominium Buamundo, cui antè promiſſum fuerat, ſanciuere proceres omnes pręterRaymundum contendentem id ex pacto deberi Auguſto Græco. Eam ob cauſam ad Alexium decreta legatio, quâ moneretur proceres quidem Latinos pactos vt quidquid bello captum ab ipſis eſſet, id, exceptis Hieroſolymis, ei cederet; verùm eâ lege vt viciſſim Alexius auxilio veniret Latinis. Quibus conuentis cum non ſtetiſſet, ne ægrè ferret quòd Latini ſoluti fœderis lege Buamundum Antiochiæ Principem appellaſſent. Adeſſet Auguſtus impoſterum, & bellum per ſe capeſſere ne grauaretur. Electus Legatus Hugo Magnus Godefredo imprimis auctore vt mitteretur regius iuuenis modò ſanatus cęleſti rore ad profligandos Turcas, & videret Alexius victorem, quem captivum tenuiſſet. Adiunctus Hugoni Balduinus Hannoniæ Comes, profectique Legati. Hugo Conſtantinopolim peruenit, & munere functus pertendit in Galliam. Balduinus in itinere Turcicis armis (incertum quo modo) oppreſſus videri deſijt. Id vbi reſcitum Antiochiæ, grauiter, ſed variè affecit animos. Multi glorioſiorem aiebant interitum Hannonis, quàm ſalutem Franci, qui rebus adhuc bene geſtis inconſtantiæ maculam aſperſiſſet repetendâ patriâ. Alij à culpâ eximebant Principem, qui Godefredi peritiſſimi virtutum æſtimatoris amicitiâ perpetuâ floruiſſet,

redituruṁque cum copijs valentioribus augurabantur ex vero. At Buamundus altiùs rem ſuſpicioſo animo perpendens angebatur quòd Hugo ſe non monito reuerſus eſſet in Galliam, re fortè deliberatâ cum Godefredo, vt huic Conſtantiam priori matrimonio ſolutam conciliaret, atque adeo ſponſam adduceret. Rurſum induit animum riualis & æmuli repetitâ memoriâ certaminum Tancredi cum Balduino, notæque nomini ſuo inuſtæ in eâ contentione alijſque mox ortis, quibus ad vltimam dimicationem res vocata.

LABORUM HERCULIS CHRISTIANI

LIBER SEXTUS.

MAXIMA res ab heroïbus Chriſtianis effecta erat Nicæâ & Antiochiâ captis, ſed reſtabat expeditionis meta & belli caput Hieroſolyma. Godefredum Ducem, vt eam continuò peteret, impellebat ſua religio : tamen viſum eſt iter differendum tantiſper, quòd & fatigati militis vires quiete aliqua recreandæ eſſent, & æſtas appeteret haud opportuna nouo & maximè arduo labori. In proximum Octobrem dilata atque indicta profectio. Neque ſegne otium interim triuit Godefredus. Primùm cum copijs mouit ad Euphratem contra Rodohanum Alapiæ Satrapam illum nuper victum, nunc oppidum Haſarchum obſidentem. Eò euocauit Dux ad opem conferendam tum Buamundum & proceres alios Antiochiâ, tum Edeſsâ Balduinum fratrem. Venire abnuit Buamundus pluribus de cauſis Godefredo iam iratus; quæ vt intelligantur, Balduini res cognoſcendæ priùs.

Querebantur æmuli Balduinum, poſtquam certamine iratum armiſque cum Tancredo congreſſus erat, ſeiunctum ab exercitu, Godefredo conniuente ſectatum opes ac delicias hæſiſſe in Meſopotamiâ indulgentem amoribus Andæ Armenorum Regis filiæ, dum reliqui ad Antiochiam labore premerentur & ærumnis. Contrà alij tollebant eum laudibus, quòd ibi præclaris factis, nobilique partâ fortunâ plurimum contuliſſet non ſolùm ad priuatum decus, ſed ad belli totius ſummam. Armenia vniuerſa interfluente Euphrate diuiditur in duas, Minorem, quæ cis amnem; & Maiorem, quæ vltra eſt. Ambæ ea tempeſtate, quemadmodum & Syria aliæque finitimæ regiones, Chriſtianos habebant indigenas, ſed Turcarum pręſidijs pleręque tenebantur. a Cæterùm Tafrocus Armenorum Rex Chriſtianus vltra Euphratem colens valida obtinebat in Tauro monte caſtella. Modicum id relictum inter Turcas regnum, congeſtis tamen in arces opibus & armis adhuc inacceſſum. Erat ei frater Conſtantinus regni conſors, filiaque Anda inſigni formâ, fruſtra à multis procis coniux petita. Pater auaritiâ & patruus calliditate obſtabant nuptijs. Arce regiâ clauſa virgo ſeruabatur non ſolùm horum voluntate ſed ipsâ loci naturâ. Arx impoſita arduo Tauri montis iugo. Ingentes duo amnes Euphrates & Tigris in Armenia ſuperiore exorti montem obiectum diuerſi peruadunt. Inde prorumpentes cingunt amplam atque vberem regionem, Meſopotamiam ideo dictam; cuius primaria vrbs Edeſſa ſeptem

a *Aque. Tyr.*

dierum iter abeſt Antiochiâ. Breui peruenerat in Taurum & Taſroci regiam fama iuuenis egregij Balduini, digreſſi ab exercitu Europæo cum parua manu, ac mira quædam in Armenia Minore & Edeſſanis finibus patrantis in Turcas. De eius victorijs cum alia ſuper alia nunciarentur, lætari Rex cum fratre, laudibus iuuenis Anda delectari, & venire in ſpem videndi aliquando tanti victoris. Verùm cum audiuere Balduino comitem & operum adiutorem eſſe Pancratium, ſtupuere. Erat Pancratius indidem Armenus illuſtri genere, vir ingenio manuque promptus, &, ſi quiſquam, vafer. Ars illi prima ſuas artes occulere; aliena conſilia ſcrutari, ſua tegere; amicis in ſpeciem ſtudere, re verâ ſibi. Cum ab huius hominis perfidiâ timeret rex Balduino, adfuere miſſi Edeſsâ oratores cum arcanis mandatis ad regis fratrem Conſtantinum, petentes vt veniret Edeſſam, acturus cum Senatu de Balduino, qui eò victis Turcis peruenerat. Regem, regiſque fratrem atque imprimis filiam non tantum admiratio eius iuuenis inceſſerat, ſed etiam ardor noſcendi quis ille Balduinus, & quænam adhuc inter tot armorum perfidiæque pericula geſſiſſet. Erat in oratorum numero Fulcherius, idemque Balduino à ſacris, & de ſacri Belli ſcriptoribus vnus; qui interrogatus de Domini rebus, non lubentiùs dixit, quàm auditus eſt. *a*

Poſtquam Balduini patriam, genus, & vtrumque fratrem magna cum laude recenſuit,

a PRIMORDIA: *Balduini; Gundechildis & Andæ.*

addiditque eis matrem eſſe Idam ſanctimoniæ notis illuſtrem Principem, quæ prædixerit Balduinum aliquando futurum Regem; iuueni quoque ipſi, inquit, oblata ſpecies, quæ magnam quandam felicitatem portendat. Ex Belgicâ in Normanniam profectus erat famâ tractus Gundechildis Amazonis, ſtudioque probandæ ſuæ bellicæ virtutis. Graue bellum ibi exarſerat æmulatione Principum duarum feminarum. Nempe nouarum Amazonum hoc ſæculum eſt, qua laude imprimis in Italia Mathildis Proregina floret, in Flandria Richildis, inter Hiſpanos Eluira, in Normannis Iſabella cum filia Gundechilde. Eſt huius mater gente Montefortia, Bertrandæ famoſæ Francorum Reginæ ſoror; pater verò Rudolphus Concharum & Toënij Dynaſta, celebratus Normanniæ vexillifer, genus ducens à patruo Rollonis conditoris Normannici principatus. Balduinus cum ad Amazonem Gundechildem veniſſet, mira virginem caritate complexus eſt. Cum hac pugnare in hoſtes ac vincere ſtuduit, vt animum eius, quam ſponſam optabat, expugnaret officijs. Viciſſim Gundechildis diligere iuuenem cœpit tantò magis, quantò propiùs eius fortitudinem inſpexit & felicitatis omina. *a* Forte in aulâ coram eâ ac matre nobilis iuuentus varios miſcebat ſermones. De ſomnijs illata mentio. Fuere tres procerum, qui ſua, eaque ominoſa narrarent. Primus equeſtris ordinis vir memorabat ſibi nuper oblatam in ſomnio ſpeciem ſeruatoris Chriſti de cruce pendentis, totoque corpore liuidi, à quo ter-

a Orderic.

rificis oculis eſſet aſpectus. Non ſine terrore ab Amazonibus excepta eſt ea narratio, fuitque audientium ſententia homini aliquid graue portendi. Tum Balduinus, & mihi, inquit, quieſcenti viſus Seruator pendens in cruce. Hîc Gundechildis priori narratione iam territa, & ex hac malè metuens Balduino ſuo cùm exclamaſſet, ne me, ſuſcepit Balduinus, è ſomno excites; ſi tamen, quod narro, ſomnium fuit. Certè, quidquid fuit, boni ominis fuiſſe exiſtimem. Dein exporrectiore vultu, vidi, inquit, Seruatorem cruci quidem fixum, ſed venuſtum, benignè arridentem, & bene precantis habitu dextrâ mihi caput cruce conſignantem. Ob tam diſſimile ſuperiori ſomnium auditores & maximè Gundechildis applauſere Balduino, augurati fauente illo aſpectu geſtuque lætum quiddam felixque promitti. Poſtremò virginis frater Rogerius nomine narrauit ſibi quoque obiectam ſpeciem Chriſti benedicentis, ſeque euocantis ad ſincerum gaudium. Atque hi tres proceres ſuorum ſeu ſomniorum, ſeu viſorum perquam diuerſorum euenta diuerſiſſima ſortiti ſunt. Primus ille minimè probus in excurſione bellicâ ſauciatus confeſſionis piacularis ſacrique viatici expers infeliciter obijt diem. Rogerius eximiæ probitatis adoleſcens eodem anno moriens vocantem ad gaudium cæleſte Chriſtum ſecutus. At Balduinus qui à Seruatore inſigniri cruce ſibi viſus fuerat, pòſt paulò ſacræ militiæ initiatus, & eius teſſerâ cruce rubrâ inſignis fratrem Godefredum Ducem comitatus eſt, iuuenis deſtinatus ad extollendam crucis inter

barba-

barbaros gloriam, regiumque inſigne haud dubiè aſſecuturus ex materni vaticinij fide. Heroïna Gundechildis tandem Balduino nupta ex vtriuſque voto, ſacræque expeditionis ſocia, ſeiungi ſe à viro non eſt paſſa vllo vel labore vel periculo. Fulcherium de Normannâ hæc narrantem audiebat Anda æmula minimè læta. Et ſuperiùs quidem appellari eam Amazonem patientiùs tulerat: at nunc vbi Balduini vxorem & comitem eſſe audijt, gemitum non tenuit, auerſoque identidem vultu, vix percipiebat quæ addebantur à Fulcherio, nempe Gundechildem magno animo labores itineris cum viro tuliſſe, licet inde vſque à Conſtantinopoli tentatam inualetudine. Ad Antiochiam Minorem læſo periculosè Godefredo Duce, grauiùs & ipſam corpore vt animo affectam. Denique naturæ ad Mareſiam conceſſiſſe virili patientia feminam, caritate in virum, religione in ſuperos, piâque morte memorabilem Chriſtianam Amazonem. Ad hæc poſtrema Fulcherij verba excitatam atque attentam Andam cepit miſeratio, ſed non ſine quodam lętitiæ ſenſu, quòd eſſet ſublata riualis. Pergens Fulcherius, iuſtis, inquit, vxori perſolutis, Balduinus ab exercitu reliquo diſceſſit hortante Pancratio veſtro, vt excurſione bellicâ auocaret à dolore animum, ſecùmque diuerteret in vicinam Armeniam, inuenturus patentem campum ad expromendam in Turcas virtutem, & comparandas opes ſummamque fortunam. *a* Collegit Balduinus equites ducentos pedeſtremque non magnam manum, & fretus animi ſui magni-

a Aquen. R

tudine in Minorem Armeniam mouit eodem Pancratio duce. Primum Berſabeam oppidum prævalidum obſidet. Chriſtiani incolæ clàm communicatis cum eo conſilijs, quòd mallent principi Chriſtiano quàm barbaris ſubeſſe, his expulſis illi ſe dedunt. Tantus inde terror nominis Balduini, vt Rauenelæ loco inexpugnabili Turcas expulerit hoſte non viſo. Famâ ita conualeſcente paucis diebus vniuersâ regione ad Euphratem vſque potitus Belga. Nec Turcas magis terruit, quàm Armenos ſibi deuinxit. Captis locis præfecit nobiles viros, Berſabeæ Ferium, vicinis oppidis Nicuſum. At Rauenelæ arci illi inexpugnabili præfectum impoſuit hominem perfidiæ ſummæ, ſed nondum tunc notæ, Pancratium. Eius indolem, facinora, conſilia Balduino aperuit is, quem dixi, Princeps egregiâ fide Nicuſus. Pancratium Turcis clàm amicum & inſidioſum eſſe latronem. Graſſari nuper auſum in Edeſſanos, ab his captum, Conſtantinopolim miſſum, & ab Alexio coniectum in vincula. Carcere, quo perpetuo dignus erat, elapſum iunxiſſe ſe Balduino, ſimulatâque amicitiâ præijſſe in Armeniam Minorem vt ſibi regnum, illi perniciem pariat. Iam ab eo præfectum Rauenelæ iudicare ſe eius arcis firmitate reliquam regionem obtinere poſſe. Ideo nullum è Belgis militibus illuc admiſſum. Interim perfidum hominem relicto in arce filio ſectari foris Balduinum, & fidem obſequentiamque ſimulare, quoad par ſit ad vim apertam. Balduinus gratijs Nicuſo actis repetit à Pancratio arcem.

Ille non ſceleſtior, quàm in ſcelere peruicacior, ad reddendam compelli nec minis nec cruciatu potuit, nec denique aliter, quàm admotis tormentis, quibus membratim diſcerperetur. Reſtitutâ arce vinculis ſolutus, & piè magis quàm ex vſu dimiſſus, adit furens Turcam Balducum Samoſathi Satrapam, & inflammat ad Balduinum tollendum inſidijs. Interim fortiſſimum iuuenem latè differente famâ Edeſſani euocandum ad ſe communi ſtudio decreuerant. Miſſi à Prætore duodecim ſenatores, quod eſt ſanctius vrbis conſilium, orant Balduinum vt ne grauetur populo conſtantis in Chriſtum fidei venire ſubſidio contra vim barbarorum, polliciti eum Prætori opulento futurum ex æquo conſortem imperij, & deinde heredem ex aſſe, quòd is ſenex liberis careat. Quæ cum iureiurando firmaſſent, Balduinus cum ijs & equitibus non pluribus quàm octoginta, reliquo milite in præſidijs relicto, tranſmittit Euphratem, & ingreditur iter Turcis infeſtum. Ad viginti millia coëgerant Pancratius & Balducus, habebantque in latebris diſpoſita. *a* Belga cum acceſſit ad locum vbi in inſidijs erant, ijs detectis ſubſtitit in vicino caſtello biduum. Moræ impatientes barbari conſurgunt magno numero & obequitando muris prouocandoque, pecora è paſcuis abigunt. Iuuenis magnanimus nec pauidè poſt muros latuit, nec temerè ſubijt iniquæ pugnæ aleam, ſed prodiens cum ſuis ſtetit in armis extra pomerium. Barbari telis fruſtra in eum iactis diſſipati denique in ſua præſidia rediere, fremente Pancratio, & ad vindictam

a *Fulch.* R 2

magis accenſo. Interim Balduinus incredibili celeritate perſecutus iter incolumis cum ſocijs omnibus Edeſſam peruenit. Læti indigenę vias paſſim impleuerant, & propugnatorem ſuum ſalutantes non tantùm acclamationes auribus eius ingerebant, ſed & pedibus oſcula. Ex oppido effuſi ſummi infimique inter concentus muſicos exceptum ſtipatumque ſenatoribus præeunte longo ſacerdotum ordine ſacrum carmen canentium perducunt ad palatium Prætoris, ſeu, vt vocant, Ducis. Ibi ingenti lætitiâ & ſplendore acceptus eſt, ac deinde adoptatus nouo miroque nobis exteris ritu. a Prætor ſenex intra lineam interulam nudo pectori ſuo nudatum iuuenem appreſſit, oſculanſque filium ſalutauit. Idem & anus coniux deinde fecit. Hæc aliaque de Balduino narrantem Fulcherium dum Rex lætus audiret cum filiâ ita lætante vt ſemper timeret Pancratij peſſimas artes, alij oratorum ſeuocatum Conſtantinum monebant ſe ad eum à Duodecimuiris, vrbis Edeſſanæ primoribus, clàm prætore ſuo miſſos, oratum vt ad eos Edeſſam venire feſtinet de ſummis rebus conſulendus. Iuit Conſtantinus probante Rege, exceptuſque palàm magno cum honore in aula Prætoris, deinde in conclaui à Tobia ſenatus principe accepit arcanum ſenatorum omnium de Prætore Balduinoque conſilium. Senem illum non modo inualidum eſſe aduerſus hoſtes, ſed erga ciues periniquum. Eum ante aduentum Balduini rem Edeſſanam precariò & pecuniâ magis tutatum, quàm armis. Indigenas iniurijs crebris ab eo affectos,

a *Agil. Guib.*

iuris obtentu nummorum vim ingentem extortam. Auaritiæ eius obnitentibus odium apud Turcas Pancratiumque conflatum, & vnà periculum fortunarum & ſalutis. Ita promeritum eum ſæpius capitale ſupplicium. Si non ſtatim vt dignus erat vitâ exturbandum, certè præfecturâ mouendum, & Balduinum fortiſſimum pariter ac nobiliſſimum iuuenem ſubrogandum in eius locum. Quoque is arctiore vinculo apud Edeſſanos attineatur, quęrendam virginem eo marito dignam; qualis imprimis eſſe videatur filia Regis Armenorum Anda. Cum hæc dixiſſet Senatorum princeps, obſecrauit Conſtantinum vt ipſis aſſentiri & allaborare velit. Lætus Conſtantinus non ſolùm aſſenſus eſt, ſed etiam pollicitus ſe de matrimonio, quod cupiant, cum fratre Rege & filiâ litteris & coràm acturum, dotemque Andæ luculentam curaturum. Mox de his miſſus nuncius Regi periucundus, Andæ iucundiſſimus accidit. At dum virgo lætitia ſpeque nuptiarum exultat, ſuperuenit nuncius alius, qui rem Balduini cum Edeſſanis omnino perturbatam narrat. Vt vitio generis humani ſemper à nonnullis aliena felicitas ægris oculis aſpicitur, fuit Edeſſæ Stantor bello non ignobilis, Prætoris vexillifer, qui decedere ſibi cenſuit quidquid accedebat honoris Balduino. Is monet Prætorem vt caueat ſibi ab externo iuuene atque oppidanis. Qui ab his exceptus ſit tanquam cælo miſſus genius, accerſitum vt imperet abdicato ſene Prætore. Reputanti hæc ſeni minùs lætus eſſe cœperat honor Balduino habitus & ciuium fa-

uor. Interim cum Balduinus frequentibus in finitimos Turcas excurſionibus victor magis magiſque clareſceret, vſque eò creuit æmulatio Stantoris, vt ſecretis cum Balduco & Pancratio colloquijs coniurarit in Belgam. Inſtructis dolis atque inſidijs conuenit Prætorem, conqueritur Balduinum ei non modò æquatum, ſed iam prælatum. Seni abdicando atque adeo tollendo inſidiari ciues. Ergo ius imperij retineret, & ſanciret morte Balduini. Ad hæc ſenex trepidus fluctuare animo, reſpondere ambiguè. Stantor interpretatus eum timorem, tanquam Prætor iuberet perimi, quem metueret, Balduinum in Turcas de more excurrentem comitatur. *a* Initum erat conſilium vel inermem opprimendi, vel prodendi Turcis, & in acie cædendi. Tentata prior ratio ſceleris. Felici excurſione lætus, ſed fatigatus Balduinus redibat cum agmine, in quo pauciores erant Belgæ, quàm Edeſſani familiares Stantoris, conſilijque participes. Inuitat hic Balduinum vt iam remotus ab hoſtibus leuet laborem, & exutâ galeâ liberiùs reſpiret. Verùm perſpicax Belga, quem non latebat æmulatio Stantoris, dolum veritus, periculum cauit. Illo defunctus mox incurrit in alterum. Turcæ faucibus opaci nemoris erumpunt. Ab his pariter ac proditoribus Edeſſanis inuaditur. Erat ei globus equitum exiguus, ſed fide in ducem inſignis. Ita exceperunt hoſtilem impetum, vt proditores mox ſenſerint, periculum, quod Balduino intenderant, in ſe redijſſe. Fugatis Turcis victor Belga fugientes Edeſſanos ad

a Gilo.

portam vrbis vſque perſecutus. Ibi ſubſiſtens ſuos tabernacula tendere extra muros iubet. Spectaculo turbatis & tumultuantibus oppidanis Tobias ſenatus princeps Balduinum conuenit de eius mente cogniturus. Cui Belga, quid in vos peccaſſe videor, inquit, aut dignum egiſſe, quod milites veſtri gladijs vlciſcerentur hodie nos in reditu adorti cum Turcis? Verùm inſontibus & proditis adfuit Deus: proditorum pleriqne noſtris armis cecidere: reliqui veſtro iudicio reſeruentur. Nunc in tentorijs hîc poſitis hæremus, vel vrbem, ſi inimica eſt, obſidentes; vel, ſi amica, tutantes. Tobias ſcelere ſuorum & Balduini periculo attonitus ſumpſit rem componendam, regreſſuſque in vrbem Prætorem adijt. Interim in foro atque in vicis rumor per Stamtorem alioſque proditores ſparſus erat imperatam eſſe à Prætore cædem Belgarum perfidiæ compertorum. At plerique omnes Edeſſani Balduinum experti defenſorem, Prætori infenſi minanteſque arma corripiunt. Prætor, qui in Balduinum non aliter quam ſuſpicione metuque peccauerat, interrogatus de inſidijs negauit ſe Principis eius, quem in loco filij amet, aut vllius Belgarum cædem cogitaſſe, nedum imperaſſe. Quo reſponſo pariterque populi fauore nunciato Balduinus in vrbem à Tobiâ reducitur. Intrantem armata multitndo circumſiſtit, orat vt ſecum in perfidi ſenis caput ſtringat ferrum, opibus eius & dignitate potiturus. Pio iuueni improuiſâ rei nouitate & atrocitate admiratio incluſerat vocem. Reſpondit deinde minimè ſe com-

miſſurum vt reſpergantur manus ſanguine eius quem parentem appellarit, & cui ſacramentum fidei dixerit. Pergentibus illis furere, clamantibuſque eum contra fas repugnare, repetendaſque nunc eſſe pœnas & facinoris in ipſum, & tot aliorum in rempublicam commiſſorum; poſtulauit Balduinus, vt, antequam ad arma veniretur, ſibi liceret Prætorem alloqui. Quod cum ægre, ſed tamen impetraſſet, turrim, in quam ſe pauidus ſenex receperat, *a* ſubijt, & pietate permotus liberare eum vel capitis ſui periculo ſtatuit. Senem complexus & patrem appellans auctor ei fuit, vt ad ſedandum populi furorem, largitionem faceret. Interpellauit ſermonem Balduini vociferatio tumultuantium, ſeque ad impugnandam turrim cohortantium; tum ſtridor incuſſarum feneſtris ac foribus ſagittarum. Prętor in hoc manifeſto vitæ diſcrimine gazam aperit, Balduinoque vaſa aurea, gemmas, purpuram, nummorum cumulos offert, orans, vt quantum velit ſumat effundatque in multitudinem, vt ſibi nudo exire liceat incolumi. Belga magis magiſque miſeratus de feneſtrâ manu aduocat populi primores, hortaturque obnixè vt aures, quas ira obſtruat, parumper aduertant, & à Prætore ſibi ſatiſdari patiantur. Omnes vno velut ore ſucclamant perfidum hominem ſcelera non aliter, quàm capite luiturum. Balduinus cum nec precibus nec pretio proficeret, Chriſtianâ pietate in ſenem patrem, ferrum ſtringere, vimque, ſiquis inferat, propulſare parat. Stupebant Edeſſani ſenatores, militeſque Belgæ ſuſpenſi atque anxij quonam

a *Guib.*

modo ille Prætorem, aut etiam ſeipſum, ſi multitudinis exacerbaret animos; expediret. Senex viciſſim mirâ in pium iuuenem caritate, ſtringentem arma cohibet amplexu & voce: fruſtra carum filium miſeri ſenis cauſâ offenſionem ciuium & dimicationem capitis ſubiturum. Semet corpus oblaturum iræ, trucidarent, modò liberatori vrbis parcerent. In eo pietatis certamine Balduinus obortis lacrymis negare ſe exiturum turri. niſi cum patre, malle cum eo mori, quàm apud parricidas ſupereſſe: ſed antequam ad arma & extrema veniatur, tentandum dolum. Auctor deinde Prætori eſt, vt ſportâ ſe per auerſam feneſtram demittat & conetur effugere, dum ipſe per aduerſam diſtinebit ſermone populum. Fraus magis pia quàm felix ad irritum cecidit. Dum enim ſenex per funem delabitur, animaduerſus à quibuſdam ciuium configitur ſagittis, & præceps in terram datur. Caput amputatum haſtæque præfixum per vicos ad vindictam ludibriumque differtur, ac deinde Balduino offertur pariter cum occiſi præfecturâ. Atrox rei ſpecies mite Balduini & militum Belgarum ingenium mœrore iràque affecerat. Oblatum tali cum munere imperium auerſatus Balduinus ſub noctem in domicilium incertus animi receſſit. Poſtridie redierunt ad eum Duodecimviri multis exponentes crimina Prætoris, populi iuſtam iram; obſecranteſque, quando ita viſum ſuperis vt ille occumberet; ne rempublicam ipſe adhuc fortiter feliciterque defenſam, nunc capite deſtitutam & obiectam hoſtibus deſerat, ſed capeſſat imperium, cuius

heres ſit & iure adoptionis, & voluntate ciuium. Diu multumque renitentem denique perpulerunt vt annueret, & Edeſſæ Comitem ſalutarunt. Poſtmodum cum iuuene actum de vxore ducendâ, deque regiæ virginis Armenæ formâ. Sed hæc agitantibus affertur Turcas plures ſatrapas à Pancratio nuperę ſeditionis Edeſſanorum occaſione excitos his Balduinoque parare perniciem. Dum Balduinus in hoſtes mouet, fortuna eius caſuumque varietas nunciata Regi Armeno ac filiæ alternum gaudium metumque attulerant. Ecce autem Conſtantinus Edeſsâ reuerſus Regem fratrem monet, ipſi quoque imminere diſcrimen à Turcis, niſi Edeſſanis auxilio veniat, & cum ijs arma hoſpitiumque coniungat. Eo patrui ſui conſilio nullum Andæ virgini gratius eſſe potuerat. Balduinus victis de more hoſtibus Edeſſam redibat, cum audit aduentare Taſrocum cum Regiâ totâ familiâ. Tantos hoſpites ita excepit in palatio, vt laudem conſecutus ſit vtentis ſplendidè ijs, quæ deceſſor auarè ſordideque condebat. *a* Nuptiæ Andæ cum Balduino breui confectæ magno eorum omniumque ſtudio, celebratæque regio apparatu. Genero Belgę dotis nomine Rex ſuas omnes arces attribuit, numerauitque Bizantinorum nummûm millia ſeptem, pollicitus ſexaginta millium ſummam. Hæc Balduini læta fortuna Pancratio audienti è propinquo erat ſummo vel dolori vel incitamento ad vindictam. Quam dum aſſiduè molitur, monitus Balduinus, meritoque iratus redegit armis in poteſtatem quidquid ditionis eius erat excepto

a *Order. Aquen.*

caſtello vnico. Hîc ſceleſti hominis dolor in furorem vertit. Perniciem machinatus non tantùm Balduino, ſed & Godeſredo fratri, mox aduerſ[illegible]nunc accendit Buamundum, in illum autem Corbagathum exciuit. Quod reliquum erat ei caſtellum ad Euphratem, quâ Edeſsâ iter eſt Antiochiam, arx ſcelerum & latrociniorum receptaculum fuit. Ex hoc graſſabatur tum in viatores alios, tum ſtudioſiſſimè in eos, qui Balduini & amicorum Armenorum ampla munera ferebant Godefredo tunc Antiochiam obſidenti. *a* Inter cætera inſigne tentorium, quod Nicuſus Princeps donum mittebat Godefredo, ſubripuit. Mox excogitauit quemadmodum furto vteretur ad flagitium maius & multiplex. Id tentorium prædo ſuo nomine donandum Buamundo curauit, precatus vt ſibi adeſſet contra Balduini vim illam nefariam, quam & Tancredus nuper eſſet expertus. Pancratij nuncios ſequebantur accuſatores ij, quibus tentorium erat extortum. Eâ de re conqueruntur apud Godefredum. Aderant forte ei amiciſſimi procerum Hugo Magnus & Flander, qui indignati confeſtim id donum à Buamundo repetunt, aſſerentes iniuriâ & ludibrio Godefredi imperatoris interuerſum. Buamundus enimuerò quod ſibi donatum ſit, reſtituturum negat. Vrgentibus illis perſtat in ſententiâ, & irritatus recordatione Balduini Tancredo ſibique pariter aduerſati reſpondet acerbiùs. Offenſi Hugo & Robertus milites conuocant. Iamque res ad arma ſpectabat, cùm procerum aliorum precibus denique

R 6

a *Aquen.*

Buamundo pernoto ad tentorium reddendum controuerſia tunc compoſita eſt, ſed mox in grauiorem eruptura. Interim Corbagathus aduerſus Balduinum à Pancratio concitatus immenſis ſuis copijs circumſedit Edeſſam. Balduinus ſuſtinuit barbari inſultus non ſolùm fortiter, ſed tam diu, quoad ille moræ obiectæ impatiens auertit arma in Godefredum interim Antiochiâ iam potitum, alioqui futuram imparem & perituram cum ſuis, ſi Corbagathus adortus eſſet nondum mœnibus tectos. Pancratius, qui per Balducum familiarem ſuum in Balduinum exciuerat Corbagathum, per eundem prælio Antiocheno impugnauit accerrimè in læuo cornu Godefredum fratrem. Sed victis vtrobique barbaris deſperauit Chriſtianos bellatores alijs, quàm mutuis armis, vinci poſſe. Id quoque cenſuit, ſe inulto Godefredum & Balduinum vſquè victores fore, quoad cum eis Buamundum & Tancredum æmulatione committeret. Cuius ſpectaculi voluptatem inſidiator dum captat, eius fruendæ occaſionem audit exortam haud procul caſtellò ſuo. Erat in propinquo Haſarchum oppidum, quod (vt narrare ſuprà exorſus ſum) magnis cum copijs obſederat Turca Rodohanus infenſus eius oppidi præfecto licet itidem Turcæ. *a* Is præfectus in tanto diſcrimine Godefredi opem implorarat litteris perhonorificis MAGNO PRINCIPI AC DVCI CHRISTIANORVM inſcriptis, datoque obſide filio. Ac ne Godefredi reſponſoriæ vel interciperentur vel retardarentur in viâ; per oratores miſerat cicuratam domi columbam,

a Aquen.

cuius plumis ſubligatæ litteræ mox tutoque referrentur. Ita certior factus de affuturis ſuppetijs à Godefredo. Qui confeſtim dedit ſe in viam cum copijs, rogauitque imprimis Buamundum, vt ſibi vires adiungeret. Recentia erant in eum merita Godefredi, qui & periclitanti in prælio nuper opitulatus, & petenti Principatum egregiè ſuffragatus erat. Ergo auxilium quod petebat, quodque ſimilitudo ipſa periculi & ſocietas armorum repoſcebant, non rebatur negandum. Verùm vrebant Normannum multa, eoque acriùs, quòd felici belli furto potitus Antiochiâ, auctuſque iam Principatu ex ſucceſſu animos ſumpſerat. Delata à proceribus tanti imperij inſignia effeciſſe videbantur, vt non iam Imperatoris Godefredi, ſed Buamundi Principis maieſtas potior eſſet. Nunc autem veteribus illis, quibus violatum ſuum nomen à Godefredo vel Godefredi causâ cenſebat, acceſſerat hoc recens, quòd Haſarchi præfectus Godefredum appellatione Ducis Chriſtianorum & ſplendidâ miſsâ de auxilijs legatione coluiſſet; de Buamundo ne verbum quidem feciſſet. Ergo venire auxilio recuſat. Hanc repulſam ita moderatè tulit Godefredus, vt oſtenderit ſe grauiſſimè laturum iteratam. Litteris in hæc verba ſcriptis denuo rogauit Buamundum, vnaque Raymundum: haud decet vos, qui Chriſtiani exercitus ductores & columina eſtis, operâ deeſſe ſocijs ac fratribus; cum hoc bello ſemper parati fuerimus veſtrâ causâ perpeti quemuis laborem, atque etiam mortem. Sin deſitis nobis, ex amicis hoſtes effeceritis. In me, ſi in hoſtem

noletis, arma capite. Paucis his, ſed magni ponderis verbis, laudes ſimul minaſque complexus Dux Buamundo declarabat & quanti eum faceret, & quàm non timeret. Proceres Ducem comitantes, atque in his Balduinus, qui euocatus à fratre tria millia Edeſſanorum adduxerat, ſuſpenſis mentibus ambigebant quid hę litteræ effecturæ eſſent apud Normannum: an ſpe dignius eſſet, quòd eum Dux appellaſſet Chriſtiani exercitus columen; an magis metuendum, quòd neganti denuo ſuppetias hoſtem ſe profeſſus eſſet. Quo enim id animo laturum illum tanti ſpiritus bellatorem Antiochiæ Principatu ferocem, minarum impatientem, nunc velut ad arma prouocatum? Et verò reſcitum eſt in caſtris, Buamundum litteris grauiſſimè commotum, mox armis accinctum cum Tancredo & copijs, Antiochiâ intendiſſe iter ad Godefredum. Eo nuncio variè affectis alijs, Pancratius in propinquâ ſuâ ſpeculâ exultauit erectus in ſpem dimicationis optatæ. Omnium animos ſuſpenderant magna illa nomina Godefredus & Buamundus ſummi duces ad ſupremum certamen velut à fortunâ comparati. Non iam cum Turcis victis rem fore, ſed inter victores Turcarum clariſſimos duces tot ante parta decora mox cumulaturos, aut euerſuros. Iam appropinquabat Buamundus, in cuius pectus Godefredi verba altiùs, quàm quiſquam ratus, deſcenderant. Cauſarum omnium offenſionis renouata erat memoria. Modò ſecum ipſe fremens, modò alloquens Tancredum, parum erat, inquiebat, quod Go-

defredus fratris operâ ad Tarſum vexillum tuum, Tancrede, meumque nomen peſſumdedit. Parum, quòd ad Antiochiam ereptum mihi ab eo tentorium tanto odio atque inuidiâ ſpectatum ſit, quaſi in eo monumento quotidie vinci viderer. Nec ſatis erat, quòd in Galliâ Conſtantiæ amores ac nuptias mihi interuertere nitatur, ſibique conciliare amici Hugonis operâ; niſi & Antiochiæ Principi imperaret tanquam gregario, atque etiam minaretur, ſi detrectarem imperium. Vſque eò ſuſtulit animum, ex quo dux Chriſtianorum ſalutatus eſt à Barbaro. Hæc agitanti cùm recurreret memoria officiorum à Godefredo acceptorum, ſubortis grati ac generoſi animi motibus obſtrepebat ira; eoque fremebat magis eum ſibi obtigiſſe æmulum gloriæ, riualem amorum, ac denique hoſtem, quem vlciſci non poſſet ſine aliquâ ingrati animi notâ. Quamquam, inquiebat, gratiam officiorum perdidit, qui ſe mihi contuliſſe gloriatur & exprobrat litteris. Hic dies aut æmulo, aut mihi futurus vl[illegible]us. Tu mihi, Tancrede, adeſto ſpectator, aut [illegible]i malis pugnæ ſocius eſſe, habes accitum Edeſſâ, quem vlciſcaris, Balduinum. Erat Buamundo Tancredus arcanorum omnium & periculorum particeps, meritoque in caris eximius. Iuuenis non fortitudine clarior, quàm bona mente, ita ſtudebat avunculo, vt in omnibus admiraretur Godefredum. Eius viri perſpectâ incredibili virtute & humanitate vix ac ne vix quidem adduci poterat, vt exiſtimaret quidquam ab eo in Buamundum eſſe peccatum. Ergo huius ani-

mum, ſiquo modo poſſit, placare inſtituit. Atque vt prudentiâ imprimis valebat, tectis verbis rem aggreditur, viſus primùm aſſentiri Buamundo, nec diffiteri Godefredum duriùs locutum. Deinde aliqua ex ijs, quæ Godefredo obiecta audierat, excuſationis nonnihil habere poſſe ſubmonebat. Quæ contra ſe ad Tarſum geſta eſſent, Balduino tribuenda, neutiquam Godefredo, qui de ijs fratrem etiam obiurgaſſet. Iam tentorium non tam Ducem repetijſſe, quàm Hugonem & Flandrum. De Conſtantiâ virgine conuentâ & ſollicitatâ per Hugonem vt amanti Godefredo faueat, ſuſpicionem eſſe, ſed nihildum certi. Minùs decere præproperam iram, antequam de cauſæ veritate conſtet. a Mittendum eſſe in Galliam idoneum hominem (qualis videatur conſanguineus Richardus Salerni Princeps) qui rem exploret ac nunciet, &, ſi integra ſit, Conſtantiam petat vxorem Antiochiæ Principi. Cum Tancredus id ſuum monitum probari avunculo ſenſiſſet, gratoque conſilio mitigare iram eius, tum reuocato ſenſim ſermone ad recentem offenſionis cauſam dixit optandum fuiſſe, vt præfectus Haſarchius plus tribuiſſet Buamundo Principi, nec ſolum Godefredum implorâſſet & honorificè litteris appellaſſet. Sed hanc ſcilicet eſſe culpam inſcientis barbari, non Godefredi, qui eam ipſam reparare contenderit imploratâ ſemel iterumque ope Buamundi. Paſſum Ducem inexpectatam repulſam à Buamundo, tamen litteras ad ipſum dediſſe, in quibus non poſſint omnia condemnari. Exorſum verbis

a Guib.

honorificentiſſimis appellaſſe Buamundum exercitus Chriſtiani ductorem & columen. Quòd addiderit, ſe ſemper pro eo mori paratum, non eſſe gloriantis aut exprobrantis verba, ſed obſecrantis. Verùm, quòd æquum poſtulare ſe ratus, precibus aliquid minarum adiecerit, id inter viros magnanimos eſſe tam pronum roganti, quàm acerbum rogato. Sed antequam de vindictâ ſtatuatur, videndum Principi generoſo & famæ ſtudioſo, an non priùs meritorum eius, quàm dictorum habenda ſit ratio. Avunculum pro ſui animi amplitudine candoreque non diffiteri pugnanti ſibi in valle Gorgoniâ, in Antiochenâ vrbe, atque acie felicem opem tuliſſe Godefredum, necnon ſuffragatum omnium maximè ad Antiochiæ Principatum. Poſt hæc facta ſi verbis offenderit, priùs reſpondendum videri factis, quam verbis. Iam occaſionem ſe dare opem ei ferendi, qui tulerit. Poſtquam ita famæ ſatisfecerit officijs, viſurum de condonandâ vel vlciſcendâ acerbitate verborum. Se quidem, etſi ſciat quantus ſit vir Godefredus, & amicum malit quàm inimicum, tamen nec metuere, nec dubitaturum armis aggredi quemcumque avunculus in hoſtibus numeret. His audiendis ira Buamundi ſenſim deferbuit, & placido iam animo ſociales copias iunxit Godefredo. Qui & illum & Tancredum in aditu caſtrorum excipit illâ incredibili humanitate, quâ rapiebat omnes, & ſinceræ amiciæ teſtificatione quidquid litteris aſperſerat acerbitatis, abſterſit. Raymundum paulò antè placatum, Eluirâ

verbis ſubſeruiente, ad ſua caſtra adduxerat. Hac coniunctione armorum territus Rodohanus vltro ſoluit Haſarchi obſidionem, præfectuſque liberatus Godefredo ſacramentum de genibus dixit. Pancratij nefariam expectationem cùm hic fruſtrata eſſet reconciliata inter proceres gratia, alebant adhuc in propinquo ſtructæ Balduino fratribuſque inſidiæ. At cum harum adminiſter præcipuus Balducus captus fuiſſet capite, Pancratius ſuo conſulendi tempus eſſe ſenſit, quærendique latebram caſtello ſuo occultiorem. Vix ſeſe ex hoc eiecerat, cum Godefredus monitus perpetuis eius latrocinijs exſpoliari accolas & viatores, expilari cœnobia, commeatus à Bulduino fratribus miſſos auerti, arcem illam compertiſſimi latronis diruendam & æquandam ſolo curauit. Ille ſocij Balduci ſupplicio, ſuoque damno ac dedecore actus ex furore in rabiem, cum nil iam relictum eſſet præter ſceleſtam mentem, hac deſignauit facinus, quo haud ſcio an toto hoc bello memorabilius vllum ſit. Dum conſtitutum petendæ Hieroſolymæ tempus expectatur, proceres declinaturi luem, quæ Antiochiæ inter plurima funera ſuſtulerat digniſſimum cælo hominem Ademarum Anicienſem Epiſcopum, alij aliò diuerterant. Boamundus cum Tancredo Ciliciam reliquam ſumpſerat ſubigendam, Raymundus expugnandam vrbem Albaram, Godefredus Marram. Qui imminente iam tempore Hieroſolymam contendendi, relicto in caſtris ad Marram Euſtachio fratre, Edeſſam Balduino valedicturus excurrit cum familiari-

bus equitibus duodecim, eminente inter eos conſanguineo Burgio. *a* Tranſmiſſo Euphrate videt contrà venientem militarem globum candido vexillo ſpectabilem, præfectumque magno ſplendore præeuntem. Clypeus aureus præferebatur aquilæ complexus effigiem. Ante vehiculum, in quo ſedebat, clangebant tubis argenteis equites duo. Ipſe magnificè togatus barbam promiſerat more Græcorum. Godefredus nuper eodem ornatu conſpectum agnouit fratrem Balduinum. Qui complexus Ducem ac deinde Burgium, caros non magis à cognatione quàm virtute hoſpites perduxit Edeſſam. Ibi à rege Tafroco, Andâ, Conſtantino, Duodecimuiris excepti ſummâ lætitiâ, ſummiſque honoribus culti, ambo regijs digni, & aliquando colendi. Coram Tafroco & Andâ cùm Godefredus eſſet gratulatus fratri Balduino felix cum regiâ virgine matrimonium, & officiosè pater filiaque reſpondiſſent, noua nupta (vt fit) delapſa in ſermonem de futuris hoſpitum coniugibus. Sciebatur caram eſſe Burgio Morfiam vicini Meletenię Ducis filiam. Quam Godefredus amaret ex omnibus, à quibus non ſolùm in Europâ, ſed in Aſiâ etiam amabatur, erat in obſcuro. Aiebat Anda eius virtute non magis fortiſſimos Turcarum victos, quàm humanitate deuinctas Turcicæ gentis Principes feminas. Captiuas duas Reginas alteram Nicææ, Antiochiæ alteram, Bullionij imperatoris curâ honoratè pudiceque habitas & remiſſas cum liberis, illam ad Solimanum coniugem, hanc ad Senſadolum filium. Eas,

a Guib.

cùm Edeſsâ transſierant, Bullionij victoris benignitatem comitatemque laudibus proſecutas. Quin Antiochenæ Reginæ filiam non obſcurè teſtatam ſe Antiochiâ illibenter abſcedere. De causâ interrogatam, verecundo cum riſu diſſimulantem quod erat, reſpondiſſe, a ibi ſe inter Chriſtianos delectatam eſu ſuillę, quâ veſci Turcicis moribus nefas ſit. Verùm re verâ Antiochiæ Chriſtianorum procerum atque imprimis Godefredi conſpectu captam. Cæterùm Turcicis virginibus antecellere b Floriam Calabres Reginę filiam Corbagathique Principis ſororem, quæ ſe Chriſtiana ſacra ſuſcepturam promittat, ſi ipſam Godefredus ſibi deſpondeat. Ad hæc Bullionius mentem de more celans cum lepore reſpondit ſe nimis accenſurum Turcarum procerum iras, ſi, quorum copias pugnando attriuerit, eorum virgines amando ſubripiat. Verùm iam nunc iras illas, de quibus iocabatur, nimiſquam inflammarat, ſeque inſciens opportunum vindictæ obtulerat. Digreſſus Edeſsâ redibat ad caſtra cum ſuis equitibus duodecim, alijſque octo, qui præbitum à Balduino viaticum ferebant. Iam Anthiochiæ propinquabat, cum parumper ſubſtitit. Verùm propiùs aberat à periculo ſalutis, quàm ab vrbe. Ventum erat in conuallem peramœnam ad caput fontis viridantem ceſpitem alluentis. Imminebat mons, ad cuius radices lacum grandem ac piſcoſum latè iunci inumbrabant. Ipſa loci ſpecie inuitatus Bullionius diſcubuerat in gramine cum ſocijs, corpuſque curabat. Dum ſecurè prandetur, ſubitò ex vicino

a *Order.* b *Geneal. Bonon.*

carecto montiſque latebrâ inſidiatores erumpunt Pancratio incentore collecti. *a* Turcarum delecti equites, cataphracti non pauciores centum viginti prȩſtolabantur rediturum iſtac Godefredum. Non plures coierant, ne multitudine proderentur, at plures quàm ſatis futuri videbantur, quini pugnaturi in ſingulos. Qui priuſquam propiùs acceſſiſſent, Dux arma induerat, equoque inſidens imperterrito vultu ſocios hortabatur ad pugnam. Et Burgius cæterique vndecim inuicem cohortantes erigebant inde animos, quòd Apoſtolis numero pares ſequerentur Ducem Chriſti vice fortiſſimè prȩiturum. Atque ita valuit apud eos fiducia hinc concepta, vt facilè tanti periculi cogitationem excuterent. Turcæ ſuâ virtute & multitudine freti aduolant infeſti ſagittis, circumfuſique inſtant Chriſtianis adempturi ſpem fugæ pariter & ſalutis. Ferociſſimi quique deſilierant ex equis, vt cæteri ſcirent eos non fugituros, quos viderent ad pedes eſſe degreſſos. Atrox inter hæc clamor hortantium ſocios, minitantium hoſtibus. Eminens in equo Dux vtroſque in ſe conuerterat tum corporis armorumque ſpecie, tum ingentibus factis. His indicijs Turcæ Godefredum agnouerant. Ergo in eum tela conjiciunt, & tota in vnum acies vertitur. At non ille idoneus metui, niſi inferendo. Nunc reſiſtens obuios, nunc procurrens recedentes obtruncabat, & cùm tot manus vnum inceſſerent, par vnus omnibus ſtabat, ſternebatque complures. Cæſis ad triginta Turcis periculum ad cæteros vertit. Cumque aliquantiſ-

a *Agil. Guib. Aquen.*

per inter pugnæ fugęque conſilium trepidaſſent, tandem terga verterunt. Ac ne dubia foret vis cæleſtis auxilij, nullum è duodecim ſocijs deſideraſſe Dux legitur. Nimirum quâ præſide armorum Virgine pugnarat, eâdem protegente vicerat. Itaque reditus eius Antiochiam triumpho proximus fuit. Ibat pompa penè incredibilis victoriæ teſtis. Captiui tantò plures quàm qui ceperant, erant ad triginta. Cæſorum triginta capita præferebant ephippijs partim victores, partim ipſi captiui. Nonaginta equi Turcici ducebantur onuſti ſpolijs eò iucundioribus, quò minùs ſperatis. Dux per illum Antiochiæ pontem, vbi gigantem Arabem diſſecuerat, nihilo iam minore facinore clarus inuehitur inter plauſus procerum & acclamationes populi, vix eam victoriam præ ſtupore, vix ſe prę gaudio capientis. Habitis Deo Deique Matri gratijs, de accelerando Hieroſolymam itinere actum in commune. Pluſculum intermiſſa profectio non eſt viſa diutiùs differenda. Sub menſem Martium Bullionius mouit Antiochiâ, redijtque ad Euſtachium fratrem & proceres alios Marrâ vrbe iam potitos. Sed deſideratus ibi, defletuſque præſertim ab Anſelmo Ribodimontio egregius adoleſcens Engelramus, cuius mortem & miranda mortem ſecuta pòſt paulò referemus. Exinde maritimâ orâ proceſſum, vt commodiùs nauigijs acciperetur commeatus. Ad Laodiceam Syriæ ſtatiua habita. Ea vrbs littoralis, ſola ex totâ Syriâ erat in Græci Auguſti fide, nuper amiſſa, mox recepta. Quærenti de his

a *An.* 1099.

Bullionio narratur captivum in eâ vrbe detineri Vinemarum egregium illum nuper Archipiratam: cum eo in vinculis eſſe Regem memorabili pariter fortunæ ludo iactatum. Miſeratus vtrumque Dux, cum audijt eum regem vocari Edgarum, obſtupuit; quique aderant Euſtachius frater & Robertus Normannus, ingemuere. Nullusne, inquit Euſtachius, finis erit infortuniorum optimi Principis? Ita nondum ceſſat, ſed augetur denunciata calamitas regiæ arboris Anglicanæ. *a*

Celebratiſſimum eâ tempeſtate erat nuperum Diui Anglorum Regis Eduardi vaticinium de arbore viridi Anglicanâ; quo loquendi modo fortunam regiæ familiæ imminentem prædixerat. Is rex patruus fuerat Principis cognominis, quo patre genitus erat Edgarus ille Laodiceæ captivus. *b* Sanctus rex moribundus cùm biduo tacuiſſet, tertio die ſibi redditus precatuſque Deum, vt, niſi vera dicturus erat, obmuteſceret, rurſus expeditâ voce vaticinium edidit in hanc ſententiam,

VATICINIVM EDVARDI REGIS.

ARBOR FATALI VIRIDIS SVCCIDITVR ICTV:
PARS ABSCISSA SVO STIPITE SVMMA CADIT:
HOC AMOTA PROCVL TRANS IVGERA TERNA FERETVR:
POST ITERVM STIRPI REDDITA, POMA FERET. (b *Malm.*

a PRIMORDIA *Euſtathij, Mariæ Scotæ, &c.*

Vix mortem obierat rex, cum obſcurum illud vaticinium cœpit euentu rerum explicari. Mox etenim VIRIDIS ARBOR, hoc eſt, familia regia Anglicana fato Eduardi ſucciſa, regiaque dignitas (quæ Edgaro debebatur) tanquam faſtigium à trunco arboris decidit, atque ab HOC AMOTA PROCVL ad externum hominem Haraldum Danum peruenit, & ad duos deinceps alios externos Normannos. Quæ terna exterorum capita TRIVM IVGERVM nomine adumbrarat Rex vates. Haraldum Danum cum Normanniæ Dux Guilielmus Nothus acie victum regno vitâque priuaſſet, primores quidem Anglorum Edgarum tunc puerum ſanciuerunt Regem. Sed ijs etiam pugnâ victis à Notho, coactus Edgarus ſolum vertere. Exul cum ſororibus duabus Margaretâ & Chriſtianâ tempeſtate ad Scotiæ littus ejicitur. Ibi Regios exules perbenignè hoſpitio excepit Scotorum Rex Malcolmus, captuſque Margaretæ formâ & virtute ſibi eam matrimonio iunxit, ex quo plures ſuſcepti liberi, atque in his Editha & Maria ſpes regnatricis Anglicæ familiæ. Margareta Regina morum ſanctitate inſignis ſanctè educauit liberos. Matris Virginis cultrix eximia honoris eius causâ filiarum alteram Mariam appellauit. Ei cultui incrementum, & feſto Virginei Conceptus originem dedit celeberrimum eius temporis prodigium. Edgarus non ſolùm Malcolmi, ſed & Sirani Danorum Regis auxilijs parabat Angliæ regnum repetere. Rex Nothus audito eo rumore mittit Helſinum in Daniam, qui rem exploret, & ad ſe

ſe referat. Is Helſinus Normannus cœnobij Ramſeienſis in Angliâ præſul, conſecuturus immortalitatem nominis, mandato Regis impigrè obito renauigabat in Angliam, cùm ſpiſſis nubibus cælo ſe intendentibus concitatum ventis mare inhorruit. *a* Vectores, fœdâ tempeſtate iactati, deſperatâ corporum incolumitate ſalutem animorum commendant ſuperis. Imprimis miſerorum ſacram ancoram Virginis matris opem inclamant. Ecce viſus ſuper vndis vir venerabili ſpecie & inſulis inſignis accedere. Qui Helſino illacrymanti, ad te, inquit, ab orbis Dominâ, quam in vota vocaſti, mittor: mihi ſi dicto audiens fueris, ſoſpes euades. Helſino pollicito ſe quæuis eius imperata facturum; Deo mihique promitte, excepit ille, te diem, quo Dei Mater concepta & condita eſt, poſtac VI. idus Decembris ſolemni ritu culturum. Simul ac promiſit Helſinus, ſimul ille ex oculis ſublimis abijt, & dicto citiùs tempeſtas ſedata eſt. Præſul Ramſeienſis ſecundis ventis appulſus in Angliam prodigium prædicat, Regi Notho refert contra ipſum quidem Edgari Danicam claſſem parari, ſed ſpem reponendam in Virgine intaminatâ, quæ terrâ, vt modò mari, tempeſtatem ſereno mutare poſſit, & bellum pace. Mouerat Normannum Regem prodigioſa legati ſui liberatio: moti eâdem populares, & Virgineum Conceptum nouo feſtiuoque cultu proſecuti. *b* Feſtum id Normannorum initiò vocitatum de primorum cultorum nomine, mox Diui Anſelmi itidem Normanni epiſtolâ hortatoriâ longè lateque propagatum

a Vetera off. Concpt. S. Anſ. b. Alenſis. S

eſt. Secuta interim tanquam fauente Virgine in Anglia rerum quies. Eò Edgarus venerat, & cæleſti conſilio cedens Regi Normanno ſacramentum fidei dixerat. *a* Hîc benignè ſplendideque habitus adoleuit inter Regis filios Robertum, Guilielmum Rufum, Henricum. Roberto imprimis carus mutuam caritatem fidemque rebus difficillimis probauit. Cum Rex pater moriens Guilielmum Rufum teſtamento inſtituiſſet Angliæ regem, Robertum verò Ducem Normanniæ, licet natu maiorem; Robertus poſtpoſitus bellum Rufo mouet Edgaro armorum ſocio. Iam Edgarus Angliæ ſceptrum tertio externo regi obueniſſe ex vaticinij fide cernebat; iam ex eâdem expectabat vt regia dignitas ſuæ ITERVM STIRPI REDDITA refloreſceret, neque tamen ille ſibi regnum armis quæſijt, ſed amico Roberto. Neque verò futurum erat vt ipſe, ſed vt ſororis Reginę Margaretę Scotica ſtirps regnaret in Angliâ. Cùm Edgarus in Normanniam ad Robertum bellum parantem profectus eſſet, ad eos venit Bullionij frater Euſtachius, cui cum ambobus annos iam plures familiaritas erat. Egregiam imprimis neceſſitudinem cum Edgaro iunxit. Amicitiam inter eos conciliarat ſimilitudo indolis, candoris animi, & morum optimorum. Cùm voluntatum eſſet ſumma conſenſio, quos Edgarus in caris numerabat, eoſdem dilexit Euſtachius, ſed maximè omnium filiam Reginę Scotæ Mariam. Sæpe cum Edgaro perpendebat Diui Eduardi prædictionem & regiæ eius familiæ fortunam; vtque præſentem aduerſam miſera-

a *Malmesb. Boëth. &c.*

batur, ita promiſſam proſperam habebat in votis. Certiorem Euſtachium fecerat Edgarus ſororem ſuam Chriſtianam ex Scotiâ veniſſe in Angliam, & in Rumſeienſi cœnobio femineo quod haud procul abeſt à virili illo Ramſeienſi, cui eximius Virginei Conceptus cultor Helſinus præerat, vitam religioſam profiteri. Ad eam miſſas à Reginâ ſorore filias duas Editham & Mariam ibidem metu Rufi latere inter virgines ſacras, & caſtè pieque educari, ſortem expectantes, quam cælum deſtinaſſet. Gaudebat Euſtachius erudiri virgines regias ijs artibus, quibus ingenia ad fortunæ magnæ faſtigium aſpirare numine fauente poſſint; ominabaturque eas euaſuras virtutis regiæ, quâ mererentur regnum. Quamquam Edithâ velo monaſtico paulò pòſt obnuptâ ſola Maria ſuperfuit, quæ nuptura videretur. Hanc latentem Euſtachius primùm miſeratione, deinde caſto amore proſequi cœpit. Cumque abſenti teſtari coràm animum officijs non poſſet, quod reliquum erat, avunculo eius Edgaro ita ſe probabat induſtriâ, laborum patientiâ, bellicâ virtute, animique magnitudine, quaſi Maria ſpectaret. Bello in Regem Rufum conflato à Roberto fratre, huic ſtrenuam impigramque nauauit operam. Moras trahente in Normanniâ Roberto, ipſe præiens cum Edgaro proceribuſque alijs Normannis & Belgis mare trajicit. Superatiſque in Angliâ difficultatibus primis, quas inſuperabiles facere abſentia Roberti & multitudo hoſtium videbatur, ferro ſibi ad vrbem Roueceſtriam pateſecit aditum. Hanc

aliaque Cantuarienſis ditionis loca virtute occupat, obtinetque Roberti nomine. Erat Roberto indoles pugnax, ſed identidem otio & amoribus ſoluebatur. Certè in hac tantâ re, quando ei regnum armis quærebant amici, dicere non habeo quem bellatorem præſtiterit, ſed quem deſeruerit. Actum erat de Ruſo, ſi bene cœptis Euſtachij adeſſe feſtinaſſet. Iam is non tantùm munita loca plura, ſed, quod plus bello valet, famam ſibi compararat. Iam multi Anglorum erecti celebritate nominis Euſtachij ſollicitabantur nouarum rerum cupidine, odioque præſentium. At dum hæret Robertus, nec ſe ſuæ cauſæ præbet, Rex Ruſus Euſtachium Roneceſtriæ obſidet. Belga non elanguerat alienâ ſegnitie, ſed clarus fide in amicos ita fortiter obſidionem tulit, vt in æſtatem traxerit. Ac ne tunc quidem Ruſi potentiæ ceſſiſſet, niſi multis hoſtium cæſis, nec paucis ſuorum deſideratis hoſtes noui generis protuliſſet æſtus. *a* Ex illuuie cadauerum exorta ingens multitudo muſcarum oculis naribuſque adſtrepere, cutem fodicare, cibis potionique ſe ita ingerere, vt his vti nemo poſſet, niſi cui ſocij interim flabellis ora defenderent. Ergo agere de deditione Euſtachius cogitur. *b* Ruſus præſtructis oppido caſtellis duobus obfirmarat iureiurando animum ad obſeſſorum expugnationem & necem: at placatus Euſtachium à fortitudine laudatum recepit in fidem. Edgarus primùm pulſus, deinde redux & reconciliatus Ruſo, exortâ denique inter reges Anglum Scotumque diſcordiâ in ſummum mœrorem & vlti-

a *Houed.* b. *Orderic.*

mum ſalutis diſcrimen adducitur. Nunciatur ei Malcolmum Regem haſtâ Angli proditoris occiſum, mœrentem Reginam tertio die poſt coniugem ſanctè obijſſe, Donaldum Malcolmi fratrem nullo filiorum heredum reſpectu inuaſiſſe Scotiæ regnum. Tot vnà malis oppreſſus Edgarus, cùm ſanctæ ſororis filios, vt tyranno Donaldo eriperet, è Scotiâ clàm euocatos occultaſſet in Angliâ, hîc cum eis cumulo malorum obruitur. a Organus erat ei infenſus, homo præferoci ingenio, qui ex calumniâ gratiam aucupans regis, Edgarum accuſat maieſtatis, quòd regnum affectet, quòd Scotæ ſororis liberos in ſpem regni Anglici clàm alendos curet, & iure reges eſſe dixerit. Offert ſe armis euicturum ita rem habere. Rufus excandeſcens iubet Edgarum & ſororis prolem è latebris erutam comprehendi. Nihil teneræ ætatis, nihil ſexus ratio valuit. Filij tres cum Mariâ ſorore & auunculo capti, & coniecti in vincula. Filiarum altera Editha, quòd obnupta monaſtico velo perpetuâ virginitate teneri crederetur, apud materteram antiſtitem relicta. Captiuis denunciatur futurum vt damnentur perduellionis, niſi pugnatorem inuenerint, qui Organum falſi conuincat armis. Perculerat optimum quemque accuſatio & accuſator, de cuius robore armorumque peritiâ magna erat opinio. Conſtitutus pugnæ ſingulari dies aderat, nec apparebat defenſor. Stadium ſubijt armatus Organus feritatis ſpecie ipſi circumfuſæ multitudini & extra periculum poſitæ timendus. Ex aduerſo producti in ſuga-

a *Boëth.*

geſtum rei vinculis luctuque obruti, & eò miſerabiliori habitu, quò conſpectiore. Imprimis mouebat animos virgo regia in vili cultu, & cui vnicum erat ornamentum forma, nitenſque in vultu ſpecies virtutis. Tandem adeſt eques armorum inſtructu ſplendidus, causâque reorum ſuſceptâ certamen contra calumniatorem Organum poſcit. Iuuenem vnum eo die fortuna regiæ domus præſidium habuit. Organus victus ac peremptus odij & inſanæ cupiditatis meritas dedit pœnas, Edgaro & ſororis liberis affectati regni ſuſpicione abſolutis. Dignum Euſtachij animo & amore facinus, etſi nomen non proditur. Victori grates actæ. Præmium merito par rependi non poterat vllum, niſi regiæ virginis connubium. Sed recens orbitatis luctus, & Mariæ tenerior ætas, & Scotiæ regnum à tyranno occupatum differri nuptialem lætitiam cogebant. Et victorem magnanimum curæ militares aliò auocabant. Sub id tempus bellum ſacrum indictum, cui initiatus Euſtachius Robertum Normanniæ Ducem comitatus eſt, Edgaro Mariâque non minore ſtudio ſalutatis, quàm obſtrictis. Interim Edgarus iam gratioſus apud Rufum impetratis ab eo copijs Donaldum Scotiæ tyrannum acie vicit & cognominem ſibi ſororis filium Edgarum ſtatuit regem. Inde victor adiecit animum ad amicos belli ſacri heroës Robertum & Euſtachium ſequendos. Nauibus à Rufo obtentis iuuentutem Scotam & Anglam imponit facilè principe comitum Alano Stuarto. Terras circumuectus ſecundo curſu ad Syriacum vſque

mare peruenerat, cùm occurrit claſſi, quam audit eſſe piraticam, & Archipiratæ celebre nomen eſſe Vinemaro. Ad pugnam ſe parabat, quando Vinemarus iam ſacri belli nauarchus agnouit Edgarum Euſtachio fratribuſque amiciſſimum.*a* Iunctis nauibus præteruecti Antiochiam, quam eo tempore Godefredus obſidebat, vicinam ciuitatem petunt Laodiceam littori impoſitam, obuerſiſque mari geminis turribus firmatam. Incolebant Chriſtiani Græco Auguſto ſubiecti iure, ſed oppreſſi iugo barbarorum. Huc vnà appulſi Edgarus & Vinemarus, quibus ad xx. millia claſſiariorum erant, vrbem expugnant barbaris cæſis. Tempore modico interiecto adeſt ab Alexio cum claſſe Rauendinus, vrbemque Græcæ ditionis repetit. Cum reddere in præſens recuſaſſent victores, ſecuturi exemplum obſidentium Antiochiam itidem Græcæ ditionis; impugnata à Rauendino vrbs fauentibus oppidanis rurſus capitur. Edgarus, Vinemarus, Stuartus, naualeſque ſocij omnes coniecti in carcerem, nauibus in poteſtatem redactis. Quæ omnia cùm de ijs audijſſet progreſſus ad Laodiceam Godefredus, libertatem amicorum etiam atque etiam rogat vrbis præfectum. Hic memor Bullionium præ cæteris proceribus Latinis ab Alexio fuiſſe cultum & adoptatum, poſtulatis obniti non auſus, captiuos omnes, naueſque reſtituit. Liberati longo agmine Godefredum petunt, gratijſque & victoriarum gratulatione proſequuntur. Edgarus ab eo & veteribus ſuis amicis Euſtachio & Normanno Roberto multo

a *Order. Aquen.*

vel honore vel amore cultus. Vinemarus quoque Godefredo acceptiſſimus fidei in Balduinum mercedem cum præſenti libertate famam apud poſteros tulit. Euſtachio priuatim interroganti cum curâ Edgarum de eius regiæ familiæ rebus, nominatim de Mariâ ſuâ, reſpondit ille, Scotiæ res iam bono loco eſſe: in Angliâ fauere Rufum: eius fratrem Henricum indolis egregiæ adoleſcentem videri captum amore Edithæ licet monaſtico more velatæ: Mariam adoleſcere, ſperarique non indignam fore amore Euſtachij. His audiendis delectatus non modò Euſtachius, ſed & Godefredus, qui pietate amori ſimillimâ Regijs virginibus affici viſus eſt Euſtachio, ambigenti an non Mariam dum miſeratur frater, amare cœpiſſet. Delapſi deinde ij proceres ad ſermonem de Eduardi vaticinio. Videbatur reuerti ſenſim fortuna æquior, aut potiùs cælum reſpicere. Iam arboris regiæ faſtigium ad tertium iugerum peruenerat, nempe ad tertium externum Regem Rufum; ac proinde ſpes erat fore vt breui Regia dignitas Anglicana reſtitueretur ſtirpi priori. Verùm quâ ratione id euenturum eſſet, ambigebatur ſcilicet, & expectabatur à numine. Cùm iam Laodiceâ progrediendum eſſet, rogauit Godefredus Edgarum, vt agmini viâ maritimâ eunti adnauigaret cum claſſe, armiſque & commeatu adeſſet. Præfectura claſſis ei, Vinemaroque rei naualis peritiſſimo commiſſa. Buamundus hactenus comitatus Godefredum, Antiochiam, ne ſine Principe relictam à tergo hoſtes reciperent, redijt. At Tancredus

exinde Godefredum ſecutus eſt tum admiratione tanti ducis, tum liberandæ ſanctæ Vrbis ſtudio. Motis Laodiceâ caſtris ventum Gabullam, quæ pretio doloque metum expugnationis redemit. Prima hæc erat maritimarum vrbium deinceps Caliphæ Saraceno ſeu Imperatori Ægyptio ſubiectarum. Impoſterum non cum Turcis, ſed cum Saracenis negotium futurum erat. Finem belli vnius fore principium alterius proſpiciebant animis, cùm de legatis in Ægyptum miſſis nihil audiretur, anxio admodum Godefredo tum communi, tum priuatâ Gerardi ſui causâ. Inde admota caſtra ad Archam arcem in editâ rupe poſitam, nec expugnabilem. In eius obſidione multæ res perdignæ memoriâ euenere, ſed omnium maximè memorabilis ſors Anſelmi Ribodimontij, cuius inſignis cum Engelramo Gerardoque amcitia ſuperiùs identidem celebrata eſt. Timebat is pro Gerardo non redeunte; at Engelramum ad Marram ſibi ereptum ita lugebat, vt ſatiari non poſſet commemorandâ egregij adoleſcentis vel virtute, vel triſti morte. In vrbis expugnatione eum inter primos tranſcendiſſe murum, ferrum flammamque intuliſſe. Victorem ſudore difluentem, fumoque æſtuantem ex labore & inediâ defeciſſe. Florem illum ætatis emarcuiſſe, ac denique glorioſâ quidem, ſed Comiti parenti amicisque omnibus, ac ſibi imprimis acerbiſſimâ morte ſublatum. Cæterum tanto hoc luctu Ribodimontius non retardabatur à belli operibus, ſed extimulabatur acriùs in hoſtes. Miranda, quæ ſubjiciam, tradit Agiles qui aderat, ſan-

ctè præfatus nihil ſe, niſi viſa & credita, relaturum. Ribodimontius ſuo more fortiter aduerſus obſeſſos rem die toto cùm geſſiſſet, ſub noctem ſe in tentorium receperat. Comparabat ſe ad quietem, cum ecce in vigilantis conſpectum ſe ſubitò dedit Engelramus. Quo viſo attonitus pariter & exhilaratus, quid hoc rei eſt? inquit: te, qui vitâ functus eras, viuentem aſpicio. Cui Engelramus blandè renidens, NON MORIVNTVR, inquit, QVI IN OPERA CHRISTO NAVANDA FINIVNT VITAM. Cumque Anſelmus fixus in amici obtutu mirabundus obſeruaſſet venuſtatem oris, quam modò mors deformarat, nunc non tantùm refloruiſſe, ſed redditam cum cumulo maieſtatis cuiuſdam ſplendoriſque humano maioris, ſtupens interrogauit, vndenam pulchritudo illa incredibilis obtigiſſet. Nihil mirum, reſpondit, Engelramus, me eâ eſſe oris elegantiâ, qui tam elegantem incolam domum. Tum ſublato vultu digitoque oſtendit Anſelmo palatium in cælo tantæ pulchritudinis ac magnificentiæ, vt nihil ille elegantius, magnificentiuſque videri poſſe cenſeret. Magis magiſque attonito ad fulgorem admirabilis ædificij Engelramus, multò, inquit, præclarior hac domus præparatur tibi; ſubiecitque has voces, IN CRASTINVM. Quæ locutus è conſpectu ſublimis abijt. Stupore defixus Ribodimontius, reputanſque ſecum, quid poſtremis illis verbis, IN CRASTINVM, ſignificaretur, collegit imminere ſibi vitæ finem, & in poſterum diem denunciari ab amico. Hæc voluentem ſomnus oppreſſit.

Manè ſimul ac euigilauit, vocat ad ſe ſacerdotem non vnum, noxas confeſſione expiat, miſericordiam & veniam ab eis, atque à Numine efflagitat, vitæ finem ſibi imminere teſtatus. Mirantibus illis, qui valentem cernerent, expoſuit quid vidiſſet vigil, quid audiſſet. Et verò eodem die, cum hæc enarraſſet pluribus, & audito hoſtili motu correptis armis in Saracenos Archâ latenter egreſſos inuaſiſſet, calente pugnâ, in eius caput lapis ex vrbe tormento incutitur. Proſtratus vir fortis iuxtà ac pius, cum ter, Deus adiuua me, dixiſſet, extinguitur, & ad paratum promiſſumque ab amico cæleſte palatium emigrat. Ortus apud Belgas antiquis Valentianis Comitibus, præfectus erat Caſtellanus Valentianarum, Auſtrouandiæ Comes, Buccinij & Ribodimontij ſeu Ribemontij Dynaſta. De poſtremo loco, quòd ibi Monaſterium fundaſſet, cognomentum acceperat, Aquicinctini quoque Cœnobij attributâ inſula conditor, vir heroïca virtute, & heroïcæ cum Engelramo amicitiæ exemplar. Deſiderio vtriuſque mœſtos proceres ſolabatur Godefredus, cùm dolori lenimentum attulit inopinatus, & penè iam deſperatus reditus cari capitis Gerardi Aueſnatis cum oratoribus ſocijs. Gerardus cognito gemino funere vix lacrymas tenens, equidem, inquit, vix ereptus ipſe mortis diſcrimini, non rebar me huc redire parentaturum ſanctis manibus cariſſimi amicorum paris. Ita vixeramus inter nos neceſſitudine coniuncti, vt ſi mihi fas eſſet vitam claudere meis auſpicijs, à tantis amicis

ne ipſâ quidem morte diuellerer. Godefredus ſimul eum, ſimul omnes erigens, ad fortem operam & ſpem immortalis vitæ hortatus eſt, propoſito cęleſti illo Engelrami verbo NON MORI EOS, QVI IN OPERA CHRISTO NAVANDA FINIVNT VITAM. Deinde Gerardus longæ moræ ſuæ cauſas, ſua pericula, & Saracenorum dolos ita referebat. *a* Poſtquam in Ægyptum perueniſſent, ab Amerinà Imperatore iuſſos detineri in carcere. Deprecante Ramulæ vrbis prǫfecto, viro, vt inter Saracenos, bono, tandem eductos in conſpectum Imperatoris, & mandata de fœdere executos. Cumque Amerinas audijſſet multa ex legatis ſuis de Chriſtianorum ad Antiochiam virtute, rogatum ab eo Gerardum ac ſocios, vt ſpecimen ibi quoque illius militaris roboris darent. Morem geſſiſſe non inuitos, & armis accinctos in circo coram Imperatore & circumfusâ multitudine ludicro certamine concurriſſe. Acclamatum heroës Chriſtianos pluſquam humani roboris eſſe, deoſque veriùs, quàm homines. Imperatorem ipſum laudibus ſummis proſecutum eſſe pugnatores, partim ex animo, partim arte, vt nempe eis conciliatâ virtutis famâ hoſtibus ſuis Turcis terrorem incuteret. Mox eum mouiſſe cum exercitu ad oppida, quæ de ipſo ceperant Turcæ. Locorum præfectos ad colloquium euocatos & ad deditionem ſollicitatos Gerardo cum ſocijs oratoribus in conſpectum dato, celebratâque Chriſtianorum tum heroïcâ virtute, tum armorum ſocietate cum Saracenis. Ita terrore Chriſtiani nominis non ignobiles

a Gilo, Viterb. Friſing.

ſolùm vrbes tentatas,ſed ipſam Hieroſolymam, quâ Turcæ nuper expulſis Saracenis potiti erant. Turcas, qui ad Nicæam Antiochiamque ſe impares Chriſtianis eſſent experti, vim iam coniunctam noſtrorum & Ægyptiorum ſuſtinere ſe poſſe diffiſos deditionem feciſſe vrbium, ipſamque Hieroſolymam Palæſtinæ caput in ius ditionemque Saraceni Imperatoris rediiſſe. His rebus confectis Chriſtianos oratores nihilo ſeciùs ab Amerinâ detentos. Principiò, vt probabilis cauſa retinendi foret, conditiones fœderis, quas antè vix auribus admiſerat, cœpiſſe non abnuere, & ſpem facere rem conuenturam. Gerardum & ſocios primis diebus non inuitos ibi commoratos eſſe, vt genus illud hominum & loca cognoſcerent, Chriſtianoſque mores fœderatis approbarent; & verò nonnullis,pręſertim Ramulæ pręfecto, approbaſſe. Verùm nouas ſemper moræ cauſas fruſtrationeſque nexuiſſe Amerinam auctore exercitus prætore Armeno, viro vafro, Chriſtianæ religionis deſertore, & ad quamlibet viciſſitudinem fortunæ mobili. Suaſiſſe hunc vt Imperator exitum Antiochenæ obſidionis expectaret, & pro eius euentu præſtaret vel reuocaret initam verbis cum noſtris armorum ſocietatem. Deinde Antiochiâ captâ, & Corbagatho victo, at victoribus bello & peſtilentiâ ad paucitatem redactis, Amerinam metu iam ſolutum incentore Armeno iuſſiſſe Gerardum & oratores reliquos obtruncari: ſed intercedente Ramulæ præfecto tandem remiſſos. Ita pacem & concordiam ſpecioſis nominibus

iactatam, ſed irritis. Bellum nouum, integrum, illibatumque aduerſus Saracenos reſtare ſuperiori Turcico laborioſius, pleniuſque periculi. Hæc Aueſnas. Qui licet negotio minimè ex animi ſententiâ geſto, at diſcrimine ſalutis pro Chriſtianâ re fortiter adito magnos honores cum ſocijs ab exercitu tulit. Cæterùm aduenere rurſus ab Amerinâ legati, per quos has conditiones pacis offerebat: ſe Hieroſolymis excepturum Chriſtianos, non quidem vnà omnes, ſed trecentos, quadringentóſve, & eos inermes, vt ſacra viſerent loca. Hæc Chriſtiani proceres vix audierant, cùm bellum conclamatum ex omni parte conſeſſus. Emoti caſtris legati Saraceni propè ſine reſponſo, & tantùm non violati concurſu multitudinis vociferantis eò indigniorem iniuriam inferri à Saraceno, quòd, qui prior petijſſet pacem, violaſſet ſpem pacis, fidem, & ius gentium in legatis. Retinere eum velle Hieroſolymam, quam Chriſtiani nominis terrore & Gerardo cum ſocijs oſtentato, non ſuis armis, obtinuerit. At Chriſtianos non commiſſuros, vt Saracenus Hieroſolymam perfidiæ præmium habeat. Pronunciatum iter, ſignaque raptim ferri cœpta. Moram, ſed breuem, iniecit aduentus legatorum Auguſti Alexij, ſpondentis ſe venturum auxilio, ſi tantiſper expectetur. At ſententia procerum fuit non expectandum, nec fidem ei habendam, qui adhuc fefellerit, quique bellum trahendo alere maluerit, quàm profligare protinus viribus iunctis. Aliunde promiſſum eſt auxilium præſentius & minimè defutu-

rum. Godefredo ſummam admirationem paremque lætitiam attulit Amazon Hiſpana, cùm annulum oſtendens affirmauit miſſum à Virgine Matre. Valentino illi ſacerdoti, cuius in conſpectum Diua ſe dederat Antiochiæ, dediſſe & ad Archam heri, ac iuſſiſſe vt annulum quem is digito ferebat, traderet Raymundo Comiti, pollicitamque quoties hic egeret opis, affuturam, ſi donum acceptum reuerenter pieque aſpiceret. Godefredus id Diuæ armorum præſidis & auxiliatricis cæleſte pignus religiosè exoſculatus & nouâ fiduciâ plenus iter ingreſſus eſt. Vt obſidio Hieroſolymæ maturaretur, omiſſa Archa, tum deinceps alia oppida Biblus, Tripolis, Beritus, Sidon, Ptolemaïs. *a* Ad Cæſaream nuncij genus dictu novum ſtimulos properantibus addidit. Fortè præteruolans columba placidè tectum repetebat, cùm repentè terreri cœpit, clangere pennis, & præcipitare fugam viſâ vmbrâ venientis accipitris. Qui cùm pauitantem oppreſſiſſet, illa capta corpus ſuccutere, alis ſtrepitare & euerberare tenentem. Accipiter velut miniſterio functus prædâ relictâ ſublimis auolat. Columba ex vnguibus lapſa in terram ab accurrentibus militibus, cùm ſaucia pennis alleuare ſe fruſtra conata eſſet, excipitur. Inuenta ſub caudâ epiſtola Arabicis ſcripta litteris: quibus nunciabatur Saracenis oppidis, adeſſe hoſtes Chriſtianos: ſtrenuè obſiſti oportere; Saracenum Imperatorem collectas immenſas copias mox ijs canibus obiecturum. Quâ contumeliâ & comminatione accenſi Chriſtianorum animi. A Godefredo præ-

a *Agil. Mart. Polon.*

miſſus Robertus Flander Ramulam, cuius vrbis præfectus Gerardo nuper apud Imperatorem Saracenum fauerat, deſertam ab omnibus oppidanis intrauit. Vbi ad montes Iudææ atque in conſpectum ſanctæ Vrbis ventum, Godefredus, & exemplo eius vniuerſus exercitus procumbens in genua veneratione Numinis impreſſit oſculum terræ. Quantum ibi piorum gemituum, quantum lacrymarum religio expreſſerit, dici non poteſt. a Hieroſolyma VII. Idus Iunij anno poſt milleſimum vndecenteſimo obſideri cœpta. Ciuitas inclyta, Iudææ atque Orientis caput ipſo loco eminet pluribus montium iugis impoſita. Super Moriâ monte Salomonium templum, ſuper Sione arx Dauidica ſita eſt. Deſtructam à Tito ciuitatem reſtaurauit quartus ab eo Cæſar Ælius Adrianus, ſed non in ijſdem omnino veſtigijs. Cùm priùs ad meridiem magis vergeret complexa mœnibus partem auſtralem Sionij montis, hac excluſâ ſic admota eſt ad ſeptemtriones, vt collis Golgotha priùs excluſus, nunc includatur muris. Haud multùm ab hodiernâ formâ diſcrepabat ciuitas, cum ab heroë Godefredo obſeſſa eſt. Figura ei ferè quadrata, & primariæ quatuor portæ eędem, quę nunc, erant. Proceres hoc ordine caſtra poſuere. Normannus & Flander ad latus vrbis ſeptemtrionem ſpectans, ad occiduum Bullionius & Toloſas, Tancredus omnium medius ad turrim angularem. At pòſt paulò tranſtulit caſtra Toloſas ad auſtrum, Bullionius ad angulum murorum qui inter portam ſeptemtrionalem & ortiuam interiacet.

a *Aquen. Tyr. &c.*

Ventum erat ad ſummam belli, arcem rerum, & expeditionis ſacræ metam tot votis à Bullionio petitam, ſed non niſi ingenti periculo ac labore obtinendam. Nicæa deditione in poteſtatem venerat, & Antiochia belli furto; Hieroſolyma virtute expugnanda reſtabat. Hic à Chriſtianis paucis pugnandum erat in barbaros non ſolùm multitudine feroces, ſed & muralibus machinis, ignibus, teliſque generis omnis, magicis etiam artibus armatos. Hic Maga princeps cum feminarum eiuſdem diſciplinæ comitatu pollicebatur obſeſſis alia omnia, quàm ad Antiochiam Calabre potuerat. Cenſebantur in vrbe præter plebem quadraginta millia armatorum, in caſtris non pluſquam XII. millia peditum, equiteſque mille trecenti. Eò tanta illa, quæ Europâ exierat, multitudo decreuerat, plurimis fame, peſtilentiâ, defectione, ferro conſumptis, nec paucis Antiochiæ cum Buamundo, & Edeſſæ cum Balduino relictis. Cæterùm protinus denunciari Godefredus iuſſit vrbis præfecto *a* Guinimundo, ni deditionem faceret, eadem ipſum manere moræ præmia, quorum exemplum in Turcarum calamitate conſpiceret. Verùm cùm Saracenus de præſidiariorum multitudine, & celſitate murorum gloriabundus minas riſiſſet, caſtra muminentis ſtrenuè inſtrui cœpta. Quinto die Chriſtianus Dux vrbem teſtudine adoritur cohortatus ſuos, ventum eſſe ad laborum metam: certamen illud, quod tam dudum animo proſpexerint, ob oculos eſſe poſitum: irrumpendum in mœnia; audaciam, & fiduciam

a *Order.*

in cælites pro ſcalis fore. Vel ſtrage corporum tranſcendendos eis muros, & ſuo cruore vrbem emendam, vbi omnes diuino ſanguine redempti ſint. Verùm oppugnatio acrior, quàm felicior fuit. Dux æſtimato vrbis poſitu, & propugnatorum numero, inuenire rationem inſtituit, vt, quod Chriſtianorum viribus deerat, arte ſuppleret. Intellexit ſine machinis vrbem expugnari non poſſe. Verùm ad paranda hæc præſidia ei materia deerat. Siccum vndique ſolum, non arbores, paſcuaue, non his rigandis riuos aut fontes eſſe affirmarant exploratores, & multiplicem animo ducis iniecerant curam. Multis de ſucceſſu deſperantibus venit ad Godefredum Chriſtiani nominis Syrus, aſſerens ſpecum eſſe in valle vltra montes ad Arabiam verſos, vbi multum veteris & accommodæ materiæ ſit reconditum. Lætus Dux Flandrum ac Normannum eò mittit cum expeditâ equitum peditumque manu. Reportatum affatim cedrinorum cupreſſinorumque lignorum, & alacriter cœptæ fabricari machinæ. Cumulum alacritati addidit Mathildis, cuius altera claſſis Genuenſis in tempore appulſa Ioppen portum nobilem. *a* Genuenſibus præerat Guilielmus Ebriacus, qui impar Saracenæ claſſi propinquæ, corruptis igni nauibus ſuis in caſtra ad Godefredum cum annonâ, milite, & omnibus ſocijs naualibus venit. Hi periti ſtruendarum omnis generis machinarum magno vſui fuere. Ab Ebriaco quoque allati Godefredo læti nuncij de Mathilde; alteram ab ea Heroïde maiorem claſſem adornari, nihilque

a *Folieta.*

omitti, quod in rem vel Occidentis ſit, vel Orientis. Hebdomades quatuor datæ machinationi, cui præfectus à Duce Gaſto Foixius Benearnium Princeps. Adulto Iunio cœpit exercitus laborare ſiti ad Hieroſolymam, non minùs, quàm priùs ad Antiochiam fame. *a* Vnica erat in propinquo, eaque periculoſa aquatio. Fons Siloë ſubterraneo meatu ex vrbe labens in montis Sionis latus excipitur labro lapideo. Nec limpida, nec ſapida eſt aqua, dicebaturque non niſi die hebdomadis ſexto profluere, cæteris diebus velut paludoſa ſtagnare. Eò aquatores itabant per media hoſtium tela, parte illâ mœnium inobſeſsâ. Turbidæ & lutulentæ hauſtus vnicus nummis duobus conſtabat, & multo ſanguine. Non pauci eâ epotâ cum fæcibus extincti. Siti famem addidit ſenſim annona deficiens. Pabulatum alijs aliò miſſis, captus cum filio nobilis Belga Iſaacus in Ægyptum abductus eſt. Id quàm doluit Godefredo, tam non iniucundum fuit conſanguinei Comitis Burgij facinus. Redibat Chriſtianorum agmen partâ non mediocri prædâ, cùm inſidijs Saracenorum, qui ab Aſcalonis præfecto ſubmiſſi erant, opprimuntur. Barbaris victoriâ, receptâque prædâ ferocibus occurrit cum ſuo agmine Burgius. Pugnatum acriter cum Saracenorum ductore perquàm ſtrenuo. Belga pectore aduerſo telum excepit, & licet ſanguine madens, nihilo ſegniùs inſtitit. Profligati hoſtes, ſocij cum prædâ recepti. Præfectus Saracenus vinctus in victoris tabernaculum ducitur. Ibi in ſellâ oſtro veſtitâ domini loco

a *Aquen.*

ſuperbè conſedit. Magni ſpiritus barbarum cùm Burgius ad Chriſtiana ſacra capeſſenda ſollicitaſſet fruſtrà, duci iuſſit in conſpectum obſeſſorum,& ad terrorem obtruncari. *a* Liberiore ingenio fuit Saracenus alter egregius ille Ramulæ præfectus, qui ſiue Imperatoris metu poſtquàm oppidum ſuum cum præſidio deſeruerat, ſiue Chriſtianorum ſtudio caſtris horum ſe adiunxit, felix transfuga, Godefredo Duci Gerardoque percarus, nec conſilio manuve futurus inutilis. Interim machinis ſtructis repetenda erat oppugnatio vrbis à milite ſiti fameque conflictato. Tridui ieiunium & comprecatio indicta, vt ea res piæ militiæ ſalutaris foret. Supplicatio deinde circum ſanctæ Vrbis pomerium nudis pedibus inſtituitur. Contrà in muris princeps veneficarum cum magico comitatu obambulare, ſaltatione ludicrâ obſtrepere, cantuque & carminibus Chriſtianum agmen irridere pariter & deuouere, dum id alij iaculis petunt. At Chriſtiana multitudo iter inſtitutum conſtanti pietate tenuit. Cœptum à templo Sionio Virginis Matris, quam ſecundùm Deum propitiare cura Godefredi præcipua erat,& ibidem finitum eſt. Dux, cum tenebræ ſe cælo intendiſſent, ſilentio caſtra transfert ad angulum murorum Ioſaphatææ valli imminentem. Eôdem mirabilis artificij moliſque turrim particulatim ſolutam comportari iubet, & circum eam, vt obſeſſorum oculos lateret, tabernacula erigi. Quæ turris dum ſuis coagmentatur compagibus, tormenta tria ex ordine ſtatuta mœnium crepidinem de-

a *Order. Aquen.*

tergunt, oppidanoſque ab inſpectione machinationis auertunt. Murus eâ parte duplex erat. Tormentis in exteriorem tonantibus, ad ruinam ampliandam producitur aries ſub vineâ, quo perruptus murus exterior aditum dedit turri propiùs ad interiorem admouendæ. Per noctem perfectum erigitur opus, cedro & fabricatum & dignum. Manè ſubſtructio immanis repentè excitata apparuit, vrbemque deſpexit. Multiplici tabulato diuiſa firmataque erat, vnde tela ingeri poſſent. Latera ei quatuor aduerſus iacula igneſque memorabili arte munita vimineis cratibus, corijſque recentibus. Obiectum vrbi latus duplici texturâ tegebatur, quarum exterior mobilis demitti poſſet, & muro iniecta eſſe pro ponte. Ternæ inerant ſtationes: in imâ locati, qui molem rotis mobilem protruderent, vrbique admouerent: in alijs pugnatores lectiſſimi, quotquot locus capiebat, certi virtute vincere, vel pro Chriſto animas dare. Medium tabulatum ſubierant fratres duo Belgæ in Neruijs nati Engelbertus & Ludolphus, ſeu Letholdus, qui leonem occiderat. In ſummâ turri eminebat par aliud fratrum heroës Godefredus, & perpetuus magnorum operum adiutor Euſtachius. Cùm diluculo turris & in turri Dux apparuit, mirantes nouum bellandi genus barbari, qui, vt antè, teſtitudines atque arietes expectabant, ominati ſunt nihil arduum, aut inexpugnabile fore bellatori ſic ad oppugnationem venienti. Nec priùs viderunt machinam armis, viriſque fœtam, quàm ſenſerunt fulminantem. Faſtigium

eius excedebat muros haſtæ altitudine. vnde oppidani in plateis foroque medio ſagittis figebantur, obterebanturque ſaxis. A ſtupore in furorem acti cateruatim ad mœnia turri vicina conuolant, Ducem vi telorum impetunt, nec ſegniùs ab eo impetuntur. Dum ita res eâ parte geritur, alijs quoque impugnatur ciuitas. Erexerant & turres alias duas alij proceres, vnam Toloſas in Sione monte, alteram cæteri ad angularem Tancredi murum. Verùm & ab hoſtibus erectæ ſunt ſuæ iaculatoriæ turres, noſtris multò plures. Nouem Toloſati obiectæ, quinque Duci. Nox interuênit. Inſomnem egerunt Chriſtiani, veriti, ne in ſuas machinas injiceretur ignis. Curas auxerant non ſolùm oppidanorum vires, ſed maximè Imperator Saracenus, quem immenſis cum copijs appropinquare interceptis nuncijs cognorant. Illuxit dies Hebdomadis ſextus Chriſto paſſo ſacer, Duciſque & Chriſtianorum omnium labore memorabilis. Primo diluculo inſtaurata oppugnatio, & extracta ad meridiem magnis animis, ſed nullo ſucceſſu. Pugnabant in ſingulos Chriſtianos terni barbari telis, machiniſque omnis generis, & cacodæmonum ope. Magicis carminibus incantare tormenta præſtigiatrices complures nitebantur. Inter hæc Dux, Euſtachiuſque frater in ſuâ turri ſpectaculo digna prorſus edebant. Godefredus, vt erat laceitoſo corpore, ad ſummam ſagittandi ſcientiam peruenerat, ferturque aliquando tres aues præteruolantes ita deſtinato ictu excepiſſe, vt vna ſagittâ confixerit. Multiplex

eo die ſpecimen præbuit dexteritatis, roboris, & vigilantiæ, tum pugnaciſſimos quoſque hoſtium ſternendo telis, tum ſuæ turri conſulendo. Mira eius in hac ſtruendâ induſtria, nec minor in ſeruandâ enituit. Cratibus lentis ac cedentibus veſtita horrendos lapidum iactus excipiebat ferè ſine noxâ. Sicubi revulſæ erant, raparabantur ſtrenuè. Saxis diffringi cùm non poſſent, ollis flammiuomis appetuntur. Verùm & hanc hoſtium artem Dux arte præuerterat. Recentibus madidiſque corijs obductæ crates non concipiebant flammam, prunæque & torres iniecti mox humi defluebant innoxiè. Dux in tabulato ſummo telis omnibus expoſitus ſtabat ingenti animo, periculo maiore. *a* Erat in turris apice conſpicua crux effigiem Seruatoris auro radiantem objicens Saracenorum oculis. Barbari perpetuis tormentorum iactibus eò tendunt, vt & hanc decutiant, & defenſorem Godefredum conficiant. Manſit crux intacta; infrà deſtinatus in Ducem lapis lateri eius adſtantem militem cerebro eliſo proſtrauit. Godefredus ſeruatus perſtitit in eodem loco & diſcrimine impauidus. Erat machinarum eius vna, quæ mittendis magni ponderis ſaxis plurimùm nocebat barbaris. Aduocata in aduerſum murum maga princeps mox adeſt cum ſociâ tribuſque pediſſequis, & carmina, quibus machinam faſcinet, cùm pompâ, & magnâ ſuorum expectatione incinit. Verùm eâdem machinâ excuſſus eſt lapis molaris tam directò vt magas ambas, treſque puellas in auras extulerit, & ex muro deturbarit exanimes. Acclama-

a *Aquen. Order.*

uere circùm Chriſtiani maiore, quàm pro re, lætitiâ. Sed inter aſſiduos gemitus, vnum illud quantumcumque ex inſperato gaudium affulſerat. Dum ſtrenuè res in turri Ducis geritur, alibi plerique deſpondebant animos. Miles pugnâ æſtuque meridiano fatigatus, ardentibuſque ſiti faucibus videbat acriter reſiſti: ſupernè ab hoſtibus grauem & ipſo pondere libratiorem ictum eſſe; à ſe vana pleraque, vtpotè ſupino iactu, tela mitti in muros: in quos vel ſi tandem euadant, paucis non ſolùm cum barbarorum multitudine, ſed etiam cum veneficis orcoque luctandum. Hinc deſperabundi ab oppugnatione abſiſtere, de ſcalis deſilire, cum eiulatu complodere manus, & quaſi deſerente Deo ingemiſcere, proiectiſque armis dilabi. Satis conſtat fortiſſimos quoque proceres Robertum Flandrum, & Normannum non ſine fletu ſuam infelicitatem conqueſtos, quos Chriſtus ingreſſu vrbis, & conſpectu ſepulchri ſui, & ſanctæ crucis arceret. Hæc vbi intellexit Dux, graui curâ correptus confirmare cœpit animos vocibus, nutibus, exemplo. Cumque hæc apud remotiores non valerent, cælum ipſum ſpectaculo iuuit. In monte Oliueti miles apparuit, qui clypeum inſolitâ luce refulgentem quatiens ſignum dare videbatur Chriſtianis, vt oppugnationi inſtarent. Quo viſo Dux proceres, militeſque iactatis manibus erigere, Cæleſtem bellatorem oſtentare, & opem ſuperûm non dubiam nutibus promittere. Rediijt vigor animis, repetitaque pugna nouo ardore, tanquam primùm incœpta. Feminæ

quoque

quoque virilia occupare munia, Eluira Amazone hortante inter iacula volantia victo pauore ſe inferre, potum pugnantibus miniſtrare, tela ſuggerere, atque torquere. Tanta omnium alacritas exinde fuit, vt ſecuri de victoria viderentur. Dux vſus alacritate animorum, & fauore cæleſti turrim ſuam, vt aduerſus tormentorum hoſtilium iactus tutior eſſet, & ad irruptionem paratior, propiùs admoueri muris iuſſit. Mox complanatus, qui obſtabat, tumulus, & connitente multitudine moles protruſa cum armatis. Ita hoſtiles machinæ neque nocere propter propinquitatem, neque remoueri propter obſtantes domos poterant, iactique in Ducem lapides innoxij tranſuolabant. Intelligentes barbari in illa turri verti ſummam belli, omnibus artibus Ducem à fronte, à lateribus impugnare inſtituunt. Eam vt ſubruant, duplicem moliuntur peſtem. Nouum incendiariæ machinæ, nouum arietis genus producitur. Immanis trabs erat, quam totam ferreis clauis vnciſque aſperam ſtupis, oleo, piceque illitis inſtruxerant. Trabem ingenti catena vinctam, ne à noſtris reuelli poſſet, emoliuntur è mœnibus, & iniecto ignis genere, quod aquâ nequiret extingui, deuolvunt ad imam turrim, vt fulcra eius flamma corripiat, defenſoreſque ſternat. At Ducis vigilantiam latebat nihil. Comperto ex indigenis peſtem illam ſolo aceto poſſe extingui, magna eius copia vtribus in turrim comportata ita in trabem incendiariam effuſa eſt, vt mox flamma ſuppreſſa ſit.

Catena totis viribus vltro citroque tracta, tan-

dem Saracenis eripitur.*a* Iam aries hoſtilis eiuſmodi fuit. Malum in muro erexerant, trabemque tranſuerſam libramentis appenderant, quâ incutiendâ machinam diffringerent. At Dux falce armatus eum arietem, retinaculo inciſo, capite traxit in turrim. Et fortuna conſilium adiuuit. Ita enim parte alterâ trabs muro incubuerat, vt in eum mobilis frons turris ſuperjici poſſet, pontemque firmare. Sed priuſquam id tentaretur, nudanda defenſoribus mœnia erant, qui vndique inſtabant acerrimè. Stabat Dux inter duo vrbis propugnacula, ex quibus Saraceni, Arabes, Æthiopes pręter vim ſagittarum faces tædaſque frequenti iactu mittebant. Duci ac ſocijs inter fumum flammamque non tantum atrati vultus ſudore manabant, ſed veſtes corporaque vſtulabantur, & ipſa, quibus tegebantur, incanduerant arma. Iamque minor moles in ſuſtinendis telis, quàm in ſupprimendis ignibus erat. Vtraque vt arceret Dux, vertit in hoſtes incendium. Propugnaculum vicinum ſloreis ſacciſque ſtipula fartis obtexerant, vt eorum mollitie iactus Ducis fruſtrarentur. Dux raptas ex igne ardentes ſagittas alias ſuper alias arcu baleari in arentia illa tegumenta contorquet. Et fortè erat vis magna venti verſa in hoſtes. Concepto celeriter igne ingens fumi nubes in ora barbarorum infertur, nec ſtare loco ſinit tetro vapore & caligine inuolutos. Ardentis paleæ crepitu, deflagrante propugnaculo, flammâque in muros effuſâ conſternati barbari. Tunc Dux nihil moratus pontem trabi iubet inſterni, & facinus audet

a *Malmesb.*

dignum orbis aſpectu. Licet in eum vis ingens miſſilium telorum conjiceretur, clypeo tectus proceſſit, & omnium primus (teſte pontifice Tyrio) cum Euſtachio fratre tranſcendit in murum. Quo hortante ſubſecuti Neruij fratres & deinceps Gerardus, alijque. Vexillum Ducis icone Virginis inſigne ſtatutum in mœnibus, quó viſo, ſublata à Chriſtianis omnibus acclamatio. Eminens ibi Godefredus robur heroïcum, ſi quando aliàs, explicuit. Nec impetum diu ſuſtinuere muri cuſtodes: ferro, igni, terrore vertuntur in fugam. Chriſtiana multitudo circum vrbem acclamans Duci, partim per eius turrim, partim per admotas ſcalas ſecuta eſt. Inter primos Robertus vterque, Tancredus, Burgius, Anachoreta, Acutomontanus vrbi inferunt arma. Mox iuſſu Ducis patefactis portis reliqui conferti admittuntur. Barbari pauore amentes ruunt per vias, per inuia diſpalati. Omnia obtinebat cædes, nec in vllam partem tutum perfugium erat. Multi in templum Salomonium, nec pauci in arcem Dauidicam confluxerant. Sed Tancredus & Gaſto prægreſſos in templum ſecuti. Ibi redintegratum & ab deſperatione accenſum prælium, decemque millia hoſtium cæſa. Locum ita ſanguis inundaſſe fertur, vt pertineret genuum tenus. Interea Raymundo, cui barbari adhuc reſtiterant, clamor virorum permiſtus mulierum ploratibus ſignificauit vrbem eſſe captam. Igitur renouato impetu pulſos ex propugnaculis hoſtes ſecutus in vrbem, arce Dauidicâ potitur. Multi ex tectis pręcipites dati: per

plateas & domos vbique cadauera: nuſquam niſi per truncatos artus & ſanguinem via. Poſtquam à barbarorum cæde ceſſatum, nullo, qui cæderetur, relicto, verſi ad prædam victores. Chriſtiani incolæ proceribus, ac militi, vt quiſque obuius erat, gratulantur. Petro imprimis Anachoretæ, quem Hieroſolymis viatorem ante annos decem viderant, agnito, belli felicis præconi circumfuſi grates agunt. Inter proceres oculis requirebatur expeditionis Heroïcæ princeps, auctorque præcipuus victoriæ Dux Godefredus. Nuſquam apparebat, nec quò abijſſet, aut ſe abdidiſſet, ſciebatur. Inueſtigabat imprimis Tancredus fortiſſimus iuuenis, vt ei duci ſuo ingentem offerret auri maſſam è templi Salomonij columnis dereptam, cui portandæ cameli plures vix pares erant. Forte quidam è mœnibus deſpicientes in pomerium, ſpectaculum ibi novum, atque inexpectatum aduertunt. Hominem vident inermem ſupplicis habitu, laneâ in veſte, demiſſo capite humilem, nudis pedibus obambulantem. Is erat inclytus Godeſredus, qui, dum alij cædibus, alij cupiditati, atque auaritiæ indulgent, poſtquam victoriam in tuto vidit, cæde omni prædaque abſtinuerat; tum præſidio ad portas, & opportuna mœnium locato, exierat, ſacra loca Chriſti veſtigijs & doloribus ſacrata religioſè obiturus, ſequentibus tantùm domeſticorum tribus. Egreſſus per portam, quę reſpicit ad Olineti montem, circuitâ ciuitate regreſſus in vrbem ſepulcrum Dominicum petijt, & pijs lacrymis madens prouolutus in genua gratijs Deo, Deique Matri Virgini refe-

rendis incubuit. Tetigit vniuerſos eximij viri exemplum, quod ſecuti proceres, milites, incolæ, conferto agmine ſupplicabundi eôdem feruntur. Gratiarum actione perfuncti, communibus votis implorant Numinis auxilium ad novum, quod reſtabat, grauius prioribus bellum aduerſus Imperatorem Saracenum. Quo inſtante, & ad Aſcalonem immenſas copias congregante præcipua Chriſtianorum cura fuit, vt ipſorum aliquis pietate, & fortitudine ſpectatus eligeretur Hieroſolymorum rex, qui in hoſtem duceret. Omnes in Godefredum oculos, animumque conuerterant. Cæterùm vt non ex ſtudio, ſed iudicio, & æquitate electio fieret, arbitri dati, qui momentis ſuis procerum merita perpenderent. Haudquaquam paruæ rei iudicium eos arbitros tenebat, qui vir optimus, regnoque digniſſimus eſſet. Certè victoriam eius rei ſibi quiſque malle debuit, quàm ipſum Orientis imperium. Procerum, de quibus deliberatio erat, vocati ab arbitris familiares, & iureiurando adacti ſe de moribus Dominorum vera reſponſuros. Vt paucæ virtutes ſine miſtura vitiorum enitent, alia in alijs procerum notata. De duce Godefredo interrogati familiares ac domeſtici inexpectatum illud reſponderunt, in moribus eius Principis nihil videri magis abſonum, quàm quòd templum aliquod ſemel ingreſſus inde excedere etiam perfectâ re diuinâ non ſuſtineret, ſed precatione longâ perfunctus circumeundis luſtrandiſque ſacris iconibus inſiſteret, ſingulas noſcitans veneranſque, & de ſingulis doceri à templorum

cuſtodibus vellet. Ità eum comitantibus tædium parere, & parata prandio obſonia prolixâ religione corrumpere. Ad hæc arbitri vix ſibi à riſu temperantes beatum predicarunt virum eum, cui vnicum illud vitio verteretur, quod alij ſibi virtuti laudique ducere meritò poſſent. Quare Godefredum regio insigni digniſſimum cenſuere. Vniuerſis idem ſentientibus ipſe ſolus obſtare, grates agere ob tantum de ſe iudicium: eſſe alios paratiores tantæ ferendæ maieſtati. Hîc admirati omnes excellentem viri modeſtiam, prædicabant ſanctam incorruptamque dominandi cupiditate mentis æquitatem. At Petrus Anachoreta præ admiratione ceſſantes exſtimulabat, contendens apud proceres ac populum, quidquid Dux contrà niteretur, non alium eſſe vel regno digniorem, vel regem eligendum. Heroëm non armis modò, & belli ſcientiâ, ſed indole, religione, æquitate & omni genere virtutum excellere. Illum ſacræ expeditionis principem, illum Hieroſolymæ victorem, & Hieroſolymitani regni conditorem, debere quoque moderatorem eſſe. Si Buamundo propter felix belli furtum nocturnum conceſſa erat Antiochia, Godefredo, qui medio die in omnium oculis primus in Hieroſolymæ muros tranſcendiſſet heroïcâ regiâque virtute, Hieroſolymæ regnum deberi. Addebat vaticinantis in modum, id præſidij in Godefredo, eiuſque familiâ præ cæteris eſſe, quòd ex eâ ſucceſſores ſacri regni deeſſe non poſſent, in qua tres eſſent fratres regno digni. Anachoretæ

orationem ſecuta ex omni multitudine conſentiens vox Godefredo Regi ratum nomen, & majeſtatem effecit. Itaque Bullionius octauo, poſtquam ſanctam vrbem expugnarat, die Rex Hieroſolymorum electus in ſepulcri Dominici templum cum pompa inter concentus muſicos, necnon incredibiles omnium acclamationes, & plauſus inaugurandus ducitur. Corona aurea gemmis inſignis præferebatur, regaliſque purpura. In eo templo Godefredum Deo ſupplicem vniuerſi regem, parentemque vrbis Hieroſolymæ ſaluere iubent. Inde oblata capiti regiæ fortunæ inſignia. Hîc Bullionius nouo ſtupore omnes impleuit. Accepit quidem onus regni adminiſtrandi, at negauit ſe in ea vrbe coronam auream, in quâ ſpineam Deus tuliſſet, geſtaturum; ſe eâ contentum, quâ Chriſtus fuiſſet redimitus. Neque verò paſſurum appellari ſe Regem; Cuſtodem diuini ſepulcri futurum. Ab omnibus iudicatus vel ideo digniſſimus ſupremo decore, quòd miraculo virtutis in ipſo ſolio ſeſe in ordinem cogeret. Vt tamen mos eius religioſæ modeſtiæ gereretur omiſſo tunc regio inſigni ac nomine credita ei regia poteſtas. Coronam auream traditam quos vellet in vſus, accepit, ſeruandamque curauit arcano conſilio, alterius caro capiti impoſiturus, bello in Saracenum confecto. Exinde Godefredum, licet conſtaret eſſe inter Chriſtianos dignitate regiâ, Ducem tamen, vt priùs, quidam appellabant præſertim coràm, at alij plurimi Regem; quibus acceſſit Tudebodus pri-

mus belli Heroïci ſcriptor; item pontifex Tyrius, qui non Regem modò, ſed Regum optimum, lumenque & formam omnium cęterorum habendum ſcribit. Quò celſiore loco poſita erat egregij viri virtus, eò ſplendidiùs enitere cœpit. Protinus à pietatis operibus auſpicatus regnum nullâ de re priùs quàm de religionibus decreuit. In ſepulcri Dominici templo Canonicos inſtituit, quibus ampla beneficia, domoſque attribuit. Item religioſos viros, quos ſecum ex Europa adduxerat, toto itinere horis diurnis ac nocturnis functos Eccleſiaſticis officijs, in valle Ioſaphatæâ locauit ampliſſimo agro cenſuque donatos. Inde ad bellum Ægyptiacum animo toto conuertitur. Conuocatis proceribus cęleſtique præſidio communiter implorato, Anachoretâ, cui ſummam rerum omnium fidem habebat, Hieroſolymis relicto Prorege, educit exercitum inter concentus muſicos cruce munitum. Regem comitabatur immixtus Chriſtianis proceribus ille Saracenus nuper Ramulæ Præfectus, nunc fœderatus. Qui agminis alacritatem vehementer miratus interrogauit primùm Gerardum, deinde etiam Regem, quî fieret, vt tam pauci contra innumeros pugnaturi eâ lætitiâ ad vltimam capitis dimicationem, tanquam ad epulum, tenderent. Reſpondit Godefredus lætitiæ cauſam eſſe, quòd Chriſtiani, qui ſub crucis ſigno militent Chriſti auſpiciis, ſciant eos NON MORI, QVI IN OPERA CHRISTO NAVANDA FINIANT VITAM, ſed ad immortalem, beatamque traduci. Quo reſponſo erectus

Saracenus animo iam minimè Saraceno petijt & ipſe crucis ſigno muniri ad pugnam. Cæterum fama immenſi aduerſus Godefredum comparati à Saracenis exercitus toto Oriente intentas mentes tenebat prælij decretorij expectatione ſuſpenſas. Ad vrbem Aſcalonem, quæ abeſt ab Hieroſolymis ſeſquidiei itinere, caſtra poſuerat Imperator Amerinas, ad quem copiæ non ſolùm ex ditionis Saracenæ populis, ſed etiam ex ſocijs ac fœderatis confluxerant. Ægyptijs acceſſerant Æthiopes, Arabes, atque etiam Turcæ. Non aliàs Turcarum nomen Saraceno imperio coniunctius fuit. Licet priùs diſſiderent, nunc tamen, vbi commune & periculum & in Chriſtianos odium aduenit, mutua inuidia & ſuperbia pòſt fuere. Aderat ipſe Amerinas Imperator, pro quo ducebat ordines ille Armenus, Elephalius nomine, Chriſtianis parentibus ortus, ſed opum & gloriæ illecebrâ deſertor religionis paternæ, odio in Bullionium Pancratio populari coniurationis particeps, at nocendi facultate tantò ſuperior. Imperator Hieroſolymam nuper à ſe de Turcis oſtentato Gerardo receptam, nunc à Godefredo expugnatam ferebat indigniſſimè. Non latebat eum paucitas Chriſtianorum, quibus ſub ſignis non niſi peditum nouem millia eſſent, equites mille ducenti. At gloriabatur ſibi contrà iam adeſſe ad Aſcalonem trecenta peditum, equitum centum millia: quibus quotidie fiebat auxiliorum acceſſio, eaque tanta, vt hoc bello maiora in vnum non conuenerint. Inde conceperat victoriæ non ſpem;

ſed fiduciam. Illud barbaro iram accendit, quòd nunciatum eſt Chriſtianas copias aduentantes occurriſſe ingentibus armentis Saraceni exercitus, ijſque potitas, cuſtodibus ignauâ fugâ dilapſis, licet armis inſtructiores, numeroque plures eſſent Chriſtianis. Hoſque iam admotos quatuor circiter milliarium interuallo conſidere auſos. Poſtridie ferro pœnas ſumere ſtatuit, noctem queſtus interuenire vindictę. Primo diluculo acies vtrimque ordinatæ. Vbi cedentibus tenebris venere in conſpectum, barbari eminus in agmen Chriſtianorum proſpicientes pro paucitate exiſtimatâ multitudinem immenſam aduertunt, & innumerabilium equorum hinnitum audiunt. Hinc ſtupere omnes primò, & attoniti inter ſe aſpicere: deinde percontari, vnde tantæ ſubitò copiæ extitiſſent ſuis numero vel pares, vel ſuperiores, & maximam partem equeſtres; quod hinnitus fremituſque iumentorum indicabat. Oculis atque auribus oberrans tam ingens belli moles antè perculit barbarorum animos, quàm collatus pes aut manus cædem faceret. Ipſe Imperator, legatuſque Armenus ſtupebant, nec quibus argumentis confirmarent territi militis animum, inuenire poterant. Hinc plurimi fugam circumſpicere, mox arripere, ordineſque turbare. Interim accedente Godefredo apparuit vera Chriſtianorum paucitas: mox ludibrium oculorum atque aurium patuit, cuius hæc cauſa memorabilis erat. Ad Chriſtiani agminis conſpectum cuſtodibus pecorum (vt modò dicebamus) fugâ dilapſis, Ramulanus præfe-

ctus Godefredum monuerat hanc eſſe fraudem hoſtilem, eò ſpectantem, vt Chriſtiani oblatâ prædâ illecti, ſolutiſque ordinibus diſperti capta pecora præ ſe agentes præberent ſe opportunos cladi. Quo audito militibus à Godefredo iuſſis abſtinere prædâ, hæc tamen ſecuta erat exercitum. *a* Armenta boum & camelorum, equorumque domiti greges eo numero, qui iniri non poſſet, vltro ac nemine agente agmini ſeſe adiunxerant,& circumfuſi, vt poſcebat itineris ratio, nunc cum eo interſiſtebant, nunc æquis paſſibus procedebant ſublatâ ingenti vi ſimul pulueris, ſimul vocum. Arma ſignaque in prima acie apparebant : pòſt altior denſiorque puluis à lateribus & à tergo ſpeciem alarum & ſubſidiorum dabat. Ita multitudo pecorum eminus per turbidam lucem à barbaris obſeruata, immenſus exercitus equeſtris credita eſt. Nec terrorem modò, ſed & fugam plurimis intulit, haud dubio fauore cœlitum. At errore comperto Amerinas, Elephalius, & qui in acie perſtiterant noſtris numero longè ſuperiores fremebant. Armenus transfuga cohortari milites ad pugnam, laudare quòd impauidi ſtetiſſent in ordine, Chriſtianos non niſi terriculamentis valere, reipſa paucos, &, ſi fortiter petantur, imbecilles. Saracenos Orientis dudum victores hortabatur ad inſignem victorijs addendum cumulum. Inutilem timidorum militum turbam fugiſſe. Quod roboris erat, manſiſſe. Ita iam ab ignauis fortes, quod ducis nequijſſet induſtriâ, beneficio fortunæ eſſe ſecretos. Nunc timorem, ſiquis fuerat in

a *Aquen. &c.*

ipſis, in hoſtes traducerent. Intenderent iras vltrices in illum maximè tyrannum Orientis Godefredum, à quo Solimanus regno pulſus, Accianus interfectus, truncatus Magnus Arabs, erepta Hieroſolyma Saraceno. Fatalem illam peſtem in exitium Aſiæ natam, & in Africæ clauſtra iam graſſantem opprimerent. His magno impetu dictis àciem ordinat. In dextro cornu diſpoſiti qui circumueherentur Chriſtianorum terga: in læuo Æthiopes robur exercitus, & præcipuus hoſtium terror. Hi locati ante ſigna, & immoti poſito genu manere iuſſi, vltroque iurati nuſquam inde, niſi in hoſtem, veſtigium moturos eſſe, alioquin caput Mahometi ſacratum futuros. Gens viſu tetra, & animis indomita. a Obarmati pectus clypeis, arcu gladioque inſtructi gerebant & buccinas, ac flagella ferrea, quibus ſcuta & loricas graui ictu penetrarent, & frontes equorum pertunderent. His flagellis quatiendis pariter ac buccinis inflandis ſonitum terribilem longè per agmina dabant. Cantaros aquâ plenos de collo ſuſpenderant aduerſus ſitim, quam ſibi ad terram hærentibus non neſciebant ab excito puluere orituram. Quo loco iuſſi hæſit coniurata & immobilis acies. Rex Godefredus cernebat hac parte rem haud cum imparatis fore, ſuorumque non paucos inſolito pugnæ genere motos. Ergo pro tempore pauca, ſed valida diſſeruit cùm de vniuerſâ barbarorum multitudine, tum de Æthiopum apparatu, vanâ magis ſpecie, quàm efficaci ad vincendum. Non enim lagenas aut

a *Aquen.*

buccinas vulnera facere; per pictos clypeos tranſire Chriſtianorum tela, & longiùs ferire, quàm ſcuticas. Manſuros ſe fuiſſe in Europâ, ſi potuiſſent inani ſpecie ſonoque debellari. Nec oculis, ſed ratione penſandam hoſtium multitudinem. Eam iàm fugâ docuiſſe, quàm fugari facilè poſſit. Cernerent aciem nondum excuſſo pauore fluctuantem, & modò pecorum ludibrio terrefactam viri armis impellerent. Æthiopes, quidquid minitentur, terræ hærere iam penè proſtratos. Semet in eos pugnaturum; docturumque non perinde animis, vt corporibus, eſſe immotos. Scientiſſimus belli Rex ordinandis copijs ancipitia poſuerat ſigna. In nouem acies tribuerat exercitum. Tres in fronte locauerat, tres in medio, totidem à tergo, vt quâcumque parte ingruerent hoſtes, inuenirent triplicem obiectam aciem. Ipſe in primâ læuum cornu è regione Aſcalonis tuebatur Æthiopes aggreſſurus; dextrum Raymundus mare verſus; inter eos medij deinceps ſuam aciem ſinguli regebant Robertus Normannus, Flander, Euſtachius, Tancredus, alijque. Inſtante pugnâ Rex Dei Matriſque Virginis auxilio, quod toties expertus erat, implorato alacer inſilit in equum, & in hoſtem ducit acclamantibus circum vndique militibus, ſint vel plures hoſtes, dum talem ducem habeamus. Siniſtrum Saracenorum cornu impulſum primo clamore atque impetu retulit pedem. Res ibi minimè certamini ſimilis, propius ſpeciem fugæ fuit. Quæ poſtquam inclinauit ad naues, alij arma fœdè iacientes

fœdiùs in aquam ruebant; alij, dum cunctantur in littore inter fugæ pugnæque conſilium, oppreſſi à Raymundo, & ad tria millia cæſi. At in dextro ſuo cornu hærebat immota Æthiopum acies. *a* In hos inuectus Rex Godefredus cum Burgio, Montacuto, Gerardo. Non hîc fuga, nec pugna, ſed ſtrages fuit, quoad conterriti Æthiopum ſuperſtites diſpalati, intentatarum pœnarum immemores, nec iam quidquam præter Godefredum timentes. Interim alibi victores ad ſpolia verſi per tentoria vagantur intempeſtiuâ cupidine. Quod conſpicatus Armenus ductor collectâ magnâ ſuorum manu reuerſus incautis repentè ingruit. Victoriam Chriſtianis vel cruentam reddiderat, vel eripuerat, niſi Rex animaduertiſſet creatum auaritiâ periculum. Aduolans obiurgatos à prædâ reducit ad pugnam, hoſteſque denuo profligat. Parte in pomeria dilapsâ, partem ad Aſcalonis portam vſque perſequitur. Ingredi turmatim conantes tantâ vi compreſſi, vt ad duo millia vel ſuffocati, vel obtriti ſint. Eo prælio plus centum millia periere. Præda tanta parta, quanta non alibi antea. Æthiopes ſeu cædendi ſatietate relicti, ſeu fugâ ſeruati ſe non procul recepere in cauernas ardore vindictæ poſituri inſidias Regi, & quibuſuis Chriſtianorum iter Hieroſolymam habituris.

a Order.

LABO-

LABORUM HERCULIS CHRISTIANI

LIBER SEPTIMUS.

CLariſſimæ victoriæ fama latè didita Conſtantinopolim vſque peruenerat, cùm eôdem ſecuta eſt altera triſtiſſima, victorem Regem Godefredum captum eſſe ab hoſtibus vindictæ ſtudio ardentibus. Vinculis oneratum, abductum in Ægyptum, tetroque carcere incluſum. Barbarum Imperatorem atrocia in eum exempla editurum, ni properè liberetur, vindictam & pœnas acceptarum tot cladium depoſcentibus Saracenis, Turcis, Arabibus, Armenis, Æthiopibus. Hæc in aula Imperatoris Alexij vulgata variè animos affecerant. Auguſtus etſi Ducem adoptarat & beneuolentiâ ſingulari Cæſareis honoribus coluerat, tamen ex quo Latini omnes proceres (excepto Toloſate) Antiochiam Buamundo conceſſerant, minùs beneuolus Godefredo, minûs eius captiuitate doluit. At acerba ea fuit Alexij filio Caloioanni, coniugi eius Hungaræ Piriſcæ, atque

imprimis Helenæ ſorori Buamundi. *a* Anna Comnena, quæ parentis Alexij res conſcribebat, mox prodidit memoriæ Godefredum à barbaris captum & abductum, eoque cognito Balduinum Edeſſæ Comitem protinus fratris Regis liberandi gratiâ iter arripuiſſe. Iam Balduinus antequam de ea captiuitate inaudij ſſet in viam ſe dederat. Inuitatuſque à Buamundo Antiochiæ Principe ad Dominicum ſepulcrum viſendum cum paruâ manu Edeſſâ diſceſſerat. Menſe Nouembri Laodiceam ad Hiſpanam Amazonem Eluiram venit, cuius vir Comes Toloſas Conſtantinopolim profectus erat, ab Alexio Laodiceâ vrbe donatus. Novum hoc imperium interim tutelâ Eluiræ (tanta indoles erat in Hiſpanâ) inter barbaros ſtabat. Inde digreſſus Balduinus præeuntis Buamundi veſtigijs inſiſtens peruenit ad maritimum oppidum Valeriam. Accedenti tentoria, currus, ampliſſimaque caſtra ſpectaculo ſuere. Iam cognôrat ex Eluirâ hæc caſtra inſtructiſſima copijs & apparatu bellico non Buamundi eſſe, ſed Mathildis. In his vtriuſque ſexus bellatrix multitudo aderat ad millia quinque & viginti. *b* Præerat ijs pro Mathilde vir ſpecie corporis animique dotibus venerabilis Theobertus Piſarum Archiepiſcopus Bullionio in Italia notus, Mathildique intimus. Officioſè exceptus à Buamundo Belga perducitur ad prætorium Theoberti, qui Balduinum tantum iuuenem vbi cognouit, complexus, & à lacrymis ſibi non temperans, te, inquit, teneo dignum Rege Godefredo fratrem. Balduinus modeſtè

a *In Alex.* b *Aquen.*

auertit à ſe ſermonem in Mathildem, interrogauitque de eius Amazonis bellicis in Italiâ rebus, de seceſſione à Guelſone, deque animo in Godefredum. Theobertus reſpondit in hanc ſententiam. *a*

Ex quo, inquit, ex Occidente in Orientem diſceſſiſtis, ea geſſit femina ſine exemplo maxima, vt magnitudine operum & fulgore virtutis ſola appellari Heroïna meruerit. Omnium, quæ bello patrauit, omnis ei laus debetur, cùm Amazoni ad res ſummas adiutor non alius, quàm Deus, adfuerit. Is voluit vos abeſſe procul, & Conradum ipſum præſentem abſtinere armis, vt, quid ſine bellatorum Principum ope poſſet femina, quantaque per ſe eſſet, orbi liqueret. Poſtquam Henricus victus ad Canuſium & fugatus ſolum iam Cæſaris nomen obtinuit, Conrado filio rerum potito, Pontifex Vrbanus inuitatu Mathildis Româ Piſas, & inde ſequente me Canuſium venit. Ibi adeò magnifico apparatu exceptus eſt ab Heroïde, vt de Henrico ac Giberto triumphum agere videretur. At interim perpetuus ille turbarum artifex & prauitatis antiſtes Gibertus nouam Italiæ turbationem moliebatur, mox erupturam defectione Guelſonum. Vbi Pontifex Canuſij cum Mathilde deliberauit de re belli ſacri, contendit Placentiam, celebrauitque cum ducentis Epiſcopis Concilium, in quo cum Mathilde comparuit Auguſta ſoror veſtra Praxedis. Expoſuit ſcelera in ſe Henrici, vt repudiata inno-

a RELIQVA *Mathildis, Guelſonis, Henrici, &c.*

cens, vt in cuſtodiam data, vt oblata infamiæ eſſet. Deinceps ſuam liberationem, & Mathildem eius auctorem oſtendit, Conradique caſtiſſimi Principis honeſtam à turpi parente defectionem. Vberes ſacro conſeſſui lacrymas expreſſit triſtiſſima Auguſtæ narratio, & permouit Vrbanum ad Henricum & Gibertum renouato anathemate feriendos. Indicto ibidem ſacro bello, quod poſt paulò Claromonti conflatum eſt, digreſſus Vrbanus Placentiâ Cremonam cum Auguſtâ & Mathilde, obuiàm habuit magnificâ comitatum pompâ Regem Italiæ Conrâdum. Iuuenis præclarus regium cultum pariter animumque ſuſceperat. Eximia pulchritudo corporis, mite ingenium orique ſimillimum, ſuauiſſimi mores, & magnitudini animi coniuncta modeſtia ſingularis. Vbi venit in conſpectum Pontificis, de equo deſilijt. Tum diſſimillimus rebelli patri, miræ modeſtiæ exemplo, Pontifici officium equiſonis exhibere aggreditur. Frenum prehendit regiâ manu, & præiens equitem Pontificem, pedes Cæſar deducit. Cumque iureiurando fidem obligaſſet Vrbano, hic viciſſim eum in Eccleſiæ filium accepit, coram Heroïnis & totâ multitudine ſanctè pollicitus ſe conſilio & re adiuturum, vt Imperij coronam & Auguſtalia decora obtineret. Inde Praxedi Auguſtæ fuit auctor, vt caducis omnibus rebus, quarum vanitatem eſſet experta, nuncium remitteret. Id Praxedis iam antè cum Mathildi deliberatum magno animo fecit, reuerſaque in patriam inter candidos virginum greges vitam religio-

ſam capeſſiuit, & iam procul ab aulæ turbis animo ſoluto ac vacuo ævum iucundum placidè agit coronæ Cæſareæ vel immemor, vel pertæſa. Henricus interim, vt retineret Cæſareum decus, ad ſummum dedecoris ruebat impellente Giberto. Intellexerat homo hic peruicacis nequitiæ neſcio quid offenſionis latere inter Guelfonem & Mathildem, nec familiaritatem intercedere, quæ inter coniuges ſolet. Eos vt diſſidio implicaret, ac animis diſiungeret, auctor Henrico fuerat, vt Guelfoni patri, cui Bojorum Ducatum ademerat, ſpem eius recuperandi faceret. Ita rediјt Guelfo cum Henrico in gratiam, petiјtque à filio, vt ad ampliſſimam recuperandam dignitatem, quâ poſtea ipſe heres eſſet fruiturus, ſibi operâ & pecuniâ adeſſet, quantâcumque poſſet. Guelfo filius læto nuncio arrectus Mathildem conuenit, rem exponit, ad eam efficiendam petit, vt vtrumque ipſa poſſeſſionum ſuarum prouentibus iuuet. Mathildis prudenter ſpeculata Guelfonem iam Henricianarum partium, ſi Ducatu augeatur, Henrici Gibertique vires denuo reſtituturum ad inſtaurandas turbas Italiæ, religionis & Eccleſiæ causâ præcisè negauit, quod petebat coniux. Qui iam antè latente de causâ Mathildi minùs beneuolus, repulsâ irritatur. Palàm iratus iniungit domeſticis ſuis, vt vaſa colligant; ſibi conſtitutum eſſe, Mathilde relictâ demigrare Canuſio. Diſcedens, eò prouectus eſt iracundiâ, vt arcanum ad id tempus occultatum palàm faceret. Denunciauit, ſibi res ſuas haberet Mathildis,

quam desereret, à ſe intactam, coniugem, non coniugem. Ad hanc vocem, audientes mirari, rumores ſerpere, differri res nouitatis plena & inexpectata, nec adhuc penitùs nota. Cum ita diſilijſſet matrimonium, quod citra tori commercium famâ magis, quàm vſu conſtiterat, ægre tulit Mathildis arcanum illud à Guelfone evulgatum, quod ipſa alioqui perpetuò tacuiſſet. Guelfo pater ſeceſſionem illam tulit ægerrimè, qui noſſet quantæ opportunitates, opeſque filio ex ſocietate Mathildis accederent. Diſſidentes eos fruſtra reconciliare conatus, denique irâ percitus ad vim conuertitur. Opem Henrici Cæſaris implorat, vt eius vel auctoritate, vel armis compellatur Mathildis concedere Guelfoni coniugi bona ex fœdere debita. Negauit Mathildis, ſe quidquam debere de bonis, priùs à ſe donatis Eccleſiæ. Gibertus quàm doluit tantam ex oculis, ac manibus amitti prædam, tam gauiſus eſt occaſione noui belli, quo amiſſa reciperent. Diſceſſerat in Galliam Vrbanus, & cum eo plerique præſules. Remanſerat ſola cum Conrado Mathildis, non paucis militum iam ſacri belli causâ Conſtantinopolim verſus profectis. Guelfo vterque opibus in Italià florens Henrico iam ſtudebat. Ergo peropportunam occaſionem nactus Gibertus belli inſtaurandi erigit animum Henrici: hoc eſſe tempus collabentem exiſtimationem bellico aliquo facinore releuandi, Mathildemque cum Conrado rebelli opprimendi. Res cum Guelfonibus communicatur, contrahuntur copiæ,

multi Veronenſium ſequuntur ſigna. Nogara *a* Mathildanæ ditionis oppidum obſidione cingitur. Comperto eorum conſilio Mathildis gnara magnas opportunitates in celeritate ſitas, continuò cogit è præſidijs militem. Iamque accincta itineri, cùm videret Conradum, ne iret in Henricum, reuerentiâ prohiberi, Te quoque, inquit, Conrade Rex, æquum erat nunc capeſſere pro parte bellum, niſi in patrem pararetur. Ibo ego in formidanda illa nomina, Henricum, Gibertum, Guelfones, nec, vt ſpero, incomitata pugnabo, quando armis meis tuâ illâ in patrem reuerentiâ propitiatum numen adiunges. Equo mox conſcenſo Amazon præit copijs, Padum trajicit, Gubernulam ingreditur, caſtriſque nocte motis, ſummâ celeritate ad hoſtes accedit. Militibus ſuis, vt animos addat, memorat ſuperiora prælia, & victorias. Nocturnæ illi ad Sorbaram victoriæ ſimilem ominatur eâ nocte reportatum iri. Adeſſe finem belli, & laborum: in manibus eſſe prædam caſtrorum Cæſaris: Giberti malè parta bene ad ipſos reditura. Guelfones intellecturos, quid Giberto Mathildis, aut potiùs quid bona cauſa peſſimæ præſtet. Adeo celſa corpore, vultuque ita læto dicebat, vt viciſſe iam crederes. Interim trepidus nuncius affertur ad Henricum, imminere Mathildem. Primùm pauor, terrorque animos audientium inceſſit: deinde cum clamor ac ſtrepitus caſtrorum ortus eſſet ex diſcurſu arma capientium, error metum ac tumultum inten-

a *Domnizo.* *Florentin*

dit. Oppidani hinc plus conjicientes quàm quod erat, læti per muros clamant adeſſe Mathildem, ſalubrique mendacio & ſuum & eius impetum minantur obſidentibus. Qui omnia in maius augente nocturno metu, velut pleno iam hoſtibus vallo, & tamquam Mathilde renouante illatam ad Sorboram cladem, dum putant ſe victos eſſe, vincuntur. Henricus, Gibertus, Guelfoneſque pauidi deſertis caſtris ne vaſis quidem collectis per tenebras fugam arripiunt. Lux & exploratores errorem aperuere indignantibus, inuicemque exprobrantibus quòd non à Mathilde, ſed Mathildis nomine fuſi eſſent. Amazon antequam vidiſſet hoſtem iam victrix, omnibus eius impedimentis potitur & ſummâ laude ac propriâ, ex qua nullus procerum quidquam decerpſit. Hæc res ademit Guelfonibus animos ac ſpem ditionis Mathildanæ armis obtinendæ. Quare inglorij è Longobardiâ in Germaniam ſeceſſere, vbi Guelſo pater in poſſeſſionem Ducatus Boïci reſtitutus, at pertæſus impij belli ad ſacrum ſe accingit vela facturus in Cyprum. Henricus bello Italico ſeptem annorum exhauſtus, regno exutus, coopertus dedecore cogitur Italiâ tandem effugere. Gibertus quoque ſordidâ auaritiâ ac libidine apud ſuos ipſos ſectatores ſoluerat famam, compulſuſque eſt Romæ in caſtrum ſe condere. a Ad quem exturbandum Mathildis vt Conradi regnum opum acceſſione firmaret, auctor huic fuit, vt affinitate ſeſe deuinciret cum potentiſſimo Siciliæ Comite Buamundi patruo Rogerio, filiamque eius Iolan-

a *Dodech. Vrſper.*

tam ſecum matrimonio iungeret. Conradus etſi Iolantæ formam & indolem egregiam noſſet, tamen purioris perfectioriſque vitæ ſtudio excuſabat exemplum tum Bullionij adhuc coniugio abſtinentis, tum Mathildis ipſius in nuptijs intactæ. Ad ea cum reſpondiſſet Mathildis nuptias vel ſuis ſimiles opportunas Conrado regnoque eius fore, & Godefredo ſacra expeditione perſuncto non defuturam coniugem, miſſi ad Rogerium oratores. Qui extemplo Romam miſit ingentem pecuniæ vim & militum validam manum, filiam deinde miſſurus. Cum his auxilijs Vrbanus, Mathildis, Conradus Gibertum Romæ inuadunt. Ego quoque interſui cum Mathildanis copijs, quas huc adduco victrices. Quid enim multis verbis exequar relatam paucis diebus victoriam? Giberto Rauennam ſugato Rex Conradus cum Mathilde venit ad me Piſas, quò aduenerat Sicula virgo. Duxit eam maximâ pompâ Rex caſtiſſimus patrique adeo diſſimilis animo & corpore, vîx vt in vllam rem vnquam conſenſerint. Iam ſummâ gloriâ regnat, & Mathildis ceſſo ſponte regno vitam, etſi non regiam, proximam tamen majeſtate degit. Subinde Vrbanus diras renouauit in Gibertum, & bello veſtro ſupplementa decreuit. Mathildis tot in Europâ diſtricta laboribus nunquam prætermiſit ſtudium promouendæ veſtræ expeditionis in Aſiâ. Ligures ſuos ac Tuſcos hortatu iuſſuque permouit ad claſſes plures inſtruendas, quarum prima vobis ad Antiochiam adſuit, altera ad Hieroſolymam, tertia Laodiceam appulſa, cuius

claſſiarijs præire nunc iubeor, & vobis in Oriente Pontificis vice præficior vocatus in partem Argonautici veſtri laboris.*a* Huic nec ſuum vellus aureum deeſſe paſſus eſt Hiſpaniæ Rex Alfonſus, ad quem Vrbani iuſſu Legatus diuerti. Ibi honorificè exceptus ab eo, magnificiſque muneribus cultus accepi inter alia arietem aureum mirifici operis, attulique offerendum ſacrorum Argonautarum principi Godefredo. Hæc & huiuſcemodi narrabat Balduino Theobertus; qui ijſdem ferme diebus litteras à Mathilde accepit de rebus à diſceſſu ſuo in Italia geſtis. Vrbanus obierat diem, verè maximus Pontifex, dignuſque tanto cognomine, vel ſi nouum ab eo inciperet. Suffectus erat Paſchalis eius appellationis ſecundus. Quibus auditis Gibertus illud purgamentum vrbis redire tanquam poſtliminio Romam atque in ſedem Pontificiam contenderat: ſed Mathildis perpetua Eccleſiæ vindex obſtiterat. Quæ eum tanquam feram indagine vſque eſt inſectata, donec in fuga ſublatus eſt morte vitæ ſimillimâ, nullo pœnitentiæ indicio. Oſſa eius Rauennæ ſepulta: ſed cum Gibertini mentirentur emicare ſuper ijs igneas faculas velut ſanctitatis indices, iuſſu Paſchalis refoſſa ſunt, & in profluentem abiecta. Ita neſario homini, qui dominari voluerat in totum terrarum orbem, terra defuit ad ſepulcrum. Sic & conſtitit veritas prædictionibus tum Alexandri Pontificis, tum Anſelmi Lucenſis Epiſcopi: Gibertus GRAVES VLTRICI ECCLESIÆ DEDIT POENAS, dedit & Henricus FEMINÆ MANV. Cæſar ille apud

a *Aquen.*

ſuos

ſuos adeptus Magni cognomen à Mathilde tantò maiore victus in Italiâ, mox rurſus in Germania profligatus, & à filiorum altero Henrico deponere diadema Cæſareum coactus Moguntiæ. Ita desertâ Pontificum obſeruantiâ deſertus ab vtroque filio, odioſus omnibus, omnes habuit hoſtes niſi Gibertum, ſed omnibus hoſtibus nocentiorem. Tandemque rerum omnium inopiâ, lentâ & ſegni pœnitentiâ, & mœrore contabuit. Verùm iam redeamus in viam cum Theoberto, duobuſque ſocijs heroïbus Buamundo & Balduino. Motis Valeriâ caſtris maritimâ orâ petentes Hieroſolymam vario ſermone leuabant animum. Nunc in Oriente acta memorabant, nunc agenda: imprimis tempus eſſe dicebat Theobertus, vt vxores ſibi Godefredus Rex, Buamunduſque Princeps eligerent. Nominabat deinde nobiliſſimas quaſque feminarum nobilium, & in harum numero Mathildem & Conſtantiam, quòd Mathildis quidem cum Guelfone matrimonium nullo vſu firmatum, Conſtantiæ autem cum Tricaſſino conſanguineo nullum eſſet. Sed colloquentium otium triſtiſſima fama turbauit. Ad Antipatridem accedebant, cùm auditione acceperunt eam vrbem à Rege Godefredo fuiſſe nuper obſeſſam, ſed euentu, non, vt alibi adhuc, felici, ſed funeſto. Ibi enim nobilem illum & intimum Godefredo adoleſcentem Gerardum atroci poſt homines natos morte ſublatum, regemque ipſum captum nihilo mitioribus ſupplicijs deſtinari. Rei capita ſingillatim narrabantur in hunc

modum. a Godefredus victo ad Aſcalonem Imperatore Saraceno intenderat animum ad firmandum inter hoſtiles vrbes regnum. Non ignarus magnopere ſuis rationibus conducturum eſſe, ſi in ora maris portum opere & præſidio validum teneret, Ioppem oppidum in proximo littore inſtaurandum muniendumque curauit. Vicinam autem Saracenorum vrbem Antipatridem, licet inexpugnabilis haberetur, magno animo inſtituit obſidere. Antipatridenſium Regulus ſeu terrore, ſeu fallendi conſilio ſanciuit cum Godefredo fœdus promiſſo tributo, miſſiſque obſidibus primariæ ſtirpis. Viciſſim à Bullionio petijt obſidem aliquem è proceribus. Tantæ rei conficiendæ gratia quem mitteret Rex, deliberato erat opus. Plerique procerum confecto iam bello ſacro reditum in Europam adornabant. Ab his inuitabatur atque etiam vrgebatur ad repetendam patriam Gerardus Aueſnas, vt caram ſororem Addam reuiſeret, amplamque poſſideret hereditatem, & Agnetem aut vxorem duceret, aut certè ſolaretur afflictam inclyti parentis Ribodimontij morte. Verùm tenuit egregium adoleſcentem caritas & exemplum Regis Godefredi, dulcedoque Terræ ſanctæ, & ſtudium rei Chriſtianæ cum rege promouendæ. Sororis filio ſimul hereditatem ſuam, ſimul oblatas ſibi Agnetis nuptias ceſſit. Cumque reſcijſſet Procerum aliquem Antipatridem à Rege mittendum obſidem, vltro ſe obtulit, non ignarus periculi, ſed contemptor. Stupuere Principis adoleſcentis fide & excelſitate animi

a *Aquen.*

Proceres abituri iuxta manſurique, quòd patrij ſoli commodis præferret periculoſam in Oriente prouinciam. Nec maluiſſet perfidus Antipatridenſis alium obſidem quàm Gerardum clarum legatione ad Imperatorem Saracenum, rerumque geſtarum famâ, atque imprimis neceſſitudine Regis Godefredi. Huic alijſque Proceribus valedixit intrepidus. Cæterùm ætatis quodam ſimplici amabilique candore, magis timuiſſe viſus eſt cultui ſuo militari, quàm ſibi. Nullus eo munditiei ſtudioſior erat, nullus magis gaudebat præſtantibus equis & armis. Parmâ vtebatur pulchrè cælatâ, galeâ eleganter criſtatâ, loricâ in puri argenti ſpeciem ſplendoremque politâ. Vehebatur aſturcone præualenti & pulchritudinis raræ. Sub diſceſſum arma ſua & equum, vt barbarorum cupiditati periculoque ſubtraheret, Regi Godefredo reliquit & commendauit. Ita traditis vtrimque obſidibus, poſtquam iam diſceſſerant in patriam Robertus Normannus, Edgarus, Robertus Flander, petieratque Conſtantinopolim Raymundus, Antipatridenſes obſides compertâ reliquorum regiorum paucitate, fiduciâ ſumptâ fugam intendunt ad regulum ſuum. Qui leuatus metu non ſolùm eos recepit, & vrbem pactamque pecuniam tradere Regi recuſauit, ſed & Gerardum retinuit, & vinculis onerauit ſæuitiæ ſuæ victimam. Pòſt paulò à barbaris occiſum nunciatur Regi, qui deſiderio, ac dolore amiſſi percari capitis, irâque in Antipatridenſes decernit nulli vrbium, quas barbari præſidio teneant, fidendum, omneſ-

que armis vel expugnandas, vel ad deditionem compellendas. Idque facturos ſe Rex, Proceresque iurarunt. Nominatim iuriſiurandi religione ſe obſtrinxerunt non paſſuros ſe Antipatridem perfidam & crudelem vrbem intra regni viſcera inexpugnatam ſibi impunè illudere. Rex cum Euſtachio fratre, ſororio Montacuto, conſanguineo Burgio & tribus armatorum millibus ad muros caſtra ponit, relicto Hieroſolymis Prorege Anachoretâ cum reliquis. Præter paucitatem eo maximè laborabat quòd nauibus careret aduerſus maritimam vrbem. Aderat quidem Vinemarus, qui Godefredum omni deinde vitâ, vt dignum erat, libertatis auctorem coluit, ſed eius claſſis fuerat ab Aſcalonitano combuſta. Erant Antipatride viri multi, bellicoſi, omni telorum genere, atque imprimis conſcientiâ perfidiæ armati. Cæterùm muri quati machinis cœpti. Rex ipſe denuntiat regulo ſe bellum afferre eâdem dextrâ armatâ, quam pacatam antè dederat. Cùm multa caſtigatione perfidiæ docet, vt tot cladibus gentilium ſuorum edoctus tandem iuſiurandum & Deum eſſe credat. Si vrbem dedere cunctentur, & periurio gaudere pergant, Deo magis irato, quàm ſe, bellum geſturos. Oppidani perfidi, ſed quibus minùs etiam humanitatis, quàm fidei erat, ægrè ſe tanti animi Regi reſtituros armis arbitrati ſunt. At excogitarunt immane ſeque dignum defenſionis genus eiuſmodi. Nauticus malus ingens mediâ vrbe iacebat opportunus atroci conſilio, quo obſeruato regulus iubet de captivis, quos

tenebat carcere, Chriſtianum adoleſcentem educi. Is malo ſupinus aduoluitur, atque adnectitur manibus ac pedibus exporrectis in modum affixi cruci Seruatoris. Dein Regem ad oppugnandos muros redeuntem vocant ad colloquium ſimul ac ferale ſpectaculum. a Godefredo accedenti objicitur in erecto malo pendens miſerabili habitu adoleſcens. Inexpectatâ atque atroci ſpecie exhorruere Rex, Euſtachius frater, proceresque alij, ac milites omnes. At immane quantum creuit horror ſtuporque, cùm pendentis faciem intuiti ſunt propiùs. Adoleſcentem, quem dudum ſæuitiâ barbarorum confectum putarant, & pro mortuo comploraránt, vivum agnouere Gerardum Aueſnatem, ab interitu ſeruatum, vt interiret ſæuiùs. Quo viſo Rex velut telo confixus ingemuit. Contrà exultantes gaudio barbari, qui Godefredum illum hoſtium principem toties inſidijs teliſque appetitum, ſemper illæſum atque inuictum vlciſci antehac non potuerant, nunc inuenerant qua parte vulneri pateret, & quo aditu cor eius foderetur. Miſerandus adoleſcens è ſummo malo oculos lacrymis ſuffuſos circumferens agnouit ante ſigna Regem, ad quem conuerſus ſubmiſſâ ad venerationem ceruice in has voces erupit: Agnoſce, maxime Ducum, militem tuum. Huc à te miſſus obſes, deinde captivus in tetro carcere detentus à perfidis, nunc in conſpectum tuum hoc ornatu producor. Peto à te atque efflagito, vt mei miſertus ne patiaris vt inſons, tibique quondam non indignus beneuolentiâ viſus atroci cruciatu occidam in oculis

a *Idem Aquen.*

tuis, teliſque tuis expoſitus. Rex ſimul dolore attonitus, ſimul anceps conſilij reſtiterat tacitus. Reputabat nobilem adoleſcentem, quem ſecundum fratres & filij loco diligebat, indole, fide, fortitudine eximium ideò à barbaris eo poſitu, habituque ſibi obiectum, vt ab oppugnandâ vrbe, mittendiſque telis metu confodiendi eius auocaretur. At meminerat iuriſiurandi religione ſe, ſocioſque teneri de barbarorum oppidis in poteſtatem redigendis. Inter quæ imprimis perfidiâ & ſæuitie infamem Antipatridem Gerardo obſide detento, crudeliterque habito, mulctandam excidio. Neque ſperare poterat Rex, quod nec pretio quantouis, nec vlla arte obtinere potuit à Barbaris, vt adoleſcentem dimitterent. Hos autem poſt tot ſcelera, poſt obſidem carcere incluſum, maloque appenſum, poſt crucem eo facinore ludificatam impunitos non relinqui Chriſtianæ rei ſummoperè intererat. Si impunè ferrent Antipatridenſes tantum nefas, videbat ſecuturas exemplum cæteras vrbes hoſtiles, & ad ſuam immunitatem vſuros iſto Chriſtianorum captiuorum ſupplicio, cruciſque ludibrio. Ita pietate Chriſtianorum tutas fore barbarorum impias vrbes. Ingens animi luctatio erat. Hinc carjtas dulciſſimi capitis, inde iuriſiurandi religio, ſacrique regni dignitas atque incolumitas trahebant. Silentio defixus, & viſceribus dolore conuulſis talia ſecum voluebat. Itane te, Gerarde, amiſium inueni, vt perderem? Ad hoc te barbari inpijſſimâ lenitate ſeruarunt, vt noſtris telis interires? Nec ſatis erat crudeles eos eſſe,

niſi me inuitum cogerent eſſe crudelem? Vicit demum in religioſiſſimo Rege priuatam caritatem ſtudium reipublicæ Chriſtianæ. Vicit ſeipſum Rex, reliquis inuictus, atque inſuperabili animo formam Abrahami filium Iſaacum immolantis expreſſit. Ita enim Gerardo reſpondiſſe prodidit Aquenſis Albertus. Mi Gerarde, ſacri belli miles acerrime, tametſi tui miſeratione pro meâ in te perpetuâ, paternâque caritate vehementer moueor, tamen abducere militem ab hac vlciſcendâ ſceleratâ vrbe nefas eſt. Velim ex animo poſſe te barbaris eripi, ſed vel ſi frater hic meus Euſtachius fores, hac conditione liberari non poſſes, vt Antipatris ſui iuris atque impunita maneat. Erige mentem ad ſeruatorem Chriſtum, cuius gloriæ nos, quotquot bellum ſacrum profitemur, ſanguinem, ſpiritumque deuouimus. Si inter noſtra tela, licet minimè in te dirigenda, obiectus à barbaris agitatuſque figaris, tu vulnera, mortemque Chriſti causâ, vt ille quondam tuâ, ſuſtinebis. Et tibi aliquando denique moriendum erit, & conducibilius in commune eſt, vt vnus moriare, quam vt decretum iuſiurandumque noſtrum omnium violetur, atque oppidum hoc ſemper in Chriſtianos reliquos infeſtatione, inſidijs, & cęde graſſetur. Tu verò ſi Chriſti ſeruatoris causâ ſic præſenti vitâ defungare, Chriſto æternùm in cælo conuiues. Quamquam (addidit) neque hoc eſt mori, quandoquidem vt ab amico Engelramo diuinitùs apparente dictum meminiſti, NON MORIVNTVR, QVI IN OPERA CHRISTO NAVANDA FINIVNT VITAM;

ſed cæleſti palatio recepti, vt Engelramus & Anſelmus, immortali vita perfruuntur, æterniſque delicijs. Gerardus his erectus, lacrymis omiſſis ſtudio in rem Chriſtianam, & fide in Chriſtum plenus, Regis amantiſſimi religionem & conſtantiam imitatus mori communi ſacri regni causâ non renuit. Extremis precibus regem orauit non vt milites ſuos à iactu telorum abſtineret, ſed vt curaret Gerardi ſui morituri nomine arma illa ſua, quæ diſcedens Hieroſolymis ipſi reliquerat, Dominico ſepulcro appendenda, equumque ſuum ſepulcri cuſtodibus donandum, monumentum ſuę religionis & ſpei vitæ cæleſtis. Poſt hęc Gerardus velut omni vitę mortalis debito, & curâ liberatus ceruicem, quam Regis veneratione flexerat, reiecit, & erectis in cælum oculis mortem expectauit immotus. Intimos animorum ſenſus mouerat conſtantia non ſolùm Regis, ſed etiam adoleſcentis eximij. Non eſt hîc ab vllo lacrymis temperatum. Ad vltimum poſtquam à toto exercitu triſti murmure Gerardus perſalutatus eſt, iuſſu Regis ab omnibus inter fletus arma non cunctanter expediri cœpta. Vrbem acriter oppugnant: fundis, ſagittis, machinis impetunt barbaros circumfuſos Gerardo, cui quiſquis adſtabat, malo appendiſſe adoleſcentem credebant. Strident circum tenerum corpus tela, dumque omnia Gerardum vlciſcuntur, quædam etiam figunt, obiectantibus eum huc illuc barbaris, atque interim vociferantibus impios Chriſtianos eſſe, qui per latera fratris hoſtes impugnent. Inclamant quoque per ludibrium Regi, ne victricem toties manum

parricidio fœdet: tortor filij eſſe deſinat, & ſaltem, ſi inſontem trucidatum velit, miniſtrum ſupplicij mutet. E plurimis ſagittis vndique volantibus corpus Gerardi decem fixere. Cruore perfuſum & aſperum telis aduertit Chriſtiana multitudo, & multiplicem doloris ſignificationem dedit. At tanto contumelioſiùs regi militibuſque exprobrabant barbari immitiores eos Saracenis eſſe: quippe cruci ſe funibus alligaſſe hoſtem, at ipſos fratrem cruci telis fixiſſe. Inter hæc incredibile dictu eſt Regem tantâ in Gerardum caritate, tamen animo infractum, in eo habitu oris, in quem ſe religione compoſuerat, duraſſe. Qui vt de vitâ Gerardi ſui actum eſſe vidit, tantò deinde maiore impetu pugnauit; vt appareret, quàm magna interim pars virium eſſet dolor. Et milites exemplo Regis licet necem nobiliſſimi adoleſcentis deflerent, tamen inſtabant acriter hoſtibus, maximè ex turri ligneâ vaſti ſuſpectûs, tribus tabulatis, totidemque pugnantium ſtationibus diſtinctâ. Cæterum peruicaces Antipatridenſes turrim telis & miſſilibus ignibus petitam, tandemque incenſam deturbauere cum quinquaginta, qui inerant, viris. Reliqui deterriti, ab oppugnatione refugiunt dolore amiſſi Gerardi, & malè geſtæ rei pudore. Vt iam reſederat pugnandi impetus, ſilentium ſubitò ortum, & tacita cogitatio quidnam egiſſent. Pœnitebat ardorem vincendi plus valuiſſe, quàm rationem caritatis in fratrem. Rege ad repetendam aggreſſionem hortante reſiſtantes fortunam conuerſam horrebant, inauſpicatum cenſentes imperium

reuocantis ad ea mœnia, vbi fraternum ſanguinem fudiſſent. Rex vbi ab tanto impetu cœptâ re conſternationem militum animaduertit, & cauſam negati à ſuperis in præſens ſucceſsûs altiùs inueſtigat ſecum; hanc non eſſe, quòd Gerardum confixerint, ſed aliam, deprehendit. Tum militem ſic ab eo increpitum legimus. Ah miſeri, cæcique, quid cauſæ eſſe dicam, cur ex fortibus ſegnes, ex magnanimis timidi nunc pericula vitæ formidetis? Cur ex Europâ relictis patrijs ædibus ac propinquis huc veniſtis, niſi vt ad mortem vſque pro Chriſti causâ, pro rei Chriſtianæ tutelâ, fratrumque libertate, pugnetis? Nempe ſubeſt cauſa timiditatis, eaque non alia, quàm mens delictis obnoxia. Superſunt inter vos contacti priſtinâ noxâ turpium amorum, quibus effeminarunt animos. Agitedum, milites, deponite fœdam voluntatem, pœniteat vos turpitudinis toties nobis hâc expeditione nocentis. Placate ſic vobis, & conciliate Deum, cuius ope deſtituti nihil; fulti verò, poteſtis omnia. Vir ſummus, cuius innocentiæ Oriens victorias, & victor exercitus innocentiam debuit, verbis caſtigatos milites ita vultus animique conſtantiâ mouit, vt noxarum pœnitentiâ, eum, qui reſederat, excitarent, & innouarent ardorem. Mox reparare machinas inſtituunt. Ipſe verò Rex quàm procul haberet illas timiditatis, & imbecillitatis cauſas, quas in milite arguerat, perpetuo caſtimoniæ documento probauit. Addidit ſingulare eâ obſidione ſpecimen modeſtiæ. Dum reparantur machinæ, Reguli ex Samaria

montibus in caſtra venerant, magnoperè petentes Regem videre, regijque tabernaculi ſplendorem. Intrò admiſſos ingens admiratio cepit. Non veſtibulum ſatellites magnificè armati opplebant, non copiarum duces ſtipabant Regem. Corporis cuſtodibus pabulatum amiſſis, perpauci aderant alij. Ipſe Rex cultu, curâque corporis haud multum ſupra militis modum eminebat. Non ille ſolio aurato; ſed humi ſuper ſaccum ſtramine fartum conſederat. Regulis interrogantibus, cur tanti nominis Rex, qui Occidente egreſſus Orientem armis concuſſerat, tanto regno totque ditatus ſpolijs, non pretioſiùs ſederet, reſpondit Godefredus digno ſe verbo, terram pro ſede ſufficere debere homini mortali, cui mortuo domicilium perpetuum præbitura eſſet. Quæ vox, & ſtatim excepta à ſtupentibus, & poſtea per orbem multo ſermone celebrata eſt. Fuitque de regulis illis vnus, qui prædicare non dubitaret, Principem eâ indole non modò parto Palæſtinæ regno dignum, ſed orbis imperio. Et verò Godefredus, tot tantiſque nuper ſpolijs Imperatoris Ægyptij potitus aulam & ſolium ſibi regiâ magnificentiâ inſtruere potuerat, niſi omnia præter virtutem contemneret Omnium victor, omnium inops erat. Nempe ſolitus totâ expeditione prædam in milites diuidere, ſibi nihil opum, gloriæ longè plurimum (licet ne id quidem ageret) pepererat. Refectis interim machinis inſtauratur murorum oppugnatio. Verùm Antipatridenſium perfidiæ, ac ſæuitiæ par pertinacia fuit.

reuocantis ad ea mœnia, vbi fraternum ſanguinem fudiſſent. Rex vbi ab tanto impetu cœptâ re conſternationem militum animaduertit, & cauſam negati à ſuperis in præſens ſucceſsûs altiùs inueſtigat ſecum; hanc non eſſe, quòd Gerardum confixerint, ſed aliam, deprehendit. Tum militem ſic ab eo increpitum legimus. Ah miſeri, cæcique, quid cauſæ eſſe dicam, cur ex fortibus ſegnes, ex magnanimis timidi nunc pericula vitæ formidetis? Cur ex Europâ relictis patrijs ædibus ac propinquis huc veniſtis, niſi vt ad mortem vſque pro Chriſti causâ, pro rei Chriſtianæ tutelâ, fratrumque libertate, pugnetis? Nempe ſubeſt cauſa timiditatis, eaque non alia, quàm mens delictis obnoxia. Superſunt inter vos contacti priſtinâ noxâ turpium amorum, quibus effeminarunt animos. Agitedum, milites, deponite fœdam voluntatem, pœniteat vos turpitudinis toties nobis hâc expeditione nocentis. Placate ſic vobis, & conciliate Deum, cuius ope deſtituti nihil; fulti verò, poteſtis omnia. Vir ſummus, cuius innocentiæ Oriens victorias, & victor exercitus innocentiam debuit, verbis caſtigatos milites ita vultus animique conſtantiâ mouit, vt noxarum pœnitentiâ, eum, qui reſederat, excitarent, & innouarent ardorem. Mox reparare machinas inſtituunt. Ipſe verò Rex quàm procul haberet illas timiditatis, & imbecillitatis cauſas, quas in milite arguerat, perpetuo caſtimoniæ documento probauit. Addidit ſingulare eâ obſidione ſpecimen modeſtiæ. Dum reparantur machinæ, Reguli ex Samariæ

montibus in caſtra venerant, magnoperè petentes Regem videre, regijque tabernaculi ſplendorem. Intrò admiſſos ingens admiratio cepit. Non veſtibulum ſatellites magnificè armati opplebant, non copiarum duces ſtipabant Regem. Corporis cuſtodibus pabulatum amiſſis, perpauci aderant alij. Ipſe Rex cultu, curâque corporis haud multum ſupra militis modum eminebat. Non ille ſolio aurato; ſed humi ſuper ſaccum ſtramine ſartum conſederat. Regulis interrogantibus, cur tanti nominis Rex, qui Occidente egreſſus Orientem armis concuſſerat, tanto regno totque ditatus ſpolijs, non pretioſiùs ſederet, reſpondit Godefredus digno ſe verbo, terram pro ſede ſufficere debere homini mortali, cui mortuo domicilium perpetuum præbitura eſſet. Quæ vox, & ſtatim excepta à ſtupentibus, & poſtea per orbem multo ſermone celebrata eſt. Fuitque de regulis illis vnus, qui prædicare non dubitaret, Principem eâ indole non modò parto Palæſtinæ regno dignum, ſed orbis imperio. Et verò Godefredus, tot tantiſque nuper ſpolijs Imperatoris Ægyptij potitus aulam & ſolium ſibi regiâ magnificentiâ inſtruere potuerat, niſi omnia præter virtutem contemneret Omnium victor, omnium inops erat. Nempe ſolitus totâ expeditione prædam in milites diuidere, ſibi nihil opum, gloriæ longè plurimum (licet ne id quidem ageret) pepererat. Refectis interim machinis inſtauratur murorum oppugnatio. Verùm Antipatridenſium perfidiæ, ac ſæuitiæ par pertinacia fuit.

Ob hanc atque hiemis incommoda adulto iam Decembri Rex recedere cogitur, relictâ in proximo ſuorum manu, quæ oppidanos exitu portarum, & commeatu prohiberet, donec rediret ipſe caro Gerardo parentaturus vrbis excidio. Petentibus Hieroſolymam inſidiabantur infeſti illi, de quibus ſuprà meminimus, Æthiopes, ex antro ſubterraneo inobſeruati impetum in viatores facere, cæſos ſpoliare, captoſve abſtrahere, & ſubitò in cauernam ſuam refugere ſoliti. Et mox fama percrebuit Godefredum Regem oppreſſum inſidijs, abductumque captivum. Quæ ſubita calamitas cum enarrata eſſet accedentibus ad Antipatridem Theoberto, Buamundo, Balduinoque, nec latuiſſet militem, dolore amiſſi Gerardi, Regiſque periculo totum perculſum agmen gemitu quereliſque perſonuit. Mox triſti ſilentio torpuerunt, ad cogitationes, quid Rege, quid ſe futurum eſſet, mœrore cuiuſque conuerſo. Perturbabat Theobertum Archiepiſcopum captiuitas Godefredi, quem ſingulariter, & mirabatur, & diligebat tum ſuâ ipſius animi propenſione, tum Mathildis causâ, cui impensè dolituram ſciebat calamitatem illius Principis, quo nihil fortius, aut ſanctius; vt non vnus homo, ſed fortitudo ipſa, omneſque virtutes in vno homine viderentur adiiſſe periculum. Reputabat cum Balduino & Buamundo, quantum eſſet timendum optimô Regum à ſæuiſſimis hoſtibus: documento eſſe Gerardi ſupplicium, funeſtamque mortem; ſed Regi tantò funeſtiora eſſe timenda, quàm Gerardo, quantò domitorem illum ſuum

magis odiſſent. Nec apparebat quâ ratione liberari poſſet, variâque conſultatione curam diſtrinxerant. Principiò viſum erat triſti magnanimoque Buamundo iam ſe riualem oblito euocari oportere illicò Hieroſolymitanas copias, iunctiſque omnibus regni viribus tyrannos obterendos. Sed hæc primo impetu agitanti Theobertus ſollicitus cædem Gerardi reuocauit in mentem, & monuit, ſi locus, in quo Rex captiuus tenebatur, infeſtis armis peteretur, tutaturos ſe barbaros eodem, quo Antipatridenſes, defenſionis genere, obiecturoſque telis Regem. Iam ſi redimere tentarent, quod potiùs Balduino viſum ſcribit in Alexiade Comnena, quodnam pretium redimendo tanto Regi vel ſuffecturum, vel admittendum à Tyranno Amerinâ, niſi Hieroſolyma, totumque ſacrum Regnum reſtitueretur? Id petiturum illum, nec tamen eo pretio redimi ſe paſſurum religioſiſſimum Regem, præoptaturumque mori cum Gerardo, quàm ſuâ causâ Chriſtianam rem Orientis tanto labore partam detrimento affici, nedum peſſundari. Cùm omnes in eo virtutes, tum mortis perpetuam contemptionem eluxiſſe. In prœlijs, in vrbium oppugnationibus viliorem ipſi ſuam ſalutem, quàm ſuorum ſemper fuiſſe. Vel illud documento eſſe, quòd ad Antiochiam Piſidiæ peditis pauperis liberandi causâ vrſum in ſe vertiſſet, ſauciuſque pro mortuo fuiſſet deploratus. Inter has mœſtiſſimas ſollicitudines conſilij inopes Hieroſolymam peruenire feſtinabant, cùm audiere quàm infeſti eſſent eò tendentibus Æthio-

pes Azoparti, qui inter deſerta loca ad Aſcalonem verſa in antris ſubterraneis latebant. An ab ijs Rex captus, & quò ductus eſſet, erat incompertum. Cæterùm incidit impetus Balduino cauernam ſcrutandi, peſtemque illam ſeu vi, ſeu arte tollendi, & prædâ exuendi: quod quia paulò pòſt facere aggreſſus eſt, obiter hîc referam. Obſedit cum exercitu caua illa Æthiopum; ſed contra quæ nihil tela, nihil bellicæ machinę potuere. Latebra ſubterranea labyrintho perplexior, cæcis meatibus inueſtigabilis erat. Flammâ immiſsâ experitur an elici æſtu, fumoque diri latrones poſſint. Duo tantùm egreſſi horridâ facie. Benignè exceptos Balduinus pretioſâ veſte exornandos curat; de gente ipſorum, de familiâ, viuendique genere comiter interrogat. Humanitate, & clementiâ eius capti rogant, vt redire in antrum ad ſocios liceat docendos, quâ benignitate excepti ſint. Vni permiſſum, alter clam ſocio obtruncatus. Ille reuerſus veſtem acceptam oſtentans popularibus, ex ijs decem ſpe ſimilium donorum illectos ſecum ad Balduinum reducit, qui itidem omnes clàm è medio ſublati præter vnum. Superſtes necis ſociorum ignarus, pretioſeque veſtitus, alios allicit triginta. Quorum itidem trigeſimus ex omnibus ſeruatus adducit è latebrâ ducentos, ac tricenos, qui retulerunt nullos in antro præter feminas ac pueros ſupereſſe. Feminæ, viris non redeuntibus, nempe ad vnum cæſis, egredi non auſæ fumo elicitæ ſunt, & partim interemptæ, partim venditæ. Subinde ingreſſus Chriſtianus miles. Neminem

inuenere captivum, at cum ingenti prædâ ad Balduinum rediere. Nondum reſcitum erat, quo loco Rex detineretur: at auditum denique Principem Chriſtianum quendam ductum Aſcalonem, magno gaudio exceptum ab vrbis Præfecto Gemelmucho, ſummâque curâ cuſtodiri. Quo comperto non eſt relictus locus dubitandi, quin is Princeps Rex eſſet, cùm de cæteris Chriſtianis proceribus, quo loco quiſque eſſet, non ignoraretur. Rurſus lugubres totis caſtris edidere queſtus. Validiſſimâ in vrbe cuſtodiri Regem, eique liberando iam arma inutilia eſſe. Inueniſſe barbaros rationem mœnia tutandi captiuorum corporibus. Se eò calamitatis adductos, vt certum periculum ſit, ne Regem, ſi liberare contendant, armis ipſi confodiant. Ità Principem immortalibus editis operibus eſſe proditum à fortunâ. Ante fauiſſe ſuperos, nunc nullam calamitatem hâc, quâ affecti ſint, grauiorem ab irato Deo inferri potuiſſe. Godefredum modò Hieroſolymæ expugnatorem & regem extitiſſe Virginis Matris ope: *a* huius enim beneficij Mariani teſtem ſpeciem Idæ Godefredi parenti nuper Bononię Belgię diuinitùs obiectam nuntiabatur: at regiæ fortunæ ornamenta nihil aliud ei fuiſſe quàm funeris pompam. Adhæc ereptum ſibi nullis relictis liberis in regnum ſucceſſuris. Cumque de vxore in malorum remedium ei iungendâ conſultaretur, exortâ ſubitò funeſtâ nebulâ ſublatum ex oculis. Ciuile dein bellum ex cupidine regnandi ſecuturum mentibus augurabantur. Æmulos imperij proceres Balduinum, & Buamundum in-

a *Hiſt. Morinor.*

ter ſe antè diſcordes vetera renouaturos odia, & diſtracturos publicas vires. Chriſtianos milites non iam de regno Palæſtinæ, ſed de rege pugnaturos, mutuiſque vulneribus celebraturos Godefredo magnos funebres ludos. Hæc inter gemitus lacrymaſque voluentibus, & Hieroſolymam, vbi de rerum ſummâ deliberaretur, contendere pergentibus adducuntur ab exploratoribus peregrinatores duo. Qui cùm dicerent ſe ex Ægypto venire, ad proceres perducuntur interrogandi, numquid de Rege reſciiſſent. Agnouit Balduinus Iſaacum nobilem Belgam Arturumque filium ſacræ militiæ nuper ſocios, & Godefredum ex Europâ ſecutos, captos verò ad Hieroſolymam & pro mortuis deploratos. Erat Iſaacus dominus caſtri ad Niuigellam, quod hodieque Nemus Domini Iſaaci nominatur, ita dictum, quòd eius pomerium arboribus frequens eſſet. a Iſaacus narratione mirificâ moram interpoſuit Balduini, ſociorumque mœrori. Aiebat ſe ac filium, dum obſeſſâ Hieroſolymâ pabulatum vadunt, captos à Saracenis, & in Ægyptum abductos, datoſque in arctam cuſtodiam. In ijs ærumnis gementi ſibi nihil conſultius viſum, quàm vt animum ſpemque conuerteret ad benigniſſimam Dei Matrem, memor iconis eius, quam arboris cauo propter caſtrum ſuum indiderat. Per noctem ſequentem adfuiſſe adſpectabilem ſibi in quiete Virginem, & arguiſſe de incuriâ, quòd iconem ipſius ac filij reliquiſſet in arbore imbribus & ventis expoſitam. Se ſubitò expergefactum ad pedes magnæ Virginis pro-

a *Hiſt. monaſt.*

cubuiſſe, veniamque precatum, ac pollicitum, ſi eius ope vinculis euaderet, reducem liberatrici conditurum ſacram ædem, qua tegeretur eius effigies. Mirum dictu. Manè ſe ac filium vinculis ſolutos, patefactumque carcerem vidiſſe. Ergo egreſſum cum eo patriam repetere voti reum, exoluendique percupidum. Actæ à Balduino, cæteriſque auditoribus magnæ Matri grates, poſtulatumque par auxilium Regi, *a* vt qui Virginis iconem Antuerpianam, quam ad Stipitem vocant, item Bononicam ſingulari honore coluerat, quique eius Virginis ope victorias & regnum adeptus erat, eiuſdem ſubſidio conſequeretur libertatem. Inter hæc vota magnaſque curas præmiſſus eſt curſor Hieroſolymam, qui Euſtachio regis fratri aduentum Piſani Archiepiſcopi, Buamundi, Balduinique nunciaret, *b* Euſtachium enim nondum in Belgicam reuerſum audierant. Appropinquantes vrbi, vident effundi obuium agmen. Proceres, milites, ſacrati ordinis viri cum pompà hilaritatem ſuam geſtibus, canticiſque prodebant. Quorum vnus concitato equo ad Balduinum procurrit vultu maximæ lætitiæ præferens notas. Cui Balduinus, quid mihi, inquit, nunciaturus es tanto gaudio dignum, niſi fortè Rex ſalvus eſt, & liberatus? Ille renidens, ſalvum eſſe dixit, ſed non liberatum: qui nempe captus non fuiſſet. Rumorem de eo hoſtium fraude vulgatum, fortè per occaſionem alicuius detenti Aſcalone captiui. Balduino ac ſocijs ex mœrore recreatis, & ſubito gaudio ſtupenti-

a *Tabula Bruxell.* b *Malmesb.*

bus ſuperuenit ad portam Rex ipſe cum Euſtachio fratre, Tancredo, Anachoretâ, Montacuto, Burgio, alijſque primoribus. Rex Archiepiſcopum Theobertum in Italiâ apud Vrbanum Mathildemque viſum agnouit, veneratuſque interrogauit quî Mathildis haberet. Pontificem reſcierat ad ſuperos exceſſiſſe. Theobertus reſpondit, vt tu, Princeps, in Oriente, ſic illa in Occidente vincit; deberque tantum Mathildi Roma, quantum Hieroſolyma Godefredo. Conſultò abſtinuit Antiſtes appellatione Regis, quam Godefredi non ferebat modeſtia, nihil ambitioni regium permittentis, niſi regni curam. Tum Godefredus Buamundum ac Balduinum complectitur, illi exinde Euſtachium ac Tancredum caroſque alios paſſis brachijs inuadunt. Interim Rex Iſaacum (de quo per curſorem audierat) venerantem amiciſſimè excepit, atque arridens, en, inquit, ego Magnæ Virgini liberatrici, perinde ac tu, debeo, immò pluſquam tu, cum plus beneficij ſit captum non fuiſſe, quàm captiuitate liberatum. Vrbem ingreſſi inter acclamationes plauſuſque ciuium in Dominici ſepulcri templum perducuntur pij hoſpites, vbi pariter omnes Deum ſuorum aſſertorem Diuamque liberatricem venerantur. Hîc appenſa ex voto ad ſacrum ſepulcrum arma Gerardi Aueſnatis fortiſſimi adoleſcentis ab rege oſtenſa hoſpitibus, addente hoc eſſe, quod ſupereſſet de tanto milite; iacere apud barbaros ſine nomine carum corpus. Iam elicitura erant viſa arma lacrymas & diei gaudio mixtura triſtitiam, niſi Rex

eximio conſtantiæ exemplo auertiſſet omnes à ſpectaculo, & conſolatus eſſet Engelrami illo cæleſti apophthegmate, NON MORI EOS QVI IN OPERA CHRISTO NAVANDA FINIVNT VITAM. Egreſſi templo hoſpites ſenſim integratâ lætitiâ, in regiam perducuntur, vbi de mutuis rebus geſtis & periculis vltro citroque narratum, & obſeruatus in ijs identidem, & laudatus cæleſtis fauor. Quæſitum de cauſa vulgatæ captiuitatis regis. Cenſebant quidam occaſionem rumori dediſſe eum, quiſquis captus Aſcalonemque ductus ferebatur. Sed ambigebatur, quis procerum Chriſtianorum is eſſe poſſet, quis tantus qui pro Rege haberetur. Hugonem, Edgarum, Robertos vela feciſſe in Europam: reliquos proceres adeſſe ſaluos, præter eos, quos glorioſâ morte functos Deus cælo tranſcripſerat. Omiſſa Gerardi mentio ne rurſus interturbaret lætitiam. Ergo exiſtimabant quidam id quoque finxiſſe hoſtes captivum aliquem eſſe. Verùm cùm alijs non videretur de eo ambigi poſſe, decreuit Rex mittere qui rem explorarent. Narrauit Theobertus Antiſtes Regi (vt antè Balduino) præclara Mathildis Conradique facta bello Pontificio, Henrici ſugam, Giberti exitium, Siculæ Iolantæ cum Conrado coniugium, Auguſtæ Praxedis reditum in patriam, & felicem inter ſacras virgines vitam. Addidit iter ſuum in Hiſpaniam, Hiſpani regis victorias Syriacis ſimiles, donumque ab eo ſacræ expeditionis auctori deſtinatum. Nunc quando Vrbanus ille Apoſtolicus Heroïci belli auctor

animam cælo dignam exhalarat, id regium donum non alteri congruere aut eſſe offerendum, quàm heroïci belli principi atque imperatori, ſacrique regni moderatori Godefredo. Sub hæc munus rege mittente dignum & admittente præbet, arietem criſpantibus villis rutilum, cornibus vnguliſquè vibrantem, auro ſolido molliſſimè conformatum. Ipſum metallum, quantum naturæ ratio patiebatur, totum ceſſiſſe in vellus ac formam viui arietis diceres. Theobertus donum his verbis ornauit: fuiſſe conſentaneum vt vellus aureum principi expeditionis Argonauticâ maioris non deeſſet. Adiecit Balduinus optandum quoque, vt nec huius expeditionis duci deeſſet coniux. Subriſit Godefredus, cumque parumper ſeceſſiſſet cum Theoberto remotis arbitris de Mathilde locuturus, Balduinus alijque proceres illatum de ſponsâ regia ſermonem continuauere, Petro Anachoretâ, qui arcani regij conſcius videbatur, identidem iocante, cùm diceret ſacro Argonautarum Principi, ſi Iaſon eſſet, cauendum à Medeâ; ſin potiùs Hercules, declinandum ab Omphale, quæ virum effeminet. Quare ſi cui iungendus ſit, non alteri iungendum, quàm Amazoni. Theobertus quoque ex ſuâ procerumque ſententiâ id magnopere Regi perpendendum eſſe dicebat, quanti eſſet ipſum & ſalvum eſſe, & habere ex ſe genitos, qui in regnum ſuccederent. Cogitaret quid turbationis & calamitatis rei Chriſtianæ euenturum fuiſſet, ſi is ereptus nullis relictis liberis foret. Igitur vt coniugem duceret, ei magnopere au-

ſtor erat. Ita Mathildem Vrbani Pontificis hortatu nupſiſſe Guelfoni: ita Mathilde auctore Conradum matrimonio iunctum Iolantæ. Regias eſſe principes dotibus omnibus florentes, quæ tanti Principis thalamo gloriaturæ ſint. Imprimis Regum filias occurrere, Francam Conſtantiam, & Scotam Mariam, vt de alijs taceatur cæteroqui præclaris, Helenâ Buamundi ſorore, Morfiâ Meleteniæ Ducis filiâ, Floriâ ſorore Corbagathi. Non fuiſſe quidem Godefredo digniorem coniugem quàm Mathildem, ſi nihil obſtaret. Sed eam bis nuptam caruiſſe liberis: ſacri autem regni intereſſe moderatori ſuo non tam vxorem eſſe, quàm liberos. Eſto: ſupremâ auctoritate & grauiſſimâ illa causâ, vt ſacro regno de heredibus conſulatur, Mathildis cum Guelſone matrimonium, vtroque volente, diſſolui poſſit, quia contractum tantùm, non vſu firmatum; at fruſtra id futurum, ſi Mathildis pudicitiæ propoſito ſemper liberis caritura ſit. Reſpondit Rex ſibi omnino cordi eſſe ac fore, ne regni ſucceſſores deſint. Cæterùm mentem de matrimonio adhuc celabat. Id tamen ſciebatur ſatis, ſtatuiſſe coronam auream ac regalem, quâ ipſe vti noluerat, capiti dilecto tranſmittere. Neque eſt ignoratum deſtinatam ei virgini, quam regio amore digniſſimam rex cenſeret. Cùm retuliſſet Theobertus Balduino, Buamundo, & Euſtachio quid regi ſuaſiſſet, quid tuliſſet reſponſi; actumque inter ipſos eſſe de principibus quibuſque feminis, imprimis de Francâ Conſtantiâ & Scotâ Mariâ, Buamun-

dus motum animi diſſimulauit in præſens; at indignè & ægerrimè tulit agi de Conſtantia, quam nulli mortalium erat ceſſurus niſi ereptâ ſibi vitâ. Et Euſtachius Mariam flagrantiſſimè diligebat, non ceſſurus alteri quàm fratri, neque huic ſine ingenti dolore. At non deſperabat Godefredum aliam electurum. Regis menti paulò magis cognoſcendæ hæc occaſio ſe præbuit. Dum Buamundus, atque Euſtachius de dilectis matronis ſollicitudine diſtringuntur, Rex cum Balduino, alijſque proceribus conſultabat de Aſcalonitano (quiſquis erat) captiuo, quâ ratione liberari poſſet. Hæc res implicata ſinceram lætitiam eſſe non ſinebat, eratque priùs expedienda, quàm aggredienda altera. Captivum hoſtibus poſſe annis eripi tantùm non deſperabant, recurrente perpetuò acerbâ memoriâ crudelis mortis Gerardi Aueſnatis. Cuius deſiderio Rex tametſi aduerſus dolorem inuicto animo eſſet, tamen patiebatur ingentem, quoties meminerat ſe adoleſcentem illum caritate filium, velut alterum Iſaacum, ferro perijſſe; ſed heu diſpari exitu, quando Iſaacus ereptus fuerat morti, Gerardus occiderat. Dum eâ de re exploratores Aſcalone expectantur, ecce nuncij non læti magis quàm admirabiles. Præfectum Aſcalonis, alioſque Satrapas Saracenos, poſtquam cognouerant portum, vrbemque Ioppen à Godefredo Rege reſtauratam, timor ingens, ac ſollicitudo ſubierat, ne viribus Chriſtianorum per mare commodè aduenturis facile ſubiugarentur ipſi commoditate portus excluſi. Inde ad

Godeſredum alij ſuper alios legati aduenere. Prima Præfecti Aſcalonis legatio fuit, eaque in paucis magnifica. Viri inſtructu exquiſito longo agmine munera pretioſiſſima afferebant, ſed inter quos adoleſcens equo præſtanti vectus eniтebat dignitate oris, & corporis habitu. Nec alium magis honeſtabat opulentiæ barbaræ cultus. Illi aureus torques, & ex hoc enſis gemmeâ vaginâ ſuſpenſus. Illi veſtis auro purpurâque diſ-ſ[c]ta, manicæ margaritis internitentibus adornatæ, tegmen capitis verſicolore faſciarum inſtructu, gemmarumque candore interſtinctum. Supra cætera vultus elegans, & qui virginis eſſet. Stabat Rex in aula proceribus circumfuſis oratores in conſpectum admiſſurus; inter quos vt obſeruauit faciem eius, quem dixi, adoleſcentis, obſtupuit. Cumque propiùs accedentem agnoſcere videretur, ſuis oculis non credebat. Omnes pariter Chriſtianos proceres in eius obtutu fixos idem ſtupor oppreſſerat. Aueſnati Gerardo, quem Antipatride decem ſagittis fixum viderant, mortuumque deplorarant, toto ore ſimillimus erat. Regi incidit dubitatio Gerardusne, an eius mortui ſpecies objiceretur oculis, quemadmodum Engelramus vitâ functus amico Ribodimontio ſe ſpectandum præbuerat, illamque æternâ memoriâ dignam vocem protulerat NON MORI EOS, QVI IN NAVANDA CHRISTO OPERA FINIVNT VITAM. Verùm iam in hoc adoleſcente nullum ludibrium oculorum apparebat. Vigor, qui conſtat ex ſpiritu, non deſtituerat vultum,

Cumque affuſus eſſet genibus Regis, nec manum erigentis, non brachia amplexantis eluſit. Princeps legationis animaduerſo illo, quem expectarat, Godofredi ſtupore lætus, ad te, Rex, inquit, mittimur à præfecto Aſcalonis, muneraque, & tributum afferimus: ſed haud dubiè pretioſiſſimum, tibique gratiſſimum munus futurum eſt adoleſcens, quem meritâ cum admiratione intueris. Gerardus ille eſt obſes tuus, qui, quod neſcijſti, de malo depoſitus ab Antipatridenſibus ſpirans adhuc inuentus eſt, & deinde præfecto Aſcalonis miſſus. Qui ſedulò curatum eo, quo vides, ornatu remittit ad te, & valde petit, vt & munera ſua æqui bonique conſulas, & cum eo non modò pacem; ſed & amicitiam iungas. Suo, & vicinorum Satraparum nomine tributum tibi offert quindecim millium nummûm in ſingulos menſes penſionibus deſcribendorum, vt tuâ amicitiâ & Ioppenſis portus commoditate frui liceat. Suadere tibi videtur quæ nihilo minùs ad rem Chriſtianam, quàm Saracenam pertinent: quandoquidem hoc fœdere omnium circà finitimorum animos iunxeris, tibique omnes feceris vectigales. Rex oratoribus benignè, atque ex eorum voto, ſed propter ſtuporem paucis reſpondit. Quibus dimiſſis rurſus ad Gerardum conuertitur ingenti lætitia. Hunc intuens, vixque lacrymis temperans ſe in illius collum proiecit, paulumque cunctatus, ne vox abiret à maieſtate, an te, inquit, teneo, non tuos manes, mi Gerarde? Tune es innocens illa victima à me deuota, & inſtar Iſaaci erepta morti?

Hoc

Hoc erat, quòd ferebar captivus: tu, hoc eſt, alter ego, cuſtodiâ tenebaris. Mi Gerarde; hærebit æternùm orbis memoriæ, quòd appenſus malo miles Chriſti eximius pro re Chriſtianâ mori non dubitaſti, moriturusque te Chriſto, arma & equum Chriſti ſepulcro dicaſti. Tibi reddantur arma iam Dominici ſepulcri contactu ſacrata. Reddatur equus religioſo teſtamento tuo ſupra quadrupedes omnes nobilitatus. Ego verò quid rependam meritiſſimo capiti? Qui te, velut Iſaacum Abrahamus, morti deuoueram, cùm te nunc, vt illum pater, receperim vivum, in eius rei monumentum, & clariſſimi certaminis tui qualecumque præmium à tibi ſacri Regni iure beneficiario caſtrum, quod ad ſanctum Abrahamum nominant, & eiuſdem Regni beneficium ſelibrarum centum dono, atque in perpetuum teſte hac procerum coronâ ex animo largior. Reſpondit ad hæc modeſtè iuxtà, venuſtèque Gerardus: deinde in aliorum procerum expectantium brachia tranſmiſſus eſt. Quo perſalutato ab omnibus, bene eſt, inquit Rex, & auſpicatè, quòd nobilem adoleſcentem vivum recepi, iam ter opinione mortuum. Tum verſus ad proceres; ac ſubridens: Quid mihi, amici, inquit, liberos deeſſe querimini, qui vos habeo incolumes, & patriâ caritate complector, cuique magna Virgo fauens captos reſtituit, ſuſcitatque demortuos? Ex his non poteſt vobis deeſſe Rex tantis viris dignus. Vrgentibus tamen Theoberto, Balduino, Euſtachio, & iam etiàm Gerardo, vt Regno certiùs proſpiceret,

&, quod decreuiſſe eum audierant, coronam regiam electæ ex omnibus virgini tranſmitteret, pollicitus eſt omnino ſe facturum. Iam inſtabat tempus, quo Buamundo redeundum erat Antiochiam, & proceribus alijs aliò. Antè Godefredi regis voluntate Patriarcha Hieroſolymorum renunciatus atque inauguratus vir ſpectatiſſimus Theobertus. Ab hoc deinde Godefredus in Hieroſolymitani regni & Buamundus in principatus Antiocheni poſſeſſionem ritè miſſi. Dominico Natali religiosè peracto proceres tum diſceſſuri, tum manſuri cum rege priuatis quiſque negotijs dant operam. Magna res agitabatur à Godefredo, pro qua ſtatuenda tempus ſumpſerat, vt ſecum & cum Anachoreta Petro deliberaret. Qui vt eò ſtudioſiùs ac maturiùs de ducendâ vxore decerneret, Gerardus Regi regnoque addictiſſimus permouit omnes ſecum apud eum manſuros, vt iurati aſſererent ſe ad regni ſucceſſionem nunquam admiſſuros quemquam, niſi Bullionij ſanguinis. Interim magnis anxius curis Buamundus multa verſabat animo colloquens cum Tancredo. Optaſſet Godefredo regi nubere Helenam ſororem ſuam vel huius causâ, vel ſuâ. Sed audierat Helenam ad patruum Rogerium ab Alexio dimiſſam, nupturamque Hungariæ Principi. Nunc non dubitabat, quin Rex alteram ex regijs duabus Principibus petiturus eſſet coniugem, Francam, aut Scotam. Floriam enim Corbagathi ſororem, licet Chriſtiana ſacra capeſſat, certè gente Turcam cur præferret Chriſtianis? Mathildem haud

dubiè reliquis prælaturum fuiſſe, ſi nihil obſtaret. At licet Pontificiâ auctoritate matrimonium eius cum Guelſone, quia vsûs expers, diſſolui poſſet; tamen ab Amazone vel ætate, vel pudicitiæ propoſito infecundâ ſperari non poſſe regni heredes. Iam duarum Franciæ regis filiarum vtramuis peteret Godefredus, ducere eum enimuero negabat ſe paſſurum Buamundus, qui Conſtantiam ſibi, Cæciliam Tancredo deſtinaſſet. At Cæciliam ex Bertrada genitam non eſſe cur ingenuæ Conſtantiæ præoptet Godefredus. Ergo ſibi de hac cum illo magno riuali ſubeundum eſſe certamen. Scotam enim Mariam ab Euſtachio amari non dubijs indicijs ſibi compertum. Hanc autem fratri à fratre ereptum iri non eſſe veri ſimile. Adhæc adeſſe fratrem alterum Balduinum, qui Euſtachio patrocinaturus ſit vel caritate in germanum, vel æmulatione in Tancredum patruumque Buamundum, quibus & quondam aduerſatus ſit, & numquam ſatis æquus fuerit. Itaque Regem tum ſuâ, tum fratrum voluntate petiturum Conſtantiam. De hac eò maiori erat in metu ac ſollicitudine Buamundus, quòd Hugonem Magnum Godefredo intimum audierat ex Franciâ redire in Orientem, amico Bullionio conciliatâ iam fortè Conſtantiâ. Parte aliâ Euſtachius magnis & ipſe motibus æſtuabat, ſed alijs ex argumentis quàm Buamundus, atque adeo contrarijs. Cogitabat Regem Godefredum animo æquo eſſe in ipſos æmulos ſuos adductum non timore quidem vllo, ſed moderatione Chriſtiana. Vel ideo

non obſtaturum amoribus Buamundi, ne hic rem Chriſtianam in Oriente turbaret. Scotam ergo Mariam à Rege petitum iri conſequens erat, præſertim tantæ indolis virginem, ſanctæque reginæ filiam. Hac de cauſâ Euſtachij animum diſtrahebat hinc cara virgo, inde carus Rex frater, quorum vtrique operam, vitamque deuouerat. Inter amorem in Mariam & caritatem in Godefredum ſuſpenſus, ac veluti diuiſus ſecum ipſe pugnabat alternatione violentâ. Infelicem ſe cenſebat, ſi Mariam amitteret, at impium, ſi non cederet Regi. Huic ergo cedere decreuit; vel ſi mœrore ipſe confici debeat. Tanti certaminis, quod Euſtachij verſauerat animum, tamque generoſæ de ſe victoriæ conſcios Balduinum & Gerardum ingens admiratio pariter ac miſeratio ceperat. Interim de Regis conſilio nihildum certi proceres colligere potuerant vel ex eius verbis, vel Anachoretæ, qui fidem regij ſecreti religioſè ſeruabat. In euentum ingentis, diuque expectatę rei non modò Buamundus, Euſtachius aliique proceres animo intendebantur, ſed eôdem deditæ mentes vniuerſi orbis, cuius theatrum erat eâ tempeſtate Hieroſolyma. Hîc Rex claro excelſoque loco quotidie aliud alio inſignius edebat ſpectaculum: verùm tunc regia virtus in vno capite exemplum omne complexa illuſtre in omnes partes documentum præbuit omnibus terris. Buamundus ſollicitus quid ſtatueret Rex, ad eum adijt per cauſam valedicendi, re verâ vt exploraret eius mentem: at nihil à Rege de hac exprimere potuit. Cumque

Godefredus ſe nondum valedicere reſpondiſſet, aliàs & opportuniùs id facturum; abſceſſit Buamundus eo ſilentio minimè lætus, & obtegi conſultò ratus ab rege, quod riuali diſpliciturum ſciret. Ergo domum reuerſus iuuenis ardentis animi iubet arma, equos expediri, omniaque præſto eſſe vel ad diſceſſum, vel ad pugnam. Inter hæc monetur à Tancredo regem quoque armari, & itineri ſe accingere cum fratribus; a petereque à Buamundo, ſic iter moderetur, vt ad Iordanem pridie Regalium inter ſe conueniant. Hoc deerat ignominiæ meæ, ſubiecit acriter Buamundus, vt ille me vltro prouocaret, & pugnæ locum diemque condiceret. Non ſatis erat ſi mihi Conſtantiam præripere contenderet, niſi & præriperet prouocationis decus. Simul in equum inſilit, iubetque ſequi ſuos & cùm ijs iter intendit ad Iordanem. Eôdem, ſed aliâ viâ, profectus Rex, inſtructus & ipſe pedeſtribus equeſtribuſque copijs. Abeſt Iordanes decimo ab Hieroſolyma lapide fluuius Chriſti baptiſmate nobilitatus, & toto orbe celeber. Ad Libani montis radices oritûr geminis fontibus: Ior alter, alter Dan vocitatus, qui confluentes Iordani nomen indidere. Leni tractu infuſus primùm lacui Samachonitę, dein mari Tiberiadis, vtrumque permeat. Exinde longiſſimo curſu limpidas ac ſapidas agit vndas, quoad has & nomen amittit hauſtus Aſphaltite lacu. Ripa amœna ac patens, niſi quà fluuiatili arbore inumbratur. Is locus vltimæ procerum congreſſioni deſtinatus erat, & detegendo arcano regio. Eò tendens

a *Aquen. an.* 1100.

Rex præibat agmini, & cum Petro Anachoretâ præſertim per viam de occulto conſilio ſuo conferebat. Reſtabat hîc exantlandus Herculi Chriſtiano labor poſtremus & ſummus. Vincere debebat non iam aliquam immanem belluam, non Giganteæ molis hoſtem, aut obiectam muro barbarorum aciem, ſed fortius his omnibus aliquid, ſeipſum. Neque ſatis erat victoriæ interioris genus aliquod auditum, quale priùs alij quoque, vel ſaltem ipſe retulerat; requirebatur inauditum. Arduum eſt cupiditatem vel in amoribus inconceſſis frangere, magis arduum in conceſſis. Priorem illam difficultatem nimiſquàm ſæpe expertus erat in expeditione Chriſtianus exercitus, ſed tamen hortatione & exemplo ducis caſtiſſimi ſuperarat. Poſteriorem experiebatur nunc par magnanimorum iuuenum Buamundus & Euſtachius, ille in amore Conſtantiæ, hic Mariæ. Barbarorum victores animum vincere in hac parte maximè arduum eſſe ſentiebant. Buamundus ſperati coniugij ſuperare cupiditatem nequibat; Euſtachius vix & ægerrimè poterat. Rex verò iam dudum quidem ſui potens, & ad excellentiam formarum immotus, & ad coniugij illecebras adhuc intactus, omniumque victor voluptatum, intus tamen maiori certamine verſabatur. Peruiderat Petrus penetrale heroïci animi, & ex cauſis intellexerat magnitudinem, grauitatemque luctæ, quâ nec maiorem totâ vitâ habuit ipſe Godefredus, nec inſolentiorem habet hiſtoria. Omni licet voluptatis cupiditate ſuperior, tamen vrgebatur amore duplici. Mathil-

dem amabat, & Hieroſolymam; at vtriuſque amori obſequi & facere ſatis auebat, nec inveniebat qui poſſet. Nempe alter amorum exigebat ab eo liberos, alter illibatum pudorem. Modò ſecum ſolus, modò cum Anachoreta ſuo loquens, amo Mathildem, inquiebat, & maximè, quod in eâ prænitet, amo formoſiſſimum pudicitiæ decus. Habuit illa præ oculis domeſticum exemplum inſigne, quo ad ſummam virtutis eius excellentiam impelleretur. *a* Mater ipſius Beatrix & avus meus Godefredus, par coniugum puriſſimum, præluxere, ſeruatâ inter ſe illibatâ continentiâ. *b* Hos ſic imitata eſt Mathildis nupta Gothiloni avunculo meo primùm, ac deinde Guelfoni, vt caſtitate vicerit. Parum eſt dicere caſtam Mathildem: bis nupta, ſemperque virgo, debet appellari caſtitatis prodigium. Heroïcam illam animi pulchritudinem eo flagrantiùs diligo nunc in Mathilde, quòd aliquando nullam ineſſe duxi Gibertinâ fraude deceptus. Atque, vt amoris eſt ſimiles amantes inuenire aut facere, ardeo (fateor) ſtudio exprimendi in me ſpeciem Mathildanæ illius heroïcæ virtutis. Quantulum illud eſt heroüm decus, corporis robur? quantulus ego, ſi à feminâ, quam vincam corporis viribus, animi robore ſuperer! Hoc pudoris ſtudio, ſicut mihi Mathildis ſemper inter reliquas omnes ſummopere placuit, ità viciſſim inter alios ego fortè illi non diſpliceo. Verùm, vt noſti, mi Petre, huic meo in Mathildem amori aduerſatur alter meus in Hieroſolymam amor, qui regni ſucceſſores à me exigit, quos

a Pet. Dam. *b* Domn. Florent.

Mathildis ſalvus pudor dare non poſſit. Quid igitur? diſiungar ab imitatione Mathildis, an ab Hieroſolymæ caritate? Caſtamne meam cum Mathilde coniunctionem perire ſinam, an Hieroſolymæ Regnum? Vtrumque ſic diſplicet mihi, vt nec prius pati ſatis poſſim, nec poſterius debeam. Quod luctæ meæ interioris grauitatem auget, proponuntur mihi ducendæ vel Conſtantia, vel Maria, Principes quidem amore digniſſimæ, in quibus genus regium minima laudum eſt; ſed quarum alteram amat Buamundus, alteram Euſtachius. Altera ergo à me eripienda eſt fortiſſimo belli ſocio Buamundo, altera amantiſſimo fratri Euſtachio. Hancne illi à me vel vtiliſſimæ bello operæ, vel caritatis mercedem ferent, vt alterutri ſponſam, quam virtute meritus eſt, eripiam? Quid? quòd audio Euſtachium mihi amores ſuos vltrò ceſſurum, ſed nonniſi cum acerbiſſimo dolore; Buamundum autem non ceſſurum, niſi pugnâ victum? An igitur vel alterum ferro, vel alterum dolore conficiam? Hiſne auſpicijs tam funeſtis vxorem ducet ſacri Regni moderator? Vide, mi Petre, quibus anguſtijs vndique premar, & vt me expedias, pro tuâ apud cælites gratiâ, & cæleſti perſpicaciâ da operam. Hęc Godefredus Petro antè expoſita, nunc per viam cum eodem colloquens reputabat. Præiens agmini licet non exaudiretur à fratribus & Gerardo ex interuallo ſequentibus, ſatis tamen ſignificabat geſtibus, quàm ſtudioſè, quamque ſollicitè rem agitaret. Poſt plura vltrò, citroque interrogata, &

reſponſa, ſenſim acquieſcere, & denique tamquam re expeditâ & decretâ exultare viſus eſt. Vbi ventum ad ripam Iordanis, in quâ iam antè erant erecta tentoria, Godefredus tabernaculum regium ſubit. Ibi in menſâ ciſtulam elegantem Hieroſolymis allatam collocari iubet. Cùm menſæ aſſediſſet, fratrem Euſtachium intrò vocat. Cæteri eminus reſtiterant. Modeſtiſſimi quique, ne indagare ſecretum regium viderentur, auerterant vultum inter ſe colloquentes. At curioſiores nonnulli rati ſibi fas eſſe ſpectare, quæ patenti loco fiebant, in menſam regiam coniecerant oculos, & ſuperpoſitam ei ciſtam intuebantur tanquam regni ſacri fato prægnantem. Rex Euſtachio aſſidere iuſſo arculam commiſit perferendam in Europam. Vtque priùs ſciret ille quid rerum gereret, Godefredus puſillâ claui ſimul arculam, ſimul arcani ſui partem fratri recludit. Erant in eâ litteræ aliquot, ſacra item cimelia, & rerum caput regalis illa corona, quam dilectiſſimæ omnium Principi miſſurum ſe Rex aſſeuerarat palàm. Primam epiſtolarum inſcripſerat Paſchali ſummo Pontifici, quæ extat hodieque; Idæ matri alteram. Quam cum oſtenderet Euſtachio, di[illegible]n aurem, ſe his litteris ſignificare matri, cuinam ipſe coronam mittat, ſcilicet Mariæ. Ad quam vocem Euſtachius, quantâcumque eſſet & in Regem caritate, & in ſubactos priùs affectus poteſtate, tamen expalluit, tremuit, & quæ verba deinde rex adderet, præ animi turbatione ſatis capere nequijt. Interim Buamundus cum agmine ſuo ad

eandem Jordanis ripam accedebat. Qui (vt riuales pertinentia ad amores ſuos cuncta indagant, & oculis vel ſuis, vel alienis perſpiciunt) minimè ignorauit hoc regis cum fratre colloquium; reſciuitque Euſtachij turbidos primùm fuiſſe motus, at ſecutos deinde ſedatiores geſtus. Lætus ergo principiò Buamundus non dubitauit his auditis, quin Rex omiſsâ Conſtantiâ Francâ ad Scotam Mariam adjeciſſet animum. Id Euſtachium amantem turbato ad Mariæ ſuę nomen vultu prodidiſſe. Quod deinde viſus ſit ſolante rege ſenſim animum colligere, & confirmare, cenſuit Buamundus eum iuuenem conatum affectus frangere, amorem in Scotam vincere, & tandem regis electioni ceſſiſſe. Laudauitque etiam Euſtachij caritatem in fratrem, & robur animi ſeipſum ſuperantis. Verùm vbi intellexit Euſtachium denique ad vltima Regis verba non ſolùm acquieuiſſe penitùs, ſed exporrexiſſe frontem omnibus lætitiæ notis, & regi grates exultantem egiſſe, enimuerò viciſſim ipſe turbatus eſt. Excidere habitu oris, de priori opinione ac ſpe dejici, nec dubitare quin Rex miſeratione Euſtachij mutaſſet conſilium, eique Scotam conceſſiſſet vxorem. Ergo Conſtantiam eripi ſibi à rege, niſi impediret arte, induſtriâ, armis. Inter hæc irâ caſens appropinquabat, cùm videt armatum regem tabernaculo excedentem, aſcendentemque mox in equum. Hîc Buamundus age, inquit, arma ſtringamus priores, nec ſinamus riualem id quoque decoris nobis præripere. Monebat Tancredus avunculum id vi-

deri procul abeſſe à regis mente. Veniſſe hunc potius ad Iordanem officij ergò, & valedicturum abeuntibus, quæcumque cauſa fuerit arma induendi. Quare nequid ipſe intempeſtivum, præproperumque committeret. Et verò rex cum procerum comitatu, vultum, gradumque conuertit aliorſum, quà Iordanes Arabiam ſpectat. Profectus inde nobiliſſimus Mahometani nominis Princeps Godefredum petitâ priùs facultate conueniebat id temporis, iamque propiùs aberat. Quâ mente eſſet Rex, declarare cœpit in eo celeberrimo conuentu, cui non Chriſtiani modò, ſed & barbari multi proceres interfuerunt, ad vulgandam toto orbe facti regij famam, æternamque memoriam. Arabem ſequebatur frequens, ſplendiduſque comitatus, ingentibus belluis vectus. Dromades cameli erant, quibus bina in dorſo tubera, & in his bini ſeſſores. Animal prævalidum, & laboris patientiſſimum, quod trium equorum onus facilè ferat, inediamque & ſitim toleret vltra triduum. Vt equo tantò maius, ità multò velocius ad centum modi Italici milliaria vno die conficit. Ibant Arabes pompæ quadam ſpecie diuiſi in ordines. Longa dromadum colla bullis ornauerant, prægrandia capita frontalibus & criſtis, dorſaque pictis eleganter ſtragulis. Anteibat agmini Satrapa cultu ſpecieque corporis viſendus, in eximiæ magnitudinis belluâ ſedens. Quam vbi incuſsâ pedibus virgulâ procumbere in genua iuſſit, reliquæ ſimili ſigno admonitæ (ita inſtitui ſolent) demiſere corpus in terram &

commodum deſcenſum præbuere ſeſſoribus. Venerant Godefredi Regis non modò ſpectandi gratiâ, ſed etiam æſtimandi. *a* Eodem ſtudio adfuiſſe quoque, ſed latentem alieno cultu, Turcam Solimanum Nicææ nuper Regem memoriæ proditum eſt, & hæc contigiſſe citiùs quàm Antiſtes Tyrius ſcribat. Arabs, vt erat inter gentis ſuæ Satrapas imprimis induſtrius ac perſtudioſus rei militaris, tractus famâ Godefredi conueniebat eum vocaturus in experimentum virium. Quem veneratus dixit omnium ſermonibus à virium robore celebrari inter omnes Chriſtianos bellatores Hieroſolymæ regem. Nempe eum eſſe, qui & Nicææ fortiſſimum Turcarum ſagittâ transfixum à muro deiecerit, & magnum Arabem popularem ſuum ad Antiochiæ pontem ſecuerit medium, &, poſtquàm primus Hieroſolymæ muros tranſcenderat, ad Aſcalonem ingenti cæde proſtrauerit pugnaciſſimos Æthiopum. Rogare ſe maiorem in modum, vt in ſpecimen illarum virium dromadem camelum ingentem, quem ideo adduxerit, ferire gladio Rex ne grauetur ſpectante ſe, vt virtutis eius non tantùm admirator, vt adhuc, ſed etiam teſtis eſſe poſſit, & præco. Rex minimè ſui oſtentator, quia tamen hoſpes aduenißet procul, & rem poſceret Chriſtiano nomini conducturam, annuit, & ſtricto ferro vaſtæ belluæ collum non ſecus ac gracile quiddam atque exile perſcidit. Admiratus barbarus, ſed ratus multum in eo facto tribuendum bonitati enſis regij, quæſijt à rege, an alieno gladio præſtare tantundem poſſet. Godefredus re

a *M S. Bibl. Lamottan.*

ipſâ reſponſurus gladium Arabis ipſius popoſcit, quo perinde vno ictu camelum alterum obtruncauit. Stupens hoſpes roboris comperti miraculo, regem fixis primùm, deinde ductis per omnes artus oculis menſus, vbi paulùm ſe collegit, interrogauit familiariùs, vndenam ipſe, qui corporis magnitudine non ſuperaret alios, poſſet, quæ aliorum omnium robur excederent.[a] Mox audijt memorabilis illius roboris memorabiliorem cauſam. Reſpondit Rex, quia, inquit, MANVS HÆC FEMINAM NON TANGIT. Digna manus ſceptro, dignus enſis, qui omnibus poſteris ſpectaculo ſit, regiæ pudicitiæ virtutiſque teſtis. Et verò meritò appenſus hic ſepulcro Dominico, necnon ibi hodie quoque ſeruatus, quo accingantur, inaugurenturque ſancti ſepulcri equites, ſtimulenturque proceres ad ſacram militiam fortiter caſteque capeſſendam, atque ideo caſtè, vt fortiter obeatur ad exemplum pudici ac verè Chriſtiani Herculis. Arabs regis facto dictoque applaudens ſubiecit ſe priùs quidem audijſſe Godefredum fortem pudicumque celebrari à Reginis regijſque puellis, quas captiuas non modò intactas, ſed etiam non aſpectas dimiſerit: verùm ſe nunc minùs auribus, quàm oculis ſuis credere. Addidit eius præclaræ famæ fructum hunc inter alios fore, vt nulla toto orbe virgo Princeps non ambitura ſit ei nubere, & nulla non minoris æſtimatura reginam Palæſtinæ fieri, quàm coniugem Godefredi. Poſtquam Regem magnis & laudibus ornauit, & muneribus coluit, diſceſſit, teſtatus

a *Baldeſan. Doutr. Hiſt. Pontini & Morin.*

ſe vbique ſpectatiſſimæ virtutis fore præconem. Interim dum hæc geruntur à Rege, Buamundus acceſſerat, eoque loco conſtiterat, vnde & ſpectare quæ fiebant, &, quæ dicebantur, audire poſſet. At in ijs anſam inuenerat iræ magis accendendæ. Ergo, inquiebat ideo huc vocabar à riuali, vt teſtis eſſem illius roboris, quâ belluas ſternit? At non eiuſmodi virtutis oſtento terruerit Buamundum. Huc accerſebar hodie, vt audirem à barbaro prædicari, virginum Principum nullam non ambire Godefredi torum? Verùm fides elogij ſit penes arma; quibus illi aut mihi Conſtantia coniux hâc ripâ quæretur. Furenti aderat Tancredus, qui ad vltimum dimicationis rem veniſſe ratus, orabat avunculum, daret ſpatium iræ, dum Godefredi mentem perſpexiſſet. Ne tot annorum famam in vnius horæ diſcrimen daret: neu Chriſtiani conterraneique duo duces eximij ſe mutuo ſanguine reſpergerent. Non eſſe id ſpectaculi gaudijque præbendum hoſtibus barbaris, ne reſumant animos, & congreſſos armis Chriſtianos confectoſque, victum & victorem adorti victoriæ præmio fruantur. Neque verò facilè credendum eſſe, Godefredum perſpectæ antehac in Buamundum voluntatis, qui ipſum ter præſenti diſcrimine liberarit, nempe in valle Gorgoniâ, in munitione Antiochenâ, & in Antiocheno prælio, nunc mutatâ mente, quem vitæ periculo voluerit toties ereptum, velle fruſtrari Conſtantiâ, præmio laborum vitâ cariore. Certè id meritum eſſe tot officijs præteritis clarum Ducem, & nunc ſacrâ ma-

ieſtate principem, vt nihil in eum præcipiti conſilio deſignetur. Buamundus conceptâ ſemel irâ calens ſententiæ quidem iam dubius, ſed more humani ingenij in eam, quam timebat, partem propenſior, hærebat. Ecce autem repentè videt Regem dimiſſo Arabe verſis frenis iter ad ſe flectentem cum fratribus. Oppreſſus in eo tumultu affectuum, abreptuſque priori animi impetu capulo manum admouit & tantùm non ferrum ſtrinxit. Verùm obſecrante Tancredo compeſcuit ſeſe, &, vt erat excelſo animo atque in omnem partem acri, conſiliaque non minùs tegere, quàm exequi prompto, compoſuit vultum, & quorſum fata vergerent, expectauit. Acceſſerat Rex oris illo habitu, quo ſolebat, nihil ſuſpicioſum, nihil diſſimulatùm, ſed ſincerum candorem, & humanitatem ipſam præferens. Quo parante de equo deſcendere, deſilijt in pedes Buamundus, & pariter vniuerſus vtrimque comitatus. Rex officioſè ſalutato illo, vellem, inquit, Princeps, aut, (quando ea eſt ſuauior appellatio) frater; res Chriſtiana in Oriente eo loco eſſet, vt nos tuo conſpectu diutiùs frui ſineret. Nunc quando nondum nobis tantùm eſt ſecuritatis à barbaris, ſaltem ſtatui tuâ præſentiâ alloquioque potiri, quoad licet, ideo huc profectus. Armatus veni, quòd & infeſta hæc ripa eſſe ſolet Arabibus, & eius gentis Satrapa me hic conuentum cupierat. Non debui tuum meumque latus nudum præbere barbaro, nequa fraus lateret. Aduerſus hoſtes vbique adſint tibi ſuperi, cui nunquam ſua deerit inuicta virtus. Et

mihi vtinam occaſio non deſit animum in te meum luculentiùs, quàm antehac, probandi. Equidem nunquam committero, vt operam meam tibi adhuc parum vtilem vllâ in re deſideres. Certè, (addidit familiariùs admotus ad aurem Buamundi) ſi quid vel hîc, vel in Europâ poſſum tuâ causâ, ſi quid non omninò ignotus in aulâ Francicâ valeo, vbi ſcio regiam Principem Conſtantiam eſſe te dignam, quamque non odiſſe diceris; nihil mihi iucundius fuerit, quàm ad eam tibi conciliandam contuliſſe aliquid. Sed nimirum in hanc rem non alio eges, quàm inclyto Buamundi nomine, quo terram impleſti. Apparebat optimum regem candidè, atque ex animo locutum. Ergò Buamundus tantâ ſancti Principis fide, & humanitate attonitus obruitur nouorum affectuum turbâ. Qui nunquam timuerat ad hoſtilium armorum minas, titubauit ad poſtremas amiciſſimi Regis voces, & gaudio trepidus ad eius pedes, cuius dextram inter agendas grates tenebat, tantùm non cecidit. Par erat adſtantis Euſtachij lætitia, parque grati animi ſenſus in fratrem, cuius conceſſu, atque adeò hortatu, nuptias Scotæ virginis ſperabat. Subridebatque identidem, quòd rege ſibi coronam modò tradente palluerat ad nomen Mariæ perperam intellectum. Neque verò quiſquam erat in eò procerum cœtu, quin ſe prædicaret acceptâ gratiâ aliquâ ſingulariter obſtrictum eſſe Regi. Tancredo fortiſſimo iuueni, ſibique amiciſſimo attribuerat Tyberiadis Dynaſtiam. Caro adoleſcenti Gerardo

Aueſnati Caſtrum Abrahamium amploſque prouentus ad æternum facinoris ſui decus conceſſerat. Theoberto, vt Patriarchæ dignitas conferretur, fuerat auctor. At Petro Anachoretæ, ſuo illi quondam optimarum artium magiſtro, quid gratiæ conferre poſſet, dubitarat. Senex fortunæ contemptor ac ſanctus, abdicatis ſpontè caducis bonis, ſiqua eiuſmodi offerrentur, non erat accepturus. Excogitauit ergo rex aurei doni genus, quod is recuſare non poſſet. Ac primùm officiosè coram proceribus conqueſtus eſt de Petri ſui probitate, quâ cogeretur ingratus eſſe in eum, à quo tum alia omnia, tum militarem artem didicerat. Cùm reſpondiſſet Petrus grande illud ſibi præmium eſſe, quod habeat tantum Principem bellandi diſcipulum, vincendi magiſtrum; at patieris ſaltem, inquit rex, te, qui profana reſpuis, donari auro ſacro, eoque coronario, & omnibus profuturo. a Simul obtulit parmam inſignem areâ viridi, tribus argenteis quinquefolijs diſtinctâ, quod erat Anachoretæ gentilitium ſymbolum: at ei curauerat rex appingi auream precatoriorum globulorum decadem, cuius Petrus inuentor extiterat. Aureo hoc additamento pietatem eius in Virginem pius Rex coronauit, & commendatam tranſmiſit ad poſteros. Nec indonatum reliquit ſororium ſuum Montacutum Anachoretæ intimum, & cum eo futurum Noui monaſterij ad Hoium conditorem. Fratribus ſuis Balduino, Euſtachioque & fauerat ſemper, & maius erat quiddam, quod gratificari ſtatuerat. Atque ità

a *M. S. Nic. Campis.*

ille quidem officioſus in omnes, ſingillatim aliorum votis anteuerterat, aliorum obſecundarat; relictis Principibus, quas coniuges optabant, virginibus. Conſtantiam ab Hugone Campano conſanguinitatis cauſâ tandem ſeiunctam ducturus erat Buamundus, Cæciliamque Tancredus. Ducturus item Sibyllam Conuerſanam Robertus Normannus; huius frater Henricus poſt Rufum Angliæ rex Scotam Editham, monaſtico quidem obnuptam velo, ſed nullâ voti religione (contrà quàm putabatur) obſtrictam; Euſtachius verò ſororem Edithæ Mariam. Sic reſponſurus erat euentus vaticinationi Eduardi Regis.

ARBOR FATALI VIRIDIS SVCCIDITVR ICTV:
PARS ABSCISSA SVO STIPITE SVMMA CADIT.
HOC AMOTA PROCVL TRANS IVGERA TERNA FERETVR:
POST ITERVM STIRPI REDDITA, POMA FERET.

Poſtquam enim Anglicanæ familiæ regnatrici ablatum faſtigium regium ceciderat in Edgaro, perueneratque, velut interuallo trium iugerum, ad tres exteros reges, denuò rediјt ad regiam ſtirpem in Edgari ſororis progenie; primùm quidem in Editha, quæ Henrico Rufi ſucceſſori nupſit, mox in filiâ Mariæ Euſtachijque Mathilde, quæ Stephano Campano poſt Henricum Angliæ regi collocata eſt. Iam Buamundi ſoror Helena regio Hungariæ iuueni nuptura erat, Morfia Burgio, Roberti Flandri ſoror

Gertrudis Theoderico Alſatiæ Principi. At incerti hærebant amici proceres; quamnam denique elegiſſet rex Godefredus donandam coronâ regiâ, quam in ciſtâ delaturus erat Euſtachius. Floria, & Amazon Mathildis reſtare videbantur. Floriam Corbagathi Turcarum ducis ſororem non probabant quidam regio toro admoueri. Nempe orituram ex eâ non dignam ſobolem, quæ Chriſtianæ imperet genti. Feminæ Turcæ filium eſſe inauſpicatum nomen, quod non ſolùm colere, ſed dicere pigeret Chriſtianos. Cur enim ipſi viciſſent Turcas, vt eorum ſtirpi parerent? Verùm Rex, cùm ad hæc dixiſſet Floriam paterno quidem genere Turcam eſſe, materno tamen Calabram, verſus ad Gerardum ſuum addidit, inſignem illam formâ & minimè Turcicæ indolis virginem, ſi Chriſtianis ſacris procuretur, & amet Godefredum, non illibenter nupturam Godefredo alteri, Gerardo ſuo, ſi ab eo hæc ametur. Gerardus verecundè blandeque reſpondit ſibi gloriæ futurum, dicto audientem eſſe regi: at facta eius ſemper ſe glorioſiùs ſecuturum, quàm dicta. Expectare à rege exemplum, quod imitari conetur. Cæterum ex hoc Godefredi ſermone colligi poterat ab eo Floriam magni quidem fieri, ſed pluris aliam aliquam cariorem. Cùm multos procerum vrgebat cùpido pernoſcendi, quænam illa eſſet, tum Gerardum præſertim, iuratum in fœdus non admittendi regi ſucceſſorem, niſi Bullionij ſanguinis. Regem ipſum interrogare prohibebat viri maieſtas. Ergo ſciſcitatur nunc ex Euſtachio, nunc

ex Petro Anachoretâ, quos cenſebat arcani regij conſcios. Cum reſpondiſſet Euſtachius ſe id ſcire, coronam à rege mitti dilectiſſimæ omnium virgini, & potentiſſimæ in hâc ſacrâ expeditione adiutrici, Gerardus continuò hanc eſſe Mathildem cogitauit, eamque ſibi in Italiâ pernotam dixit vnam omnium præſtantiſſimam fortunæ, corporis, & animi dignitate, planeque dignam Godefredo, ſi modò liberis non ſit, vt adhuc, caritura. Subdidit interrogatus Anachoreta regi id imprimis eſſe cordi, vt ne ſacri regni ſucceſſores deſint. Multis deinde ſollicitatus à Gerardo, multa in rem, ſed obſcurè, ludebat, ſumptâ occaſione nunc à die, nunc à loco, quo agebant. Illuxerat feſtus Epiphaniæ dies, dicebatque Petrus non aliam aptiorem, quàm trium Regum, ſacram lucem eligi à rege potuiſſe, quâ fratribus valediceret, & regalia cum eis ageret. Qui ſermo reuocauit in memoriam Gerardo vaticinium Idæ de filijs tribus, quod Petrus ſic explicuerat aliquando, vt eorum trium quemque futurum Regem innueret. Quid ſi, inquiebat ſecum Gerardus, habemus hîc germanos tres reges? Redijt & in mentem Gerardo nuper Anachoretam, cum hortatus erat proceres vt Godefredum eligerent regem, hoc vſum argumento, quòd ex eâ familiâ Godefredus eſſet, quâ nulla magis aut virtute clareret, aut vigeret numero capitum; cui proindè ſucceſſores defuturi non eſſent. Hæc reputans ſecum Gerardus, an rex, inquiebat, non alios quàm fratres, quos ſummopere diligit;

vult Regni heredes? Quid ſi Anachoretę indicauit hanc ſuam eſſe in caros fratres voluntatem, & Anachoreta ideò iocatur de Regum trium feſto tribus fratribus congruente? Hæc quoque confirmabat Gerardus recordatione venditionis caſtri Bullionij, in qua Godefredus cauerat eam arcem manſuram in emenentis poteſtate, niſi pretium repræſentaretur vel ab ipſo, vel à trium, quos nominabat, ſucceſſorum vno nullâ factâ mentione liberorum, quorum nempè loco habiturus eſſet fratres, conſobrinumque Burgium. Scrutanti de his apud Petrum Gerardo, quid, inquit, Anachoreta ſubridens, requiris liberos Regis? aut cur vobis Regni ſucceſſores non placent, niſi qui nondum nati ſint? An diuinatis marem conceptum iri, vel dignum qui tantis viris imperet? Nihil opus futurâ prole habentibus ſucceſſores, quales, & optat Rex, & æquitas poſcit. Balduinum, & Euſtachium, quos rex paternâ caritate complectitur, cur non cogitatis eſſe filiorum loco? ſi ſimiles regi Godefredo cupitis ſucceſſores, vel nulli, vel illi futuri ſunt, iuuenes ſpectatâ probitate, fortitudine, ſapientiâ, regique vt ſanguine, ità cæteris laudibus proximi. Magnorum operum hàc totâ expeditione ſocij, & ſacri Regni cum Godefredo conditores an non regium capiunt nomen? Hi teſte Idâ matre ſanctiſſimâ vate futuri Magni, immo geniti vt regnent. Quinam vel æquiùs, vel fortiùs hereditarium vindicabunt imperium, quàm fortiſſimi fratres, qui id laboribus, & ſanguine ſuo meriti ſunt?

Quorum alter ad Edeſſam immortalibus operibus propugnaculum ſacro regno condidit, alter Hieroſolymæ muros proximus à primo Godefredo ſupergreſſus, expugnatæ decus ſecundum meritò tulit. Ita diſſerebat Petrus. Et verò fratres Godefredo ſucceſſuri erant in Hieroſolymę regno, primùm Balduinus, deinde Euſtachius; ſic tamen vt conſtaret veritas prędictioni Matris, Petrique appendici.

TRES MAGNI PROCERES DVX, REX,
COMES: ATTAMEN HORVM
QVEMQVE MANET REGNVM, REGIA
VIRGO MANET.
SED VERSABIT AMOR SORTES: HOS REGIA QVAMVIS
IVRA MANENT, HI DVX, REXQVE
COMESQVE MANENT.

Balduinus enim ex tribus ſolus Hieroſolymæ rex appellandus, & coronandus erat; Godefredus autem retenturus appellationem Ducis Lothariæ, & Euſtachius Bononiæ Comitis. Nempè AMOR VERSAVIT horum SORTES. Namque Godefredus licet iure & auctoritate rex, amore & reuerentiâ Seruatoris abſtinere perrexit regio inſigni & nomine. Euſtachius verò, tametſi futurum eſſet, vt Balduino ſucceſſor electus Hieroſolymam euocaretur, tamen audito conſobrinum ſuum Balduinum Burgium, ne Terra ſancta periclitaretur à barbaris, coronatum interim Regem; caritate in conſanguineum, & ſtudio concordiæ, Burgio & eius poſteris relicturus erat regnum. Ita QVEMQVE TRIVM fratrum manebat regnum,

nec id tantùm, ſed etiam VIRGO REGIA. Iamque regali genere claram Andam Armenam habebat in matrimonio Balduinus, & Scotam Mariam habiturus erat Euſtachius. At, quænam maneret Godefredum, & cuinam coronam regiam is tranſmitteret, manebat in obſcuro. Lucis aliquid hac in re quoque Gerardus à Petro elicere conatus eſt inter ambulandum ad Iordanem. Sudum erat cælum, aura pro anni tempeſtate perquam clemens: Iordanis aquæ placidè voluebantur nullis turbantibus ventis. Regem inuitauerat non modò liquor, ſed & ſanctitas amnis, vt religionis ergo ſolito ritu corpus ablueret. *a* Itaque vocatis ad idem officium Buamundo, fratribus, alijſque proceribus deſcendit ad flumen. Ibi alij manus, alij faciem lauêre, alij cauâ palmâ laticem bibêre. Nullus non ijs aquis tingi voluit, quas Seruator contactu ſacrarat. Ita lotos ambulatiuncula oblectauit, epulo regio mox excipiendos in prætorio ad ripam erecto. Hanc inumbrabant partim cannæ prægrandes, ex quibus lanceas conficiunt Arabes, partim inſignis inter fluuiatiles arbor. Interrogatus à Gerardo Petrus, quæ hæc eſſet & quo nomine, vitex eſt, inquit: Græci agnon, quod caſtum ſignificat, vulgus iunctâ vtrâque voce agnum caſtum appellat. Cauſa nominis, quod caſtitatis præſidium ſit vtentibus. Addidit ſubridens Anachoreta præſtare myrtho lauroque hanc plantam, nec aliam vllam magis congruere coronando regis eius capiti, cuius MANVS FEMINAM NON TANGAT. Quibus auditis Gerardo ſimul re-

a *Agnen*.

nouata eſt memoria regij facti dictique, ſimul venit in mentem Godefredum aut nullum meditari coniugium, aut caſtum [illegible] Mathilde; ac proinde huic mitti coronam [illegible] rege. De qua re cum familiariùs interrogaſſet Petrum, audijt ex hoc, at non ſine nouo ſtupore, deſtinatam coronam alij virgini, quàm Mathildi, Rurſus ergo de Floriâ Corbagathi ſorore cogitare cœpit. Nec deſunt, qui ſcribant eam Godefredo nuptam: ſed non fuiſſe conſtat ex alijs. Id adeò non futurum, Gerardus ex Petro ſatis intellexit, cum audijt loquentem in hanc ſententiam: ſi, inquit, Godefredo regni ſocia & adiutrix adſciſcenda eſt, cuius virtute & opibus res Hieroſolymitana firmetur, nulla ſanè præponenda Mathildi. Nempe illa eſt, cuius ſtudio & auctoritate apud Pontificem Vrbanum ſacra expeditio promota, cuius operâ & opulentiâ huc miſſæ tres inſtructiſſimæ copijs victricibus claſſes. Mathildis eſt, quæ in Occidente vicit, vt in Oriente vinceremus. Nec quiſquam in eâ fecunditatem deſideret. Abunde fecunda eſt tot bonorum procreatrix, quæ nobis plura adiutorum millia ſuppeditauit, & porrò ſuppeditatura eſt. Neque verò eius Amazonis cum Hercule noſtro matrimonium requiret, qui intelliget eos iam dudum pulcherrimo omnium coniugio, admirabili, inquam, animorum, ſtudiorum, facinorum, virtutum omnium, atque imprimis illibati pudoris conſenſione, vinculoque coniunctos. Niſi fortè ad rei Chriſtianæ decus ac firmamentum conducibilius eſt, vt rex abſtineat heroïco illo pudicitiæ

dicitiæ ornamento, cui adſcribit & debet inuictum ſuum robur, & perpetuas in orbe vtroque victorias. Tu vide, mi Gerarde, vtrum malis, regem minùs fortem, an minùs pudicum. Gerardo admiratione caſtiſſimorum amantium obſtupefacto, quærentique cur ergo *a* virgo Rex virgini Mathildi non mitteret coronam, ſed alteri; reſpondit Petrus, ſi hæc Mathildi mitteretur, an ab ea putas acceptum iri? Quod vniuerſus nouit orbis, Mathildis oblatam reginæ Italorum appellationem & coronam, ſicut Godefredus Hieroſolymorum, non admiſit, Godefredo cùm alijs rebus omnibus, tum modeſtiæ laude ſimillima. Non ergo Mathildi mittit rex ſacrum regni diadema, nec admiſſum ab ſe, nec ab illâ admittendum. Itaque Euſtachio traditum eſt in Europam ferendum ei virgini, quam & Godefredus Mathilde, & Mathildis ſeipsâ digniorem eo munere cenſet. Hîc Gerardus cumulo ſtuporis defixus obticuit. Fortè rex, qui cum fratribus agens non procul reſtiterat, aduertit ſubitum Gerardi ſui ſilentium, & benignè cauſam eius ex Petro ſciſcitatus eſt. Quam vbi intellexit, pro illo paterno, quo erat in Gerardum, animo, volo, inquit, ego ipſe tibi, mi Gerarde, nodum, cuius ſolutionem ſcrutaris, expedire. *b* Coronam mitto Virgini omnium amabiliſſimæ iuxta ac potentiſſimæ in hac ſacrâ expeditione adiutrici Mariæ; non Scotæ (quod primâ ſpecie exiſtimarat hic noſter Euſtachius) ſed cæleſti, quæ in icone miſsâ diuinitus ad nos Bo-

a *Nic. Campis.* b *Hiſt. Pontini, Morin, &c.*

noniæ colitur. Subiecit exultans diuinâ quadam animi permotione Petrus, nullam à Rege inueniri potuiſſe digniorem regni diademate, quàm cæleſtem illam Mariam, electam ſacri belli præſidem, in vexillis depictam & prælatam ducem, exercitus apud iratum filium patronam, totaque expeditione propugnatricem. Eam eſſe, quæ Ducem, ac milites innumeris periculis eripuerit; quæque eis annulum fauentiſſimę voluntatis ſuæ pignus miſerit. Eam denique, cuius fauore obtigerit tantus rex, ſacrumque regnum in Oriente ſancitum ſit, & firmiùs ſanciendum. Nempe Reginæ illi Virginum, acceptâ regiâ Hieroſolymorum coronâ, cordi & curæ futurum etiam impenſiùs quàm adhuc regem, regiſque ſucceſſores. Ita perfectiſſimè cum rei euentu conuenturam Petri Bartholomæi prædictionem:

CHRISTIADÆ VINCENT: FAVET EXORATVS IESVS.
HOC TRIBVIT PRECIBVS, MAGNA MARIA, TVIS.
PROMISSI FVLSERE DIES: MARIANVS EOO
CHRISTIADVM REGNVM SANCIET ORBE FAVOR.

Hæc Petrus referebat & ipſe vaticinans. Quo ſermone quoſcumque impertijt, impleuit certiore ſpe, quàm quantam fides humani promiſſi, aut ratio ex fiduciâ rerum ſubjicere ſolet. Inde extitit vbique piorum exultatio & laudatio maximi regum Godefredi, decora eius prædicantibus belli gloriæque ſocijs, tum ijs qui

cum eo manſerunt in Oriente, tum cæteris in Occidentem reuerſis. Sacri heroës à ſubactâ Hieroſolymâ merito cognomento dicti Hieroſolymarij, palmaſque, quas Hierichonte de more acceperant, reportantes in ſuas quiſque domos longo clariſſimoque triumpho inuehebantur. Ita prouocabant ſpectatores ac poſteros ad egregium imitationis decus. In omnibus ſpectabatur Godefredus; quoque duce omnes vicerant, in omnibus triumphabat Godefredus, & cum Godefredo Mathildis. Vbique audiebantur plaudentium ambobus voces, & bene precantium vota.

Par Heroïcum
GODEFREDE, MATHILDIS,
Inclytum par caſtorum amantium:
Chriſtiane Hercules, Amazon Chriſtiana;
Inſuperabiles armis,
At, quod tantò difficilius eſt,
inuicti voluptatum illecebris:
Fortiores,
quòd vos ipſos,
Quàm quòd fortiſſima Romæ, Hieroſolymæque
mœnia viciſtis:
GODEFREDE
virium miraculo Hercules,
Sed perpetua virginitate pluſquam Hercules;
MATHILDIS
Amazon Heroico animo,
Sed quia bis nupta, ſemper virgo,
Amazonibus omnibus ſuperior;
Vni Heroum Godefredo par,
cæteris Heroïbus maior:

Gemina mundi lumina,
Quorum alterum eminens Hieroſolymæ,
alterum Romæ
Orientem & Occidentem illuſtratis:
Gemini Eccleſiæ oculi
Seiuncti locis, vt pudicos decet,
& inuicem inaſpecti,
Sed longè pulcherrimum ſpectaculum orbis.
Cæleſte par amantium,
Cælibes corpore, coniuges animo,
Immenſo terrarum interuallo diſsiti,
At coniunctiſsimi amore virgineo.
Inclyti virginitate per omnem vitam illibatâ,
ſed non infecundâ,
Quâ peperiſtis
Vobis æternum decus, orbi Chriſtiano maieſtatem.
Viuite ambo immortales in Heredibus
GODEFREDE in Regibus,
MATHILDIS in Pontificibus.
Fortunati Virginis Matris imitatione & cultu,
Cui dicauiſtis
Alter diadema regium, altera ſponſalem
annulum,
Ambo triumphali corona immortalitatis
ornandi,
Æternum agite triumphum
Auſpice cæleſti Virgine,
Et in ambobus triumphante.

FINIS.

FACULTAS
R. P. PROVINCIALIS.

EGo infraſcriptus Societatis Jesu per Gallo-Belgicam Prouincialis iuxta priuilegium eidem Societati conceſſum, quo Typographis omnibus prohibetur, ne libros ab eiuſmodi Societatis hominibus compoſitos abſque Superiorum permiſſione imprimant, facultatem do Nicolao de Rache, vt libro cui titulus eſt, *Labores Herculis Chriſtiani Godefredi Bullionij* à P. Guilielmo de Waha Societatis eiuſdem compoſitum ad ſex annos proximos imprimere & liberè diſtrahere poſſit. Datum Inſulis 27. Septembris 1673.

IOANNES BLAVWART.

APPROBATIO.

OMnino expedit, vt præclara tanti Principis facinora ſtylo pereleganti ac neruoſo hocce libello deſcripta, prælo committantur. Inſulis Flandrorum xj. Kal. Ianu. 1674.

R. DU LAURY
Inſignis Eccleſ. Coll.
S. Petri Præpoſitus.

ERRATA PRÆCIPUA.

Pag. 7. *lin.* 13. &, *lege*, vt. 10. 5. alterterum, alterum. 11. 29. aquis, agris. 13. 17. incredili. incredibili. 18. 22. fonte, fronte. 32. 1. ant, aut. 34. 10. opporteret, oppeteret. 58. 5. eum, cùm. 77. 15. quòd, quod. 107. 10. ab, ad. 147. 14. pœntientiam, pœnitentiam. 166. 5. incunabilis, incunabulis. 180. 12. iuutili, inutili. 193. 29. deſertiſſimis, diſertiſſimis. 238. 1. exercitus, exercitui. 256. 2. turbarum, tubarum. 293. 20. ſir, ſit. 304. 25. aliàs, alias. 311. 2. conuoleſcat, conualeſcat. 313. 12. vtrumque, vtramque. 313. 17. corrumptum, corruptum. 319. 25. diliculo, diluculo. 323. 1. erumperant, eruperant. 323. 6. ſuſceſſum, ſucceſſum. 341. 15. opportere, oportere. 341. 15. crebiùs, crebriùs. 344. 1. indicatâ, indicata. 345. 2. fortunæ, fortuna. 352. 23. ventitate, ventitare. 390 6. inſultus, aſſultus. 423. 28. teſtitudines, teſtudines. 424. 7. alijs, ab alijs. 444. 31. Mathildi, Mathilde. 472. 23. perijſſe, petijſſe.

VITTORIO

Digitized by Google

by Goo